






SANCTI EUSEBII HIERONYMI STRIDONENSIS PRESBYTERI OPERUM

TOMUS QUINTUS PARS SECUNDA

POST MONACHORUM ORD. S. BENED. E CONGREG. S. MAURI RECENSIONEM denuo ad Mſs. Codices Romanos, Ambroſianos, Veronenſes, alioſque, nec non ad priores Editiones caſtigatus: quibuſdam ineditis Monumentis, aliiſque S. Doctoris lucubrationibus, ſeorſum tantum antea vulgatis auctus, Notis, & obſervationibus continenter illuſtratus

STUDIO AC LABORE

DOMINICI VALLARSII

VERONENSIS PRESBYTERI

Opem ferentibus aliis in eadem Civitate Literatis viris, & præcipue

MARCH. SCIPIONE MAFFEIO.

EDITIO ALTERA

Ab ipſo Veronenſi Editore poſterioribus curis aucta, & recognita.



VENETIIS, MDCCLXVIII.

APUD GUILELMUM ZERLETTI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Non enim ſolum ſcribit eum eſſe venturum, quod eſt commune cum cæteris: ſed etiam quo tempore venturus ſit docet; & reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifeſtiſſima ſigna prænuntiat. Quæ quia vidit Porphyrius univerſa completa, & tranſacta negare non poterat, ſuperatus hiſtoriæ veritate, in hanc prorupit calumniam, ut ea quæ in conſummatione mundi de Antichriſto futura dicuntur, propter geſtorum in quibuſdam ſimilitudinem ſub Antiocho Epiphane impleta contendat. Cujus impugnatio teſtimonium veritatis eſt. Tanta enim dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixiſſe; ſed narraſſe præterita. Et tamen ſicubi ſe occaſio in explanatione ejuſdem voluminis dederit, calumniæ illius ſtrictim reſpondere conabor; & Philoſophiæ artibus, immo malitiæ ſæculari, per quam ſubvertere nititur veritatem, & quibuſdam præſtigiis clarum oculorum lumen auferre, explanatione ſimplici contraire. Itaque obſecro vos, Pammachi φιλομαθέςατε, & Marcella, unicum Romanæ ſanctitatis exemplar, junctos fide & ſanguine, ut conatus meos veſtris orationibus adjuvetis: ut Dominus atque Salvator pro cauſſa ſua, ſuo ſenſu, meo
Pſ. 80. 11. ore reſpondeat, qui loquitur ad Prophetam: *Aperi os tuum, & implebo*
Luca 12. *illud*. Si enim quum apprehenſi fuerimus ante judices & tribunalia, monet ne cogitemus quid reſpondere debeamus: quanto magis contra adverſarios blaſphemantes, ſua poteſt bella bellare, & in ſervis ſuis vincere? Unde & Pſalmi plurimi illud Hebraicum, quod in ti-
למנצח tulis ponitur LAMANASSE, pro quo LXX. tranſtulerunt, *in finem*, magis *pro victoria* continent. Aquila enim interpretatus eſt τῷ νικοποιῷ, hoc
a eſt, *ei qui præbet victoriam*. Symmachus [a] ἐπινίκιον, quod proprie *triumphum palmamque* ſignificat. Sed & hoc noſſe debemus inter cætera, Porphyrium de Danielis libro nobis objicere, idcirco illum apparere confictum, nec haberi apud Hebræos, ſed Græci ſermonis eſſe commentum, quia in Suſannæ fabula contineatur, dicente Daniele ad Presbyteros, ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, quam etymologiam magis Græco ſermoni convenire, quam Hebræo. Cui & Euſebius & Apollinarius pari ſententia reſponderunt: Suſannæ Beliſque ac draconis fabulas non contineri in Hebraico, ſed partem eſſe prophetiæ Abacuc filii Jeſu de tribu Levi: ſicut juxta LXX. interpretes in titulo ejuſdem Belis fabulæ ponitur: *Homo quidam erat ſacerdos, nomine Daniel, filius Abda, conviva regis Babylonis*: quum Danielem & tres pueros de tribu Juda fuiſſe, ſancta Scriptura teſtetur. Unde & nos ante annos plurimos quum verteremus Danielem, has viſiones obelo prænotavimus, ſignificantes eas in Hebraico non haberi. Et miror quoſdam μεμψιμοίρους indicari mihi, quaſi ego decurtaverim librum: quum & Origenes & Euſebius & Apollinarius aliique Eccleſiaſtici viri & doctores Græciæ has, ut dixi, viſiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec ſe debere reſpondere Porphirio, pro his, quæ nullam Scripturæ ſanctæ auctoritatem præbeant. Illud quoque lectorem admoneo, Danielem non juxta LXX. Interpretes, ſed juxta Theodotionem Eccleſias legere, qui utique poſt adventum Chriſti incredulus fuit: licet eum quidam dicant Ebionitam, qui alte-

[a] Vati c. præferre videtur ἐπινίκιον.

altero genere Judæus est. Sed & Origenes de Theodotionis opere in Editione [a] Vulgata asteriscos posuit, docens defuisse quæ addita sunt, & rursus quosdam versus obelis prænotavit, superflua quæque designans. Quumque omnes Christi Ecclesiam tam Græcorum quam Latinorum, Syrorumque & Ægyptiorum hanc sub asteriscis & obelis Editionem legant, ignoscant invidi labori meo, qui volui habere nostros, quod Græci in Aquilæ & Theodotionis ac Symmachi Editionibus lectitant. Et si illi in tantis divitiis doctrinarum non contemnunt studia hominum Judæorum: cur Latina paupertas despiciat hominem Christianum? Cujus si opus displiceat, certe voluntas recipienda est. Verum jam tempus est, ut ipsius Prophetæ verba texamus, non juxta consuetudinem nostram proponentes omnia, & omnia disserentes, ut in duodecim Prophetis fecimus; sed breviter & per intervalla ea tantum, quæ obscura sunt explanantes, ne librorum innumerabilium magnitudo, lectori fastidium faciat. Ad intelligendas autem extremas partes Danielis, multiplex Græcorum historia necessaria est: Sutorii videlicet [b] Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Posidonii, Claudii, Theonis, & Andronici cognomento Alipii, quos & Porphyrius esse sequutum se dicit: Josephi quoque & eorum quos ponit Josephus, præcipueque nostri Livii, & Pompeii Trogi, atque Justini, qui * omnem extremæ visionis narrant historiam, & post Alexandrum usque ad Cæsarem Augustum, Syriæ & Ægypti, id est, Seleuci, & Antiochi, & Ptolemæorum bella describunt. Et si quando cogimur literarum sæcularium recordari, & aliqua ex his dicere quæ olim omisimus, non nostræ est voluntatis, sed ut dicam, gravissimæ necessitatis: ut probemus ea, quæ a sanctis Prophetis ante sæcula multa prædicta sunt, tam Græcorum, quam Latinorum, & aliarum gentium literis contineri.

a

b

* al. *omnes*

Anno

[a] Parum sibi constare hoc loco Hieronymus Montfauconio videtur, quod cum modo dixisset, Danielem non juxta LXX. sed juxta Theodotionem Ecclesias legere, statim subjicit, omnes Christi Ecclesias tam Græcorum, quam Latinorum, Syrorumque & Ægyptiorum editione uti Vulgata (quæ utique τῶν LXX. intelligitur) ab Origene ex editione Theodotionis aucta atque emendata cum obelis & asteriscis. Atque hoc quidem, inquit, si de ejus usu in publicis Ecclesiæ conventibus intelligendum sit, perquam difficile est creditu; quomodo enim duæ ejusdem Prophetæ editiones indiscriminatim in omnibus Ecclesiis legebantur? Certum præterea quod ipse Hieron. iterum in Comm. tradit c. 4. v. 5. *judicio magistrorum Ecclesiæ Editionem* τῶν LXX. *in hoc volumine repudiatam, & Theodotionis vulgo legi, quæ & Hebræo, & cæteris translatoribus congruit*. Sic itaque antilogiam conciliandam putat, ut cum dicitur, ab omnibus Christi Ecclesiis tam Græcorum, quam Latinorum &c. recognitam ab Origene Vulgatam legi, intelligas, eam quidem præ manibus omnium habitam, sed privatim, non autem in publicis conventibus, ubi sola Theodotionis editio obtinebat, saltem apud Græcos, ut SS. Patres Græci, præsertim Chrysostomus, & Theodoretus indicio esse possunt, qui non aliam editionem afferunt. Verum non hanc fuisse Hieronymi mentem, nullamque adeo inesse huic loco difficultatem contendo. Neque enim de peculiaris libri Danielis Vulgata editione heic loquitur, quæ cum in cæteris libris tota Septuagintaviralis esset, in uno isto de Theodotionis interpretatione sumta est: ut una eademque plane res sit, cum de Daniele agitur, Vulgata ejus editio, ac Theodotionis versio. Hoc nemo, opinor, nedum Cl. Montfanconius ierit infitias: manifestum quippe est cum ex modo laudatis testimoniis, tum ex tota hac Præfatione, itidemque alia in ipsum Danielem abs Hieronymo Latine redditam, Vulgatam editionem cæteros quidem omnes Scripturæ libros ex LXX. Danielis vero ex Theodotione sibi ascivisse, ut proinde Vulgata Danielis ipsa sit Theodotionis editio. Igitur proposito loco cum ait S. Doctor, Origenem in editione Vulgata asteriscos atque obelos de Theodotionis opere posuisse, minime omnium intelligi potest de singulari Danielis hoc libro dicere: qui enim id fieri potuit, aut quæ tanta esset perissologia, ut de Theodotionis editione ad Theodotionis editionem (neque enim Vulgata erat ejus libri alia) Origenes obelos poneret & asteriscos. Est ergo quam quod maxime manifestum, de universo Scripturæ opere sermonem heic esse, ad cujus Vulgatam editionem hoc impendit laboris Adamantius, eamque ejus recognitionem Hexaplarem & Hieronymus testatur, & nemo jam nescit, fuisse Ecclesiis tam Græcorum, quam Latinorum, Syrorumque & Ægyptiorum probatam, ac lectam in sua quaque lingua. Inferior quoque contextus, universam Scripturam, non unicum Danielis librum laudari, perspicue probat. Scilicet occasionem arripit Hieronymus ex Theodotionis incredulitate, ut suum studiosis laborem impendio magis commendet, aut contra æmulos tueatur. Nam si ejus hæretici diligentia tantum apud Ecclesias favoris sibi promeruit, ut Origene suffragante, nedum in Daniele, sed & in reliquis libris utilis probaretur, quanto magis ipse, Christianus homo, suscipi deberet, qui & imitatus Origenem, volebat habere suos, *quod Græci in Aquila, & Theodotionis ac Symmachi editionibus lectitabant*.

[b] Antea *Suctorium*: illud vero perperam, quod Sutorius a Callinico, quasi duo auctores essent, distinguebatur. Est autem iste Callinicus Syrus, vel

Arabs

Cap. I. * Vulg. Jojacim.

ANno tertio regni * Joacim regis Juda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis Jerusalem, & obsedit eam. Joacim filius Josiæ cujus tertio decimo anno prophetare orsus est Jeremias, sub quo & Olda mulier prophetavit, ipse est qui alio nomine appellatur Heliachim, & regnavit super tribum Juda, & Jerusalem annis undecim: cui successit in regnum filius ejus Joachim, cognomento Jechonias; qui tertio mense regni sui, die decimo, captus est a ducibus Nabuchodonosor, ductusque est in Babylonem, & in loco ejus constitutus est Sedecias filius Josiæ patruus ejus, cujus anno undecimo Jerusalem capta atque subversa est. Nemo igitur putet eumdem in Danielis principio esse Joacim, qui in Ezechielis exordio Joachin scribitur. Iste enim extremam syllabam *Chin* habet, ille *Cim*. Et ob hanc caussam in Evangelio secundum Matthæum una videtur deesse generatio, quia secunda τεσσαρεσκαιδέκας [a] in Joacim desinit filio Josiæ, & tertia incipit a Joachin filio Joacim. Quod ignorans Porphyrius, calumniam struit * Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam, dum Evangelistæ Matthæi arguere nititur falsitatem.

a — * Mss. instruit.

b — V. 2.

[b] *Et tradidit Dominus in manu ejus Joacim regem Juda.* Quodque traditus scribitur Joacim, monstrat non adversariorum fortitudinis fuisse victoriam, sed Domini voluntatis.

c — Terra Sennaar. — Gen. 11. — Babylon.

Et partem vasorum domus Dei, & asportavit ea in terram Sennaar, [c] *in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui.* Terra Sennaar locus est Babylonis in quo fuit campus Dura, & turris quam usque ad cælum hi qui ab Oriente moverant pedes suos, ædificare conati sunt. Unde & a confusione linguarum locus nomen accepit *Babylon*, quæ in linguam nostram transfertur *confusio*. Simul & animadvertendum secundum Anagogen, quod rex Babylonis non potuerit universa Dei vasa transferre, & in idolio quod sibi finxerat collocare, sed partem vaso- A rum domus Dei, quæ intelligenda sunt dogmata veritatis. Si enim cunctos Philosophorum revolvas libros, necesse est ut in eis reperias aliquam partem vasorum Dei. Ut apud Platonem, fabricatorem mundi Deum, ut apud Zenonem Stoicorum principem, inferos & immortales animas, & unum bonum, honestatem; sed quia jungunt mendacium veritati, & naturæ bonum multis perdunt malis, ideo partem vasorum do- B mus Dei, & non omnia vasa integra atque perfecta cepisse memorantur.

In Philosophis aliqua pars vasorum Dei.

V. 3. — d — * Vulg. tacet suorum.

Et ait rex Asphanez præposito eunuchorum * *suorum,* [d] *ut introduceret de filiis Israel & de semine regio & tyrannorum, pueros in quibus nulla esset macula.* Pro Asphanez in Editione vulgata ἀβιεσδεὶ scriptum reperi, & pro φορθομμὶν, quod Theodotio posuit, LXX. & Aquila, *electos* transtulerunt, Symmachus *Parthos*, pro verbo, nomen gen- C tis intelligens, quod nos juxta Editionem Hebræorum quæ * κατ' ἀκρίβειαν legitur, in *tyrannos* vertimus: maxime quia præcedit, *de regio semine*. Unde & arbitrantur Hebræi, Danielem, & Ananiam, & Misael, & Azariam fuisse eunuchos, impleta illa Prophetia quæ ad Ezechiam per Isaiam Prophetam dicitur: *Et de semine tuo tollent, & facient eunuchos in domo regis* [e] *Babylonis.* Si autem de semine regio fue- D runt, nulli dubium quin de genere fuerint David. Nisi forte huic sensui illud contrarium sit quod sequitur: *Pueros*, sive *juvenes*, *in quibus nulla esset macula, ut doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* Philo arbitratur linguam Hebræorum ipsam esse Chaldaicam, quia Abraam de Chaldæis fuerit. Quod si recipimus, quærendum est, quomodo nunc Hebræi pueri linguam quam noverant, doceri jubean- E tur: nisi forte juxta quorumdam opinionem duas Abraam linguas, & Hebræorum & Chaldæorum scisse dicamus.

* Altera versio Aquilæ. — Isai. 39. 7. — e — Lingua Hebræa, eadem quæ Chaldæa.

V. 7.

Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina, Danieli, Balthasar: & Ananiæ, Sedrach: Misaeli, Misac: & Azariæ,

Arabs Sophista, qui sub Galieno floruit, & cum monimenta alia, tum Rerum Alexandrinarum historiam libris X. ad Cleopatram scripsit, quos hic Hieronymus innuit. Σιτώδεις cognominatus est, ut Suidas adnotavit.

[a] Palat. τεσσαρακαιδέκας Notatum vero est Victorio, Jechoniam vocari a Matthæo tam Joachim, in quo sub transmigratione Babylonis desinit secunda τεσσαρεσκαιδέκας, quam Joachim ejus filium, in quo post dictam transmigrationem incipit tertia, sicut 4. Reg. 24. uterque a LXX. appellatur Joacim: quod non animadvertens Porphyrius, dum in Matthæo Jechoniam pro uno tantum accipit homine, unam deesse apud illum generationem dicebat, propterea falsitatis eum arguere nitebatur.

[b] Versiculo hocce prætermisso, expositionem Hieronymianam mss. nostri continuant.

[c] Victorius *in Dei domum Dei sui*, nedum ad Vulgatæ, sed ad trium quoque mss. quos laudat fidem.

[d] Reliquum Danielis textum subnexæ expositioni necessarium, mss. nostri peragunt. Porro Vatican. AKHICΔPI, Palatin. cum Sangermanen. penes Montfauc. Latinis literis *Abiesdri*. Sic mox Vatic. ΠΟΓΘΟΜΙΜ, & cum Sangerman. Palatinus *Porthommim*.

[e] Nomen *Babylonis* nostri codices ignorant.

riæ, *Abdenago*. Non solum præpositus eunuchorum, sive magister, & ut alii transtulerunt, ὁ ἀρχιευνοῦχος sanctis immutat nomina, sed & Pharao Joseph in Ægypto appellavit, [a] *Somtonphanech*, nolentes eos in terra captivitatis vocabula habere * Judæorum. Unde Propheta dicit in Psalmo: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Porro Dominus in bonam partem nomina mutat antiqua, & ex rebus imponit virtutum vocabula: ut *Abram* appellaret *Abraam*, & *Sarai*, *Sara*. In Evangelio quoque quondam *Simon*, *Petri* nomen accepit, & filii Zebedæi appellati sunt, *filii tonitrui*: quod non ut plerique putant *boanerges*, sed emendatius legitur [b] *benereem*.

a Gen. 41. * al. Judaa Ps. 136. 4. Gen. 17. Marc. 3. b

V. 8. *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis*, * *& de vino potus ejus*, *& rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur*. Qui de mensa regis & de vino potus ejus non vult comedere ne polluatur, utique si sciret ipsam sapientiam atque doctrinam Babyloniorum esse peccatum, numquam acquiesceret dicere, quod non licebat. Discunt autem non ut sequantur, sed ut judicent atque convincant. Quomodo si quispiam adversus Mathematicos velit scribere imperitus μαθήματος, risui pateat, & adversum Philosophos disputans, si ignoret dogmata Philosophorum. Discunt ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, qua & Moyses omnem sapientiam [c] Ægyptiorum didicerat.

* Vulg. neque. c

V. 9. *Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis eunuchorum*, *&c.* Qui propter peccata majorum ductus est in captivitatem, propter virtutum suarum magnitudinem statim mercedem recepit. Proposuerat enim in corde suo, ut non pollueretur de mensa regis, & epulis regiis præposuerat viles cibos: idcirco gratiam & misericordiam in conspectu principis eunuchorum accepit, Domino largiente. Ex quo intelligimus pro necessitate rerum, si quando diliguntur sancti ab infidelibus, Dei esse * misericordiæ, non bonitatis hominum perversorum.

* al. misericordiam.

V. 12. d *Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem*, [d] *& dentur nobis legumina ad vescendum*, *& aqua ad bibendum*. Incredibilis fidei magnitudo non solum sibi corpulentiam polliceri esu vilioris cibi, sed & tempus statuere. Non est ergo temeritatis, sed fidei, ob quam regias dapes contemserunt.

Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia. Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Nota quod Deus dederit sanctis pueris scientiam & disciplinam sæcularium literarum in omni libro & sapientia. Pro quo Symmachus interpretatus est, *artem grammaticam*, ut cuncta quæ legebant, intelligerent, & spiritu Dei de Chaldæorum scientia judicarent. Daniel autem hoc extra tres pueros habebat insigne, quod visiones & somnia quibus per symbola quædam & ænigmata, futura monstrantur, sagaci mente cernebat: ut quod alii videbant in phantasmate, hic oculis cordis aspiceret. V. 17.

Danielis privilegium.

Completis itaque diebus, *post quos dixerat rex ut introducerentur*, *introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor*. Completos dies, triennii tempus intellige, quod rex constituerat, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis. V. 18.

Et omne verbum sapientiæ & intellectus quod sciscitatus est ab eis rex, *invenit in eis decuplum super cunctos hariolos*, *& magos qui erant in universo regno ejus*. Pro *Hariolis* & *Magis*, vulgata Editio, *Sophistas*, & *Philosophos* transtulit: non juxta hanc Philosophiam & Sophisticam disciplinam, quam Græcorum eruditio pollicetur; sed juxta doctrinam gentis barbaræ, qua usque hodie Chaldæi philosophantur. V. 20.

Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis. Dicemus in consequentibus, quomodo qui usque ad annum primum regis Cyri hic fuisse describitur, postea tertio anno ejusdem Cyri regis, & primo Darii fuisse memoretur. V. 21.

IN *anno secundo regni Nabuchodonosor*, *vidit Nabuchodonosor somnium*, *& conterritus est spiritus ejus*, *& somnium ejus fugit ab eo*. Si post tres annos pueri ingressi sunt in conspectu ejus, ut ipse præceperat: quomodo nunc secundo anno regni sui somnium vidisse narratur? Quod ita solvunt Hebræi, secundum hic annum dici regni ejus, omni- Cap. II.

a Mss. duo COMTOΦANHC.
b Vatic. *baneraem*. Palat. *banarebem*.

c Palat. *sapientiam Cham & Ægyptiorum &c.*
d Heic denuo reliquum versum mss. nostri sufficiunt.

omnium gentium barbararum, non Judææ tantum & Chaldæorum, sed Assyriorum quoque & Ægyptiorum, & Moabitarum, & reliquarum nationum, quas, Domino concedente, superarat. Unde & Josephus in decimo Antiquitatum scribit libro: Post annum secundum Ægyptiæ vastitatis, rex Nabuchodonosor vidit mirabile somnium, *& conterritus est spiritus ejus, & somnium ejus fugit ab eo.* Vidit rex impius somnium futurorum, ut interpretante Sancto quod viderat, Deus glorificaretur; & captivorum, Deoque in captivitate servientium sit grande solatium. Hoc idem in Pharaone legimus, non quod Pharao & Nabuchodonosor videre meruerint, sed quod Joseph & Daniel digni exstiterint, qui interpretatione eorum omnibus præferrentur.

V. 2. *Præcepit ergo rex, ut convocarentur Harioli, & Magi, & Malefici, & Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua. Qui quum venissent, steterunt coram rege.* Quos nos *Hariolos*, cæteri ἐπαοιδὰς interpretati sunt, id est, *incantatores*. Ergo videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt. Magi, qui de [a] singulis philosophantur: Malefici, qui sanguine utuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. Porro in Chaldæis * γενεθλιαλόγους significari puto quos vulgus mathematicos vocat. Consuetudo autem & sermo communis Magos [b] pro maleficis accipit: qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi Chaldæorum, & ad artis hujus scientiam reges quoque & principes ejusdem gentis omnia faciunt. Unde & in nativitate Domini Salvatoris ipsi primum ortum ejus intellexerunt, & venientes in sanctam Bethleem, adoraverunt puerum, stella desuper ostendente.

(Incantatores. — Magi. Malefici. — Genethliaci. — * al. γενεθλιολόγους. — Magi. — Matt. 2.)

V. 3. *Et dixit ad eos rex: Vidi somnium, & mente confusus ignoro quid viderim.* Umbra quædam, & ut ita dicam, aura somnii atque vestigium remansit in corde regis: ut referentibus aliis, posset reminisci eorum quæ viderat, & nequaquam eum deciperent mentientes.

V. 4. *Responderunt Chaldæi regi Syriace.* [c] Hucusque quæ lecta sunt, sermone narrantur Hebræo. Ab hoc loco usque ad visionem anni tertii regis Balthasar, quam Daniel vidit in Susis, Hebraicis quidem literis, sed lingua scribuntur Chaldaica, quam vocat hic Syriacam.

(Lingua Chaldaica, vocata Syriaca.)

V. 5. *Nisi indicaveritis mihi somnium & conjecturam ejus, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur, &c.* Comminatus est pœnam, proponit & præmia: ut si potuerint somnium dicere, consequenter credat etiam his quæ incerta sunt, hoc est, quid significet somnium. Quod si non potuerint ea dicere, de quibus rex in plerisque confusus poterat recordari, etiam futuræ interpretationis perdant fidem. Denique sequitur.

V. 9. & 10. *Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem quoque ejus veram loquamini* [d]. *Respondentes ergo Chaldæi coram rege dixerunt: Non est homo super terram qui sermonem tuum, rex, possit implere, &c.* Confitentur Magi, confitentur Harioli, & omnis scientia sæcularis literaturæ, præscientiam futurorum non esse hominum, sed Dei. Ex quo probatur Prophetas Dei spiritu loquutos, qui futura cecinerunt.

(Futurorum scientia Dei solius.)

V. 12. & 13. *Quo audito rex in furore & in ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis. Et egressa sententia sapientes interficiebantur,* [e] *&c.* Quærunt Hebræi, cur Daniel & tres pueri non sint ingressi ad regem cum aliis sapientibus, & prolata sententia jubeantur perire cum cæteris. Quod ita edisserunt, ut eo tempore quo rex præmia & dona, & honorem maximum promittebat, ire noluerint, ne impudenter divitias, & dignitatem Chaldaicam viderentur appetere. Aut certe ipsi Chaldæi invidentes gloriæ eorum & scientiæ, soli ingressi sunt, quasi soli præmia percepturi, & postea in periculo voluerint habere consortes quos in spe gloriæ refutaverant.

V. 15. *Et interrogavit eum qui a rege acceperat*

[a] Ex Brixianis mss. atque editis vetustioribus libris præfert Victor. *de signis* pro *singulis*.

[b] Huc refer S. Hilarii testimonium lib. 4. de Trinit. num. 37. & in Commentario in Matthæum: in quem Evangelistam vide Auctorem Operis imperfecti, Auctorem quoque Quæstion ex N. T. quæst. 63. Nam & plures sunt e Veteribus qui Magos absolute pro maleficis accipiunt.

[c] Amovimus hinc ad mss. nostrorum fidem subsequentes sacri Textus versus, *Rex in æternum vive: Sic somnium servis tuis, & interpretationem ejus tibi indicabimus. Et respondens Rex ait Chaldæis: Sermo recessit a me*: qui perperam & contra S. Doctoris mentem subjungebantur, cum Syriace ipsimet scripti sint, atque adeo excludendi.

[d] Pro hisce verbis *Respondentes ergo* &c. Mss. nostri hæc alia sacri Textus substituunt, *Sermo quem tu, Rex, quæris, gravis est, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis, exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio.*

[e] Addunt mss. nostri *quærebaturque Daniel & socii ejus ut perirent.*

perat potestatem, quam ob caussam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Scientes Chaldæi, quod decuplum super cunctos Hariolos & Magos qui erant in universa Chaldæa, Daniel & tres pueri saperent & intelligerent, celaverunt eos interrogationem regis, ne præferrentur sibi in interpretatione somnii. Et ob hanc caussam interrogavit Daniel de crudelitate sententiæ, qui caussam periculi sui nesciebat.

V. 16. & 17. a *Quum [a] ergo rem indicasset Arioch Danieli Daniel ingressus rogavit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. Et ingressus est ad domum suam, Ananiæque & Misaeli, & Azariæ sociis suis indicavit negotium, &c.* Daniel tempus postulat: non quo tractatione & sagacitate mentis occulta perquireret; sed quo occultorum Dominum precaretur. Et ideo Ananiam, & Misaelem, & Azariam jungit ad preces, ne solus de suo merito videatur præsumere: ut quorum erat commune discrimen, communis esset & oratio.

V. 19. *Tunc Danieli per visionem nocte mysterium revelatum est*. Somnium regis suo discit somnio: immo & somnium, & interpretationem ejus, Dei revelatione cognoscit, quod dæmones ignorabant, sapientia sæculi scire non poterat. Unde & Apostoli mysterium, quod cunctis retro generationibus fuerat ignoratum, Domino revelante, cognoscunt.

V. 20. *Et Daniel benedixit Deo cæli, & loquutus, ait, &c.* Ad distinctionem eorum qui versantur in terra, & dæmoniacis artibus atque præstigiis terrena deludunt, Daniel Deo cæli benedixit. Dii enim qui non fecerunt cælum & terram, peribunt.

V. 21. *Et ipse mutat tempora & ætates, & transfert regna atque constituit*. Non ergo miremur, si quando cernimus, & regibus reges, & regnis regna succedere, quæ Dei gubernantur & mutantur, & finiuntur arbitrio. Caussasque singulorum novit ille qui conditor omnium est, & sæpe malos reges patitur suscitari, ut mali malos puniant: simulque subostendit, & generali disputatione præparat auditorem, som-

A nium quo vidit esse de mutatione & successione regnorum.

Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Juxta illud quod scriptum est: *Audiet sapiens,* Prov. 1. 5.
& apponet sapientiam. Qui enim habet, Mat. 25. 29
dabitur illi; & animæ quæ fervet amore sapientiæ, libenter spiritus Dei infunditur. In perversam autem animam non Sap. 1.
introibit sapientia.

Ipse revelat profunda & abscondita, V. 22.
B *& novit in tenebris constituta, & lux cum eo est*. Cui Deus revelat profunda, & potest dicere: *O profundum divitiarum* Rom. 11. 33
sapientiæ & scientiæ Dei, iste, habitante in se Spiritu, scrutatur etiam profunda Dei, & in profunda animæ suæ fodit altissimos puteos, & omnem terram egerit, quæ profundas aquas operire consuevit: servatque mandatum
Dei, dicens: *Bibe aquam de tuis vasis,* Prov. 5. 15.
& de puteorum tuorum fonte. Quodque
C sequitur: *Novit in tenebris constituta, & lux cum eo est*: tenebræ significant ignorantiam, & lux scientiam atque doctrinam. Itaque Deum ut perversa non cælant, ita recta ambiunt, atque circumdant. Sive interpretandum est, quod tenebrosa mystica quæque & profunda significet, juxta illud quod legimus in Proverbiis: *Intelligit quoque parabolam, & tenebrosum sermonem*, hoc ipsum significat quod in Psalmis legi-
D mus: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. Ps. 17. 12.
Qui enim ad excelsa conscendit, & terrena deserens instar avium tenuissimum aerem, & ætherea quæque desiderat, iste nubes efficitur, ad quam veritas Dei pervenit, & quæ super sanctos pluere consuevit: repletusque multitudine scientiæ, habet multas aquas
in corde suo tenebrosas, & involutas Exod. 33.
caligine, quam solus Moyses ingreditur, & loquitur Deo facie ad faciem, de
E quo scriptum est: *Posuit tenebras latibulum* Ps. 17. 12.
suum.

Tibi Deus patrum [b] meorum confiteor, V. 23. b
teque laudo, quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi. Ne sui videatur meriti, quod impetravit, refert ad patrum justitiam, & ad veritatem Dei, qui seminis eorum etiam in captivitatem miseretur.

Et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, &c. Quod quattuor rogant, uni

osten-

[a] Priora hæc verba, *Quum ergo rem indicasset Arioch Danieli*: tum integer alter versus, *Et ingressus est ad domum suam &c.* in mss. nostris non habentur.

[b] Sic habent Vatican. & Palatin. mss. sicque olim ad Vulgatæ, & Chaldaici textus exemplar Victorius restituit: ratus, haud scio tamen quam bono argumento, *nostrorum*, quod post Erasmum retinuit & Martianæus, de Theodotionis versione esse.

ostenditur: ut & arrogantiam fugiat, A ne solus impetrasse videatur, & agat gratias, quod mysterium somnii solus audierit.

Fuga arrogantiæ, & gratiarum actio.

V. 24. *Sapientes Babylonis ne perdas. Introduc me in * conspectum regis, & solutionem regi narrabo, &c.* Imitatur clementiam Dei, qui pro persequutoribus deprecatur, & non vult eos perire propter quos fuerat ipse periturus.

* Vulg. conspectu

V. 25. *Inveni hominem de filiis transmigrationis Judæ, qui solutionem regi annuntiet.* B Dei gratiam ad suam refert diligentiam, & invenisse se dicit, quum Daniel ultro se obtulerit, ut introduceretur ad regem; in quo [a] ἦθος ostenditur nuntiorum, qui quum bona nuntiant, sua videri volunt. Qui autem solutionem somnii repromittit, utique ante narraturus est somnium. Et nota quod de filiis Juda sit Daniel, non sacerdos, sicut in fine Belis fabula continet.

Nuntiorum consuetudo.

V. 26. *Putasne vere potes indicare mihi somnium quod vidi, &c.* C Servat ordinem quæstionis, ut primum somnium quod se magi ignorare responderant, & postea interpretationem quærat somnii: ut quum somnium audierit, & quæ viderat recognoverit, tunc credat, & interpretationi, quæ variam recipit conjecturam.

V. 27. *Mysterium quod rex interrogat, sapientes, Magi, & Harioli, & Haruspices non queunt indicare regi.* D Pro Haruspicibus, quod nos vertimus, in Hebræo GAZARENOS habet, quod solus Symmachus [b] θύτας interpretatus est, quos Græci solent ἡπατοσκόπους appellare: qui exta inspiciunt, ut ex his futura prædicant. Mysterium autem vocans ordinem somnii revelati, ostendit quidquid occultum est, & ab hominibus ignoratur, posse mysterium nuncupari. Tollit quoque regi pravam suspicionem, ne humana æstimet inveniri posse solertia E quod Dei solius notitiæ reservatur.

V. 28. *Sed est Deus in cælo revelans mysteria.* Frustra igitur ab hominibus * quæris in terra, quod Deus solus novit in cælo. Et occulte retrahens eum a multorum deorum cultu, ad unius Dei notitiam dirigit.

* al. quærit

*Qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quæ ventura * sint novissimis temporibus.* Absque adulationis vitio veritate sociata, blanditur ut regi: quod illi a Deo mysteria sint revelata quæ novissimis temporibus sint ventura. Novissimi autem dies, aut ex eo numerandi sunt tempore, quo Danieli somnium revelatum est, usque ad consummationem mundi. Aut certe hoc sentiendum, quod universa interpretatio somnii tendat ad finem, in quo imago [c] statuaque quæ cernitur, conterenda est.

* Vulg. sunt in

Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo, hujuscemodi sunt. Non dixit, visiones oculorum tuorum: ne quid putaremus esse corporeum, sed capitis: *Sapientis enim oculi in capite ejus*: in principali videlicet cordis, juxta illud quod in Evangelio legimus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Et: *Quid [d] cogitatis in cordibus vestris?* Alii vero ex hujus occasione capituli τὸ ἡγεμονικὸν non in corde, sed juxta Platonem in cerebro suspicantur.

Eccli. 2. 1. Mat. 5. 8. Ibid. 9. 4.

V. 29. *Tu, rex, cogitare cepisti in stratu tuo quid esset futurum post hæc.* Pro eo quod est, *post hæc*, soli LXX. *dies novissimos* transtulerunt. Quod si ita legitur, sollicitius requiramus, ubi dies novissimi scripti * sunt; & redarguamus eos qui mundum non putant esse periturum. Nunquam enim dies appellarentur novissimi, si mundus esset æternus. Quodque dicitur: *Tu rex cogitare cepisti*, indicat caussas somnii: quod idcirco ei Deus futurorum mysteria revelarit, quia ipse rex voluerit scire ventura, & ut Nabuchodonosor divinæ inspirationis miretur gratiam; non [e] solum quid in somnio viderit, sed ante somnium quid tacitus cogitarit, exponit.

* al. sint

Redarguendi qui mundum putant non esse periturum.

Et qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. Illud quod in Evangelio legimus: *Qui solem suum oriri facit super malos & bonos*, etiam super Nabuchodonosor intelligimus esse completum. Tanta enim est clementia omnipotentis Dei, ut etiam Nabuchodonosor dispensationis suæ qua mundum regit, my-

Mat. 5. 45

a Pro ἦθος, Latine habet Vatic. *mos*. Palatin. *typus*.

b Vitiose antea obtinebat. θυὰς, quod emendant mss. nostri, tametsi ΘΙΤΑC pro. θύτας minus recta scriptura pari consensu præferant. Sic reponendum monuerat & Montfauc. ex scholio edit. Rom. τῶν LXX. in c. 4. V. 4. Γαζαρηνοὺς δέ τοὺς τὰς θυσίας λειτουργοῦντας, θύτας γὰρ ἀντὶ Γαζαρηνῶν Θεωδοτίων ἐξέδωκεν. Ubi Theodotionis nomen positum pro Symmacho ex Hyeronymo intelligas Ms. Sangerm. habet EAS, male. Mox quoque eorumdem ope mss. emendamus *prædicant*, cum esset antea corrupte *predicent*.

c Idem mss. *imago statuæ quæ cernitur &c.*

d Supplet Victor. *mala* ex Fesulano ms. & Vulgata.

e Idem *non enim* pro *non solum* ex quattuor mss. reposuit.

mysteria revelaret. Interrogemus eos qui diversas asserunt esse naturas, cujus naturæ Nabuchodonosor intelligant, bonæ an malæ. Si bonæ: cur impius dicitur? Si malæ (ut certum est) cur malo atque terreno, id est, χοϊκῷ sua Deus sacramenta monstravit.

℣. 30. *Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plusquam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.* Putaverat rex notitiam futurorum solertia mentis humanæ posse comprehendi; & ideo sapientes Babylonis interfici jusserat. Ergo Daniel eos excusat qui dicere non potuerant, & ipse invidiam fugit, ne quis æstimet, eum quæ dicturus est propria dixisse sapientia. Caussa autem revelationis propheticæ, regis est desiderium, qui voluit ventura cognoscere. Ergo honorat regem, quando propter illius scientiam sibi dicit a Deo mysteria revelata. Et hoc considerandum, quod somnia in quibus aliqua ventura signantur, & quasi per nubilum veritas demonstratur, non pateant conjectoribus, & humanæ mentis arbitrio, sed Dei solius scientiæ.

Somnia prophetica soli Deo patent.

℣. 31. *Tu, rex, videbas, & ecce quasi statua una grandis.* [a] Pro statua, id est ἀνδριάντι, quod solum interpretatus est Symmachus, cæteri *imaginem* transtulerunt, volentes hoc nomine similitudinem ostendere futurorum. Sequamur intepretationem propheticam, & Danielis verba [b] interpretantes, quæ ab illo breviter dicta sunt, latius exponamus.

℣. 38. *Tu es ergo caput aureum.* Caput inquit aureum tu es, rex. Per quod ostenditur primum regnum Babylonium auro pretiosissimo comparatum.

℣. 39. *Et post te consurget regnum aliud, minus te,* * *argenteum.* Medorum videlicet atque Persarum, quod argenti habet similitudinem, minus priore, & majus sequente.

* Vulg. tacet.

Et regnum tertium * *æneum, quod imperabit universæ terræ.* Alexandrum significat, & regnum Macedonum, successorumque Alexandri. Quod recte æneum dicitur: inter omnia enim metalla æs vocalius est, & tinnit clarius, & sonitus ejus longe lateque diffunditur, ut non solum famam, & potentiam regni, sed & eloquentiam Græci sermonis ostenderet.

* Vulg. ereum.

Alexandri magni regnum, cur æneum.

Et regnum quartum erit veluti ferrum: quomodo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc, &c. ℣. 40. Regnum autem quartum, quod perspicue pertinet ad Romanos, ferrum est quod comminuit & domat omnia. Sed pedes ejus & digiti ex parte ferrei, & ex parte sunt fictiles, quod hoc tempore manifestissime comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius & durius fuit, ita in fine rerum nihil [c] imbecillius: quando & in bellis civilibus, & adversum diversas nationes, aliarum gentium barbararum indigemus auxilio. In fine autem horum omnium regnorum auri, argenti, æris, & ferri, abscissus est lapis, Dominus atque Salvator, sine manibus, id est, absque coitu & humano semine, de utero virginali, & contritis omnibus regnis, factus est mons magnus, & implevit universam terram: quod Judæi & impius Porphyrius male ad populum referunt Israel, quem in fine sæculorum volunt esse fortissimum, & omnia regna conterere, & regnare in æternum.

Deus magnus ostendit regi quæ futura sunt postea: & verum est somnium, & fidelis interpretatio ejus. ℣. 45. Rursum revelationem somnii, non sui dicit meriti, sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & doceret regem, quod Deus solus esset colendus.

Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit: & hostias, & incensum præcepit ut sacrificarent ei. ℣. 46. [d] *Loquens ergo rex ait Danieli.* Hunc locum calumniatur Porphyrius, quod numquam superbissimus rex captivum adoraverit, quasi non & Lycaones obsignorum magnitudinem Paulo & Barnabæ voluerint hostias immolare. Error ergo gentilium, qui omne quod supra se est, deos putant, Scripturæ non debet imputari, quæ simpliciter refert universa quæ gesta sunt. *Actor.* 14. Sed & hoc possumus dicere, quod caussas adorandi & immolandarum hostiarum, & incensi atque sacrificii ipse rex exposuerit, dicens ad Danielem:

[a] Sex alios integros sacri Textus versus subjungunt nostri mss. Porro pro ἀνδριάντι ab ἀνδριὰς nomine, antea legebatur ανδριάντη. Ms. Sangerm. *pro* ἀνδριάντε: quæ inquit Montfauc. si vera lectio sit, sane Hieronymus voci Græcæ terminationem Latinam dederit, ut cum præpositione *pro* quadraret. Palatinus posteriorem licic manum expertus *andriante* præfert Latinis literis.

[b] Vatic. & Palat. *calcantes*.

[c] Confer Præfationem libri XI. in Ezechielem.

[d] Rectius in Vatic. & Palat. mss. verba, *Loquens ergo rex ait Danieli*, desiderantur.

V. 47. *Vere Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & revelans mysteria, quoniam potuisti aperire hoc sacramentum.* Ergo non tam Danielem, quam in Daniele adorat Deum, qui mysteria revelavit. Quod & Alexandrum magnum regem Macedonum, in Pontifice Joiada fecisse [a] legimus. Quod si displicet hoc, dicendum est Nabuchodonosor signorum magnitudine & stupore confusum, quid faceret ignorasse, ut qui Dominum verum intelligebat & Dominum regum, & servum ejus adoraret, & illi adoleret incensum.

V. 48. *Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera magna, & multa dedit ei, [b] & constituit eum principem super omnes provincias Babylonis &c.* Et in hoc calumniator Ecclesiæ (Porphyrius) Prophetam reprehendere nititur, quare non recusarit munera, & honorem Babylonium libenter susceperit: non considerans ideo regem vidisse somnium, & interpretationis mysteria per puerum revelata, ut Daniel cresceret, & in loco captivitatis princeps omnium fieret Chaldæorum, & Dei omnipotentia nosceretur. Quod quidem & in Joseph apud Pharaonem & Ægyptum factum legimus (Gen. 41.): & in Mardochæo apud Assuerum (Esther. 8.), ut in utraque gente haberent captivi & [c] peregrinantes Judæi solatia, videntes hominem gentis suæ Ægyptiorum esse principem vel Caldæorum.

V. 49. *Daniel autem postulavit a rege, & constituit super opera provinciæ Babylonis Sedrach, Misac, & Abdenago. Ipse autem Daniel erat in foribus regis.* Non obliviscitur eorum cum quibus Dominum deprecatus est, & qui secum periclitati fuerant. Itaque facit eos judices provinciarum: ipse autem a regis latere non * recedit. (* al. recessit)

Cap. III. NAbuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex. Velox oblivio veritatis (Velox oblivio veritatis.), ut qui dudum servum Dei, quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi fieri jubeat, ut ipse adoretur in statua. Quod autem aurea [d] sit, & infiniti ponderis, illud in caussa est, ut stuporem videntibus creet, & res inanimata adoretur ut Deus, dum unusquisque suam consecrat avaritiam. Datur autem per occasionem captivorum barbaris nationibus salutis occasio (Coloss. 3.): ut qui primum per Danielis revelationem potentiam cognoverant unius Dei, in trium puerorum quoque fortitudine discant mortem * contemnere, & idola non colere. (* al. debere contemni)

V. 1. *Et statuit eam in campo Dura provinciæ Babilonis.* Pro *Dura*, Theodotio, *Deira*, Symmachus [e] *Durau*, LXX. περίβολον transtulerunt, quod nos *vivarium*, vel *conclusum* locum dicere possumus.

V. 2. *Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus & judices, duces & tyrannos, & præfectos [f] omnesque principes regionum.* Excelsa periculosius stant, & citius corruunt quæ sublimia sunt (Excelsa periculosius stant.). Principes congregantur ad adorandum statuam, ut per principes seducantur & gentes. Qui enim divites sunt & potentes, dum timent carere divitiis & potentia, facilius supplantantur. Seductis autem magistratibus, subditi populi majorum exemplo pereunt.

V. 4 & 5. *Et præco clamabat valenter: Vobis dicitur, populis, tribubus & linguis, in hora qua audieritis sonitum tubæ, &c.* Non quo omnes populi universarum nationum in campo Dura potuerint congregari, & adorare statuam auream, sed quo in principibus cunctarum gentium, omnes gentes, & populi adorasse credantur. Omnem Scripturam sanctam mente percurrens (nisi tamen me fallit oblivio) nequaquam reperio, quod sanctorum quisquam Deum cadens adoraverit (Cadens adorare): sed quiquumque idola, & dæmones, & res illicitas adoraverit, cadens dicitur adorare, ut in præsenti loco non semel, sed crebrius. Et in Evangelio diabolus loquitur ad Dominum: *Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me* (Mat. 4. 9.). Sed & hoc dicendum: omnes hæreticos qui fulgore eloquentiæ sæcularis falsum dogma componunt, auream statuam facere, & quan-

[a] Et est quidem iterum lectu dignissima apud Josephum Antiquitt. lib. XI. cap. 8. num. 5. facti ejus historia; & cum primis Alexandri responsum ad Parmenionem: ὀ τοῦτον προσεκύνησα, τὸν δὲ θεόν, οὗ τῇ ἀρχιερωσύνῃ αὐτὸς τετίμηται. *Non hunc adoravi, sed Deum, cujus ille summo Sacerdotio decoratus est.*

[b] Reliquum versiculum mss. nostri sufficiunt.

[c] Iidem mss. *peregrinantes ex Judæis.*

[d] Victor. *fit* ex tribus Florentiæ mss. excudit.

[e] Antea erat *Duraum*, sicque revera & unus e nostris mss. præferebat. Placuit vero Montfauconii sententia, qui putat factum *m* ex lineola, quæ in antiquiss. Sangermanens. supraponitur *Durau*, cum tamen accentum ibi indicet, non *m*. Verterit Symmachus Δυραῦ, Theod. Δειρᾶ, Vatic. ms. *Theodotio.* ΔΕΙΡΑ. *Sym.* ΔΥΡΥΜ.

[f] Verba *omnesque principes regionum*, Vatic. & Palat. mss. supplent.

quantum in se est, persuasione compellere, ut cadentes adorent idolum falsitatis.

℣. 7. *Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, &c.* Eodem sensu accipiendum quo supra, ut omnes populos intelligamus in principibus. Neque enim adesse universæ simul poterant nationes.

℣. 8. *Statimque & ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos, &c.* Quos præpositos in Babylone regis operibus invidebant, & offendebantur peregrino cultu, & aversione idolorum, nacti occasionem criminantur ad regem. Denique sequitur:

℣. 12. *Sunt ergo viri Judæi quos constituisti super opera regionis Babyloniæ, Sedrach, Misac, & Abdenago, * qui contemserunt decretum tuum.* Et quodammodo sic loquuntur: Quos prætulisti nobis, & captivos ac servos principes esse fecisti, hi elati in superbiam, tua præcepta contemnunt, deos tuos non colunt, & statuam auream quam erexisti, non adorant. Quod in principio hujus visionis diximus, hic manifestius approbatur, alios esse deos Nabuchodonosor, & aliam statuam auream quam in cultum sui jussit erigi: nam & in consequentibus ipse rex loquitur:

* Vulg. *viri isti contemserunt, rex, decretum, &c.*

Deos meos non colitis, & statuam auream quam constitui, non adoratis? &c. Alii hanc dicunt Scripturæ sanctæ consuetudinem, ut unum idolum appellet pluraliter, ut est illud in Exodo de vitulo: *Isti sunt dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* (Exod. 32. 4.) Et in Regum volumine, Jeroboam ponens aureum vitulum in Bethel, idola fecisse narratur. (3. Reg. 12.) Econtrario multa dæmonia singulari numero appellantur, ut in Isaia: *Inclinat se, & adorat illud, & votum faciens dicit: Deus meus es tu.* (Isai. 44. 17.)

℣. 14. *Prosternite vos, & adorate statuam quam feci.* Quanquam in furore præceperit adduci pueros, tamen dat spatium pœnitudinis, ut si ceciderint & adoraverint, prior culpa veniam consequatur: sin autem adorare contemserint, præsens pœna sit fornacis ardentis.

℣. 15. *Et quis est deus qui eripiat vos de manu mea? &c.* Ille videlicet cujus servum dudum adorasti, quem vere Deum deorum, & Dominum regum esse dixisti.

Nabuchodonosor rex, non oportet nos de hac re respondere tibi. ℣. 16. In Hebræo non habet *regem*, [a] sicut in LXX. ne adulari viderentur impio, aut regem vocare eum qui ad iniqua compelleret. Quod si quis contentiosus *regem* quoque legerit: dicemus eo non procaciter regem ad effusionem sui sanguinis provocare, sed ita reddere regi honorem debitum, ut Dei cultus non lædatur. Quod autem ajunt: *Non oportet nos de hac re respondere tibi.* Ille sensus est: non debes audire verba, quorum jam rebus ipsis probabis fortitudinem atque constantiam.

Non adulandum impiis.

Ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis & de manibus tuis, o rex, liberare. ℣. 17. Unde se putaverat terrere pueros, inde cernit in eis materiam fortitudinis. Nec in longum differunt, sed in præsens sibi pollicentur auxilium dicentes: Ecce enim Deus noster quem colimus, ipse nos & de eo, quod minaris incendio, & de tuis potest manibus liberare.

Quod si noluerit: ℣. 18. Pulchre ad id quod dixerant: *Potest eripere nos*, non intulit contrarium, *si non poterit*, sed *si noluerit*: ut non impossibilitatis Dei, sed voluntatis sit, si perierint.

Non licet adorare statuas & imagines regum.

Notum tibi sit, rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexisti, non adoramus. Sive *statuam*, ut Symmachus, sive *imaginem auream*, ut cæteri transtulerunt, voluerimus legere, cultores Dei eam adorare non debent. Ergo judices & principes sæculi, qui imperatorum statuas adorant, & imagines, hoc se facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo. Et notanda proprietas, deos coli, imaginem adorari dicunt, quod utrumque servis Dei non convenit.

Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, [b] & aspectus faciei illius commutatus est. ℣. 19. b In quibusdam Psalmis tituli prænotantur: *Pro his qui commutabuntur.* Sermo igitur commutationis ambiguus est, & de bono in malum, & de malo in bonum. Neque enim commutatio vultus Nabuchodonosor bonæ parti poterit coaptari. Licet quidam & inscriptionem Psalmorum de bono ad malum referant: quod hi qui naturaliter debuerant intelligere Deum, contra-

Titulus Psalmorum quorumdam.

[a] Verba *sicut in LXX.* mss. nostri non agnoscunt.

[b] Hæc vero, *& aspectus faciei illius commutatus est*: iidem mss. sufficiunt.

tra Christum, & sanctos ejus perturbatione mentis, & furore mutati sunt.

V. 20. *Et præcepit ut succenderetur fornax septuplum, quam incendi consueverat:* [a] *& viris fortissimis de exercitu suo jussit ut ligatis pedibus Sedrach, Misac, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardentis.* Quasi non posset simplex, & solitus ignis trium puerorum consumere corpora: sed furor & ira quæ insaniæ proxima est, modum tenere non potest. Et vult eos multiplicis pœnæ comminatione terrere, quos paratos videbat ad mortem.

V. 21. *Et confestim viri illi vincti* [b] *braccis suis, & tiaris, & calciamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis &c.* (סרבל) Pro *braccis* quas Symmachus ἀναξυρίδας, interpretatus est, Aquila & Theodotio *saraballa* dixerunt: & non ut corrupte legitur [c] *sarabara*. (Saraballa.) Lingua autem Chaldæorum *saraballa*, *crura* hominum vocantur & *tibiæ*: & ὁμωνύμως etiam *braccæ* eorum quibus crura teguntur & tibiæ, quasi *crurales* & *tibiales* (Tiara quid.) appellatæ sunt. Tiara autem verbum Græcum est, & usu versum in Latinum; de quo & Virgilius. (Lib. 7. Æneid.)

Sceptrumque sacerque tiara.

Est autem genus pileoli quo Persarum Chaldæorumque gens utitur.

V. 22. *Porro viros illos qui miserant Sedrach, Misac, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* Eos viros scilicet de quibus supra dixerat: *Et viris fortissimis de exercitu suo jussit ut, ligatis pedibus Sedrach, Misac, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis* * *ardentem.* (* al. ardentis) Non ergo fortuito quosquumque ministros perdidit Nabuchodonosor, sed viros fortes de toto exercitu suo & ad bella promtissimos: ut non solum * miraculum pertimesceret, sed exercitus sui damna sentiret. (* al. miraculo)

V. 23. *Viri autem hi tres* * *Sedrach, Misac, & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino. Stans autem Azarias oravit sic, aperiensque os suum in medio* (* Vulg. additur deest) A *ignis ait:* Grande miraculum, ligati mittuntur in fornacem, & cadunt in medium ignis præcipites: ardent vincula quibus ligati sunt, & vinctorum corpora timens flamma non tangit. Hucusque Hebræi legunt: media quæ sequuntur usque ad finem Cantici trium puerorum, in Hebraico non habentur: de quibus ne omnino præterisse videamur, pauca dicenda sunt.

*Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, & * laudabile & gloriosum nomen tuum in sæcula, quia justus es in omnibus quæ fecisti * nobis,* [d] *&c.* V. 26. (* al. laudabilis. * Vulg. in nobis) B Quando diversis premimur angustiis, ex toto cordis hoc loquamur affectu, & quidquid nobis acciderit, juste nos sustinere fateamur, ut compleatur in nobis illud quod scriptum est: *Exultaverunt, & lætatæ sunt filiæ Judæ in omnibus judiciis tuis, Domine.* (Ps. 96. 8.)

V. 29. *Peccavimus enim & inique egimus recedentes a te, & deliquimus in omnibus.* C Et certe tres pueri non peccaverant, nec ejus ætatis erant quando ducti sunt in Babylonem, ut propter sua vitia punirentur. Ergo quomodo hi ex persona populi loquuntur: sic illud Apostoli legendum est: *Non enim quod volo, hoc ago: sed quod nolo, illud operor*, & cætera quæ in eodem loco scripta sunt. (Rom. 7. 19.)

V. 37. *Quoniam, Domine, imminuti sumus plusquam omnes gentes, & sumus humiles in universa terra hodie propter peccata nostra, & non est in tempore hoc princeps, & Propheta, & dux,* [e] *&c.* D His versiculis utendum est, si quando Ecclesiæ propter peccata populi, sanctorum virorum & magistrorum qui in lege Dei doctissimi sunt, sustinent penuriam, & quando in persequutionibus non offertur sacrificium & oblatio. Quidam hunc locum & ad cælestem referunt Jerusalem, quod animæ ad terrena delapsæ, & in loco lacrymarum & confusionis positæ, plangant antiqua delicta, & cætera quæ prophetalis sermo complectitur; sed hæc non recipit Ecclesia Dei. E (Falsa expositio non recepta in Ecclesia Dei.)

Sed

[a] Quæ hinc subsequitur, sacri textus pericopen mss. nostri ignorant, nec eam subnexa postulat expositio.

[b] Iidem mss. & vulg. *cum braccis*.

[c] Corruptum Σαράβαρα est τῶν LXX. Pollucis, Hesychii, Photii, aliorumque. Rectum σαράβαλα, Aquilæ Theodotionis, atque Arabum. Nec est cur vocis originem, quam a Persica lingua plerique derivant, altius repetamus. Monuerat Drusius minus recte scriptum esse in Hieronymo *Saraballa* cum *l* duplici, cum unicum dumtaxat sit in Scriptura Chaldaica, סרבלא. Confer quæ adnotavimus Epistola prima ad Innocentium num. 9. Nam ex varia hujus vocabuli scribendi ratione varia etiam orta interpretatio est. Isidorus lib. 19. c. 23. refert, aliis significare *tegmina capitum*, aliis *fluxa*, *ac sinuosa vestimenta*, quod & ipsi placet.

[d] Addunt nostri mss. *& universa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ & omnia judicia tua vera. Judicia enim vera fecisti juxta omnia quæ induxisti super nos.*

[e] Heic quoque addunt, *neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam.*

V. 39. *Sed in anima contrita & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum & taurorum, &c.* Et ex præsenti loco, & ex eo quod sequitur: *Benedicite, spiritus & animæ justorum, Domino.* (Ps. 50. 19.) Et in Psalmis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit*, sunt (1) qui alium velint esse spiritum in homine, excepto Spiritu Sancto, & aliam animam. Sed laborandum eis erit, quomodo absque carne & gratia Spiritus Sancti duæ substantiæ, & duo interiores homines in uno homine esse dicantur.

(1) Duo interiores homines.

V. 46. *Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem naphtha, & stupa.* Sallustius [a] scribit in historiis, quod naphtha sit genus fomitis apud Persas quo vel maxime nutriantur incendia. Alii ossa olivarum quæ projiciuntur cum amurca arefacta, *naphthan* appellari putant: unde & Græce πυρήνη dicitur ab eo quod πῦρ, id est, ignem nutriat.

V. 49. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, &c.* Oppressa perturbationibus anima, & variis molestiis occupata, quum hominum desperaverit auxilium, & tota ad Dominum fuerit mente conversa, descendit ad eam Angelus Domini, scilicet, sermo divinus, & excutit flammæ æstuantis ardores: ut nequaquam ignita jacula inimici cordis nostri arcana penetrent, nec illius fornace claudamur.

V. 57. & 58. *Benedicite, omnia opera Domini, Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite, Angeli Domini, Domino: laudate & superexaltate, &c.* Generali laudatione præmissa, quod omnis creatura debeat laudare Dominum, in consequentibus per partes singulas cohortatur A Angelos & cælos, aquas, atque virtutes, solem & lunam, imbrem, & rorem, spiritum, ignem & æstum, frigus & cauma, & cætera quæ longum est texere: ita ut fontes quoque & maria, & cete & volucres, bestiasque & pecora ad laudem Domini provocet, & filios hominum, & post omne hominum genus Israelem, & de ipso Israel Sacerdotes & servos Domini, spiritus animasque justorum, sanctos & humiles corde: Et ad extremum B Ananiam, Azariam, Misaelem, qui ad laudem Domini præsenti beneficio provocantur. Omnis autem creatura non voce, sed opere laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter creator intelligitur, & in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur.

Ex creaturis Creator intelligitur.

Benedicite, sancti & humiles corde, &c. V. 87. Humilitatem cordis habere, & præsens versiculus docet, & illud quod in Evangelio dicitur: (Mat. 11. 29.) C *Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Cordis autem illa est humilitas, quæ in alio loco paupertas spiritus appellatur: ut non erigamur superbia, nec ficta gloriam humilitate quæramus: sed toto corde inclinemur. Hucusque de Theodotionis Editione pauca perstrinximus, confessionis & laudum trium puerorum quæ non habentur in Hebræo: exinde sequamur Hebraicam veritatem.

Cordis humilitas commendatur.

D *Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit propere, & ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos.* V. 91. Punitis principibus, rex corripitur, ut vivens glorificet Deum. Interrogat autem optimates suos, quorum accusatione, & consilio tres pueros in ignem fornacis miserat; ut, illis respondentibus se misisse tres pueros in fornacem, iste eis [b] nuntiet & ostendat.

(1) Plotinus, & post eum Apollinarius episcopus ejusmodi stultam sententiam effutierunt, hominem scilicet ex tribus substantiis compositum fuisse, ex carne, anima, & spiritu, sive ut Nemesius refert in *lib. de Nat. Hom. cap.* 1. ex anima, corpore, & intelligentia. Sed & Didimum quoque reprehendit S. Augustinus *lib. de Eccl. Dogm. cap. XX.* quod spiritum, tertium quidpiam in hominis substantia esse opinatus est. Recole Hieronymi nostri Epist. ad Hedibiam *Quæst.* XII. Quod heic subdit *excepto Spiritu Sancto*, Catholicam infert doctrinam, *in hominibus scilicet justis præter animam inhabitare Spiritum sanctum.*

a Minus, opinor, recte nostri mss. *Napta* legunt, aut *Naptha*. Porro quod ait, in Sallustii Historiis de hac fomitis specie scribi, nulla hodie, neque in fragmentorum collectione superest mentio. Jacturam sarcire poterunt Auctores alii, quos inter luculentissime Ammianus Marcellin. cui *Oleum medicum* dicitur lib. XXIII. *In hac*, ait, *regione oleum conficitur Medicum, quo illitum telum, si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu extinguitur rapido) hæserit usquam, tenaciter cremat: & si aqua voluerit abluere quisquam, æstus excitat acriores incendiorum: nec remedio ullo quam jactu pulveris consopitur. Paratur autem hoc modo: Oleum usus communis herba quadam infectum condiunt harum rerum periti, ad* *Qui diuturnitatem servantes, & coalescens durant ex materia vena naturalis similis oleo crassiori. Quæ species gignitur apud Persas, quam, ut diximus, Naphtham vocabulo appellavere gentili.* Et rursum eodem libro: *Hic & Naphtha gignitur, picea specie glutinosa, similisque ipsa quoque bitumini: cui etiamsi avicula insederit brevis, præpedito volatu, submersa penitus evanescit, & cum hoc liquoris ardere cœperit genus, nullum inveniet humana mens, præter pulverem, exstinguendi commentum.* Plinius quoque lib. 2. c. 105. cum de limo quem Maltham vocant, dixisset, subdit: *Similis est natura Naphthæ, ita appellatur circa Babyloniam, & in Austagenis Parthiæ, profluens, bituminis liquidi modo. Huic magna cognatio ignium, transiliuntque protinus in eam undecumque visam. Ita ferunt, a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat corona igne rapta.* His addas e Græcis Strabonem lib. 16. ubi ex Eratosthene, Asphalti tradit alteram esse speciem, quam *Naphtham* vocant, ejusque admirabilem vim flammeam describit. Sed & Plutarch. in Alexandro, Xiphilinus ex Dione, Dioscorides lib. 1. Procopius lib. 5. de bello Vandal. Suidas non uno in loco, aliique de *Naphtha* loquuntur, quos describere non vacat.

b Victorius *quartum* heic interserit, sive *eis quartum nuntiet* &c. Sed mss. minime suffragantibus.

V. 92. *Qui respondentes regi dixerunt : Vere rex. Respondit * rex, & ait : Ecce ego video viros quattuor solutos, & ambulantes in medio ignis : & nihil corruptionis in eis est, & species quarti [a] similitudo filii Dei.* Rursum dicam : O quam sapiens ignis, quam inenarrabilis Dei potentia : vinculis stricta sunt corpora, uruntur vincula, corpora non uruntur. Speciem autem quarti quem similem dicit filio Dei, vel Angelum debemus accipere, ut Septuaginta transtulerunt, vel certe, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem. Sed nescio quomodo rex impius Dei Filium videre mereatur. Ergo juxta Symmachum qui interpretatus est : *Species autem quarti similitudo filiorum*, non Dei, sed deorum, Angeli sentiendi sunt, qui & dii, & deorum vel Dei filii sæpissime nuncupantur. Hoc juxta historiam. Cæterum in typo præfigurat iste Angelus sive filius Dei Dominum nostrum Jesum Christum qui ad fornacem descendit inferni, in quo clausæ, & peccatorum & justorum animæ tenebantur, ut absque exustione, & noxa sui eos qui tenebantur inclusi mortis vinculis liberaret.

* Vulg. tacet *rex*

Dominus Salvator in fornace cum tribus pueris, juxta quosdam.

Angeli dii sæpius nuncupantur.

Christus descendit ad fornacem inferni.

V. 93. *Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait : Sedrach, Misac, & Abdenago servi Dei excelsi, egredimini & venite. Statimque egressi sunt Sedrach, Misac, & Abdenago de medio ignis.* Pavore perterritus, non per nuntios quærit a pueris, sed ipse eos ex nomine vocat, servos Dei excelsi appellans, & petens ut ad se egrediantur quos vinctos in fornacem miserat.

V. 95. *Benedictus Deus * Sedrach, Misac, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit servos suos qui crediderunt in eum, &c.* Quem supra filium Dei, hic Angelum vocat, * quanquam in superioribus similitudo filii Dei non veritas appellata sit. Rursum ergo Nabuchodonosor Dei confessionem recipit, & damnatis idolis laudat tres pueros, qui noluerunt servire, & adorare omnem Deum, excepto Deo suo, & miratur quod sanctos Dei ignis tangere non potuerit. Quod autem ait :

* Vulg. addit *eorum* & *videlicet*

* al. *qui*

V. 96. *A me ergo * propositum est hoc decretum : ut omnis populus, tribus & lingua quæqumque loquuta fuerit blasphemiam contra Deum Sedrach, Misac, & Abdenago, dispereat, & domus ejus vastetur. Neque enim est deus alius qui possit ita salvare.* Quidam pessime ad diabolum referunt, quod in consummatione, & fine mundi etiam ipse recipiat notitiam Dei, & omnes ad pœnitentiam cohortetur, & hunc volunt esse regem Ninive qui novissime descendit de throno superbiæ, & humilitatis præmia consequutus sit.

* Vulg. *positum*.

Carpit Origenem sive ejus discipulos.

V. 97. *Tunc rex promovit Sedrach, Misac, & Abdenago in provincia Babylonis.* Qui dicunt supra tres pueros non judices provinciarum, sed præfectos operum singulorum fuisse in Babylone, hic volunt etiam eos provinciarum judices constitutos.

V. 98. 99. & seqq. *Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in universa terra : pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus : placuit ergo mihi prædicare ejus signa, quia magna sunt, & mirabilia ejus, quia fortia, & regnum ejus, * quia regnum sempiternum, & potestas ejus in generatione & generationem.* Epistola Nabuchodonosor in Prophetæ volumine ponitur : ut non fictus ab alio postea liber sicut * sycophanta mentitur, sed ipsius Danielis esse credatur.

* Vulg. tacet *quia*

* Porphyrius.

Cap. IV. EGo *Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo.* Historia quidem manifesta est & non magna interpretatione indiget, quod ad offensam Dei Nabuchodonosor versus in amentiam, septem annis inter bruta animalia vixerit, & herbarum radicibus alitus sit, ac postea misericordia Dei restitutus in regnum, laudaverit & glorificaverit regem cæli, quia omnia opera ejus vera ; & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare. Sed qui volunt per Nabuchodonosor contrariam intelligere fortitudinem, de qua Dominus loquitur in Evangelio : *Videbam satanam quasi fulgur cadentem de cælo.* Et Joannes in Apocalypsi, quod draco cadens in terram, tertiam partem stellarum secum traxerit. Et Isaias : *Quomodo cecidit lucifer, qui mane oriebatur?* asserunt nequaquam potuisse fieri, ut fœno per septem annos vesceretur homo qui nutritus est in deliciis, & septem annis absque ulla laceratione corporis sui, inter bestias vixerit. Et quomodo amenti homini per septem annos impe-

Luc. 10. 18.

Apoc. 12.

Isai. 14. 12.

[a] Victor. *similis filii Dei* ad Vulgatæ lectionem, subnexa expositione tantum non renuente.

imperium reservatum sit, regnumque potentissimum absque rege tanto tempore fuerit: aut si alius illi successerit in regnum, cujus vecordiæ æstimandus sit, ut cederet imperio, quod tanto tempore possidebat: præsertim quum historiæ Chaldæorum nihil tale contineant; nec potuisse fieri, ut qui de minoribus scripserant, majora reticerent. Hæc autem omnia [a] quærunt & replicant: ut quum historia non steterit, per Nabuchodonosor diabolus significetur. Quod nos nequaquam recipimus, ne omnia quæ legimus, umbræ videantur & fabulæ. Quis enim amentes homines non cernat instar brutorum animantium in agris vivere locisque sylvestribus? Et ut cuncta prætercam, quum multo incredibiliora, & Græcæ & Romanæ historiæ accidisse hominibus prodiderint; Scyllam quoque & Chimeram, Hydram, atque Centauros, aves & feras, flores & arbores, stellas & lapides factos ex hominibus narrent fabulæ: quid mirum est si ad ostendendam potentiam Dei, & humiliandam regum superbiam, hoc Dei judicio sit patratum? Quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo sive IN THRONO, ut interpretatus est Theodotio. Domum autem diaboli, qui sensum sequuntur contrarium, mundum istum intelligunt. De quo & in Evangelio ipse loquitur ad Salvatorem: *Hæc*
Matt. 4. 9. *omnia mihi tradita sunt*. Et Apostolus dicit: *Mundus in maligno positus est*. 1. Joann. 5.

ỽ. 2. *Somnium vidi quod perterruit me: & cogitationes meæ in stratu meo, &c.* Respondeant quale somnium viderit contraria fortitudo: nisi forte omne quod in hoc mundo habere videtur, umbra & somnium est.

Et visiones capitis mei conturbaverunt me. Nota quod & Nabuchodonosor visiones non oculorum & cordis, sed capitis noverit: quia propter gloriam servorum Dei, futurorum illi mysteria revelantur.

ỽ. 6. *Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, [b] cui nomen Balthasar secundum nomen Dei mei*. Exceptis LXX.

A translatoribus, qui hæc omnia nescio qua ratione præterierunt, tres reliqui, [c] *collegam*, interpretati sunt. Unde judicio magistrorum Ecclesiæ, Editio eorum in hoc volumine repudiata est; & Theodotionis vulgo legitur, quæ & Hebræo, & cæteris translatoribus congruit. Unde & Origenes in nono Stromatum volumine asserit se quæ sequuntur ab hoc loco in Propheta Daniele, non juxta Septuaginta interpretes, qui multum ab
B Hebraica veritate discordant; sed juxta Theodotionis Editionem disserere.

Qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: & somnium coram ipso loquutus sum, &c. Pro eo quod hic dicitur, deorum sanctorum, lingua Chaldaica, qua scriptus est Daniel, legimus ELAIN CADISIN, quod *Deos sanctos*, & non *Deum sanctum* significat, ut Theodotio interpretatus est. Nec mirum si erret Nabuchodonosor; & quidquid super se cernit, non Deum, sed deos arbitretur. Denique & in consequentibus: *Balthasar*, inquit, *princeps Hariolorum, quem ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te*. Balthasar princeps hariolorum sive incantatorum, ut alii interpretati sunt. Non mirum si princeps Hariolorum omnium constitutus sit, qui ad præceptum regis sapientiam didicerat Chaldæorum; & decuplum omnium sapientior fuerat inventus. Quæramus ab his qui in hac visione non recipiunt historiam, quis iste sit Nabuchodonosor qui somnium viderit; & quis Deniel qui somnium ejus edisserat, & ventura prædicat; & quomodo hic ipse Daniel, qui utique juxta eos, sancta intelligenda est fortitudo, a Nabuchodonosor princeps Hariolorum ejus constituitur & collega appellatur?

Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia, &c. Non solum de Nabuchodonosor rege Chaldæorum, sed de omnibus impiis Propheta loquitur: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani*: qui non virtutum magnitudine, sed sua elevantur superbia: & ideo exciduntur, & corruunt.

אלהין קדישין

ỽ. 7.

Ps. 36. 35.

[a] Ita quibus utimur Mss. & Vict. ex vetustioribus vulgatis præferunt. Martian. cum Erasm. *quærant & replicent*.

[b] Palat. Omisso reliquo versu, continuo subdit: *Cæteri similiter, exceptis LXX. qui hæc omnia nescio qua ratione præterierunt. Unde judicio &c.*

[c] Non collegam, sed alterum, sive non ἑταῖρον sed ἕτερον legerunt veteres, & nominatim Chrysostomus ac Theodoretus. Estque illa interpretatio, sive quæ amicum aut collegam præfert, longiora Chaldaica veritate: quare visus est doctis viris Hieronymus codicibus usus parum emendatis, ut acciperet *collegam* pro *altero* sive ἑταῖρον pro ἕτερον in Græco legeret. Potuit vero Nabuchodonosor Danielem eo nomine collegam voluisse appellare, quia alter ipse & secundus a Rege esset. Notum quippe illud Clementis Alexandr. effatum Cent. secundo ὁ δὲ ἑταῖρος ἕτερος ἐγώ. Denique Origenes Homil. 18. in Numeros, *Relegamus ea quæ in Daniele scripta sunt de ipso Daniele, & tribus amicis ejus*: scripserat Græce ἑταίροις.

ruunt. Unde bonum eſt illud ſectari quod Dominus docet in Evangelio: *Diſcite a*
Matt. 11. 29. *me, quia mitis ſum & humilis corde*. Quod autem ait juxta Theodotionem, τὸ κῦτος, id eſt, altitudo ejus, ſive ἡ [a] κυρεία, ut poſtea ipſe interpretatus eſt, id eſt, *dominatio*, pro quo nos vertimus, *aſpectus ejus*, iidem contemtores hiſtoriæ calumniantur, quod nequaquam dominatio Nabuchodonoſor regis orbem terrarum poſſederit. Neque enim Græcis & Barbaris, cunctiſque Septentrionis & Occidentis nationibus imperavit, ſed tantum Orientis provincias tenuit, id eſt Aſiam; non Europam & Libyam. Ex quo intelligi volunt cuncta ad diabolum referenda eſſe: quum hæc omnia nos hyperbolice dicta debeamus accipere, ob ſuperbiam regis impii, qui tantum gloriatur in Iſaia, ut cælum ſe tenere jactet; & orbem terrarum quaſi nidum & ova volucrum. (Iſai. 14.)

V. 10. *Et ecce vigil & ſanctus de cælo deſcen-*
& 11. *dit, clamavitque fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, &c.* Pro VIGILI Theodotio ipſum Chaldaicum verbum poſuit HIR, quod per tres litteras AIN, JOD & RES ſcribitur (עיר): ſignificat autem Angelos quod ſemper vigilent; & ad Dei imperium ſint parati. Unde & nos crebris pernoctationibus imitamur Angelorum officia (Imitamur Angelorum officia, &c.). Et de Domino dicitur (Pſ. 120. 4.): *Non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael*. Denique in conſequentibus legimus, *In ſententia vigilum*, hoc eſt, *Angelorum, decretum: & ſermo ſanctorum & petitio*. Conſuetudo autem Græci [b] Latinique ſermonis ἶριν vocat, quæ per multicolorem arcum ad terras deſcendere dicitur. (Iris dicta.)

V. 16. *Tunc Daniel cujus nomen Balthaſar, cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi hora una: & cogitationes ejus conturbabant eum. Reſpondenſque rex ait: Balthaſar, ſomnium, & interpretatio ejus, non conturbet te. Reſpondit Balthaſar & dixit:* Tacitus intellexit Daniel ſomnium eſſe contra regem: & timorem cordis vultus pallore ſignabat: dolebatque pro eo qui ei plurimum honoris detulerat. Et ne videretur inſultare atque lætari contra hoſtem regem: denique deteſtatus id quod intelligebat, loquitur ad eum.

Domine mi [c], *ſomnium hoc his qui te oderunt, & interpretatio ejus hoſtibus tuis ſit*. Videns ergo Nabuchodonoſor eum metuere: ne ſiniſtrum quid atque contrarium contra regem dicere videretur: cohortatur eum ut ſimpliciter & vere loquatur quod intelligit; nec quicquam metuat.

Arborem quam vidiſti ſublimem atque V. 17.
robuſtam, cujus altitudo pertingit ad cælum, &c. Abſque regis injuria explicat veritatem: ut non eum ſuperbiæ, ſed potentiæ videatur arguere.

Et vinciatur ferro, & ære in herbis fo- V. 20.
ris, & rore cæli conſpergatur: & cum feris ſit pabulum ejus, donec ſeptem tempora commutentur ſuper eum. Et ſupra ſimiliter ſcriptum eſt. Quærunt ergo a nobis qui hiſtoriæ contradicunt: quomodo in vinculo ferreo, & æreo fuerit Nabuchodonoſor: aut quis eum vinxerit, & compedibus alligaverit: cum perſpicuum ſit omnes furioſos ne ſe precipitent, & alios ferro invadant, catenis ligari.

Hæc eſt interpretatio ſententiæ altiſſimi, V. 21.
quæ pervenit ſuper Dominum meum regem: & 22.
Ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua, &c. Auſteritatem ſententiæ, verborum temperat blandimentis: *ut cum dura præceſſerint, (* al. &) mitioribus repromiſſis * relevet animum (* al. relevat.) territi. Denique infert.

Regnum tuum tibi manebit, poſtquam V. 23.
cognoveris poteſtatem eſſe cæleſtem. Unde (Origeniſtæ.) hi qui hiſtoriæ contradicunt, & volunt diabolo reddi priſtinam dignitatem, in hoc loco velificant: quod poſt tormenta, poſt efferationem, poſt herbarum & fœni cibos, & ſeptem annorum circulos, confiteatur Dominum, & ſit qui prius fuerat. Qui reſpondere debent quomodo congruat, ut Angeli qui numquam corruerant, eum rurſus principem habeant qui per pœnitentiam ſit reverſus.

Quamobrem rex conſilium meum placeat V. 24.
tibi, & peccata tua eleemoſynis redime; & ini-

[a] Palat. ΚΥΡΙΩΤΕC, ex quo malim profecto reponi in textu κυριότης pro κυρεία, minus proprio, minuſque eleganti ad dominationem ſignificandam vocabulo.

[b] Quaſi nempe in Chaldæo ſcriberetur איר cum aleph, non עיר cum hain, Veteres eam vocem interpretati ſunt *ſplendorem*, aut *lucem*. Chryſoſtomus in hunc locum ὀραφησὶν εἲρ φῶς μέγα, καὶ λαμπηδόνα. *Vide, Ir vocat lumen magnum & ſplendorem*. Et Suida εἲρ λαμπηδών, *Ir*, *ſplendor*. Unde & Nazanzenus quamquam Angelos ſignificari quemadmodum & Hieronymus doceat, non tamen ille ex eo *quod ſemper vigilent*, ſed ex eo quod luceant, exponit. Ipſum denique איר Jobi 36. 30. vertunt LXX. in vetuſtiore ſaltem Alexandrino exemplari τόξον, ideſt *arcum*, quem cæleſtem, ſive Iridem paſſim accipiunt loci ejus interpretes. Sed & in præſenti Danielis pro *Ir* Origenes *Irin* ſive Ἶριν legit.

[c] Ad Vatic. & Palat. MSS. fidem expunximus additum *rex*, quod & Victor. adnotaverat in Vulgata, Chaldaico, Græcoque codicibus non haberi.

& iniquitates tuas, misericordiis pauperum, forsitan ignoscat Deus delictis tuis. Si prædixit sententiam Dei, quæ non potest immutari, quomodo hortatur ad eleemosynas, & misericordias pauperum, ut Dei sententia commutetur? Quod facile solvitur Ezechiæ regis exemplo,
Isai. 38. quem Isaias dixerat esse moriturum; &
Jona 3. Ninivitarum, quibus dictum est: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Et tamen ad preces Ezechiæ, & Ninive, Dei sententia commutata est: non vanitate judicii, sed eorum conversione,
Jer. 18. qui meruere indulgentiam. Alioquin & in Jeremia loquitur Deus se mala minari super gentem; & si bona fecerit, minas clementia commutare. Rursum bona agenti se asserit polliceri; & si mala fecerit, dicit se suam mutare sententiam: non in homines, sed in opera quæ mutata sunt. Neque enim Deus hominibus; sed vitiis irascitur: quæ quum in homine non fuerint, nequaquam punit quod mutatum est. Dicamus & aliter: Fecit quidem Nabuchodonosor juxta Danielis consilium misericordias in pauperes; & idcirco usque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia: Sed quia postea ambulans in aula Babylonis, gloria-
[a] tur & dicit: *Nonne hæc est Babylon [a] magna, quam ego ædificavi in domum regni; in robore fortitudinis meæ in gloria nominis mei?* bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ.

Forsitan ignoscet Deus delictis tuis, Quum beatus Daniel præscius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temera-
Non temere indulgentia peccatoribus pollicenda. Jer. 28. riam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Et tamen sciendum quod si Nabuchodonosor bona opera facienti venia repromittitur; multo magis aliis promittitur qui leviora peccata commiserunt. Legimus & in Jeremia præceptum populo Judæorum; ut orent pro Babyloniis; quia in pace eorum, sit pax captivorum.

V. 28. *Quum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo irruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum tuum * transiet a te;* (* al. transiit) *& ab hominibus ejicient te,* Arrogans gloriatio statim punitur a Domino. Et ideo non differtur sententia, ne videatur misericordia in pauperes minime profuisse. Sed statim ut loquutus est per superbiam, perdidit regnum quod A ob eleemosynas fuerat reservatum.

Donec scias quod dominetur excelsus in V. 29.
regno hominum. Magna miseriæ consolatio, quando in tormentis positus, scit prospera secutura: quamquam Nabuchodonosor tanti furoris sit & amentiæ, ut malorum tempore, bonorum quæ ei Deus promiserat, non fuerit recordatus.

Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cæ- V. 31.
lum levavi: & sensus meus redditus est mihi. Nisi oculos levasset ad cælum, B sensum pristinum non recepisset. Quando autem dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem.

Et regnum ejus in generatione & generatione. Si hoc quod in Scripturis dicitur, in generatione & generatione, simpliciter accipimus pro eo quod est, *in omnia futura tempora*, nulla quæstio est. Sin autem (ut sæpe diximus) generatio & generatio, duas generationes C significat, Legis, & Evangelii, quærendum est, quomodo Nabuchodonosor Dei sacramenta cognoverit. Nisi forte hoc dicamus, quod postquam oculos ad cœlum levavit, & recepit pristinum statum, & exaltavit & benedixit Deum viventem in sempiternum, etiam hoc non ignoraverit.

Juxta voluntatem enim suam facit tam V. 32.
[b] in virtutibus cæli, quam in habitatori- [b]
bus terræ, &c. Et hoc loquitur quasi homo sæculi. Non enim quod vult, hoc D facit: sed quod bonum est, hoc vult Deus. Nabuchodonosor autem sic loquutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit.

Et optimates mei, & magistratus mei V. 33.
requisierunt me, & in regnum meum restitutus sum: & magnificentia amplior addita est mihi. Ergo juxta eos qui historiæ contradicunt, omnes Angelicæ fortitudines requisituræ sunt diabolum; & E in tantam crescet potentiam, ut qui quondam adversus Deum superbierat, major futurus sit, quam fuit ante peccatum.

Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, V. 34.
& magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia & gradientes in superbia potest humiliare. Intellexit Nabuchodonosor, quare septennii pœnas sustinuerit; & idcirco

[a] Pro *magna*, quam vocem facet Textus tacet, Victorius substituit *civitas*.

[b] MSS. nostri *tam in cælo quam in terra*.

co se humiliatum, quia contra Deum superbierit.

Caput V. BAlthasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: & unusquisque secundum suam bibebat ætatem. Sciendum est non hunc esse filium Nabuchodonosor, ut vulgo legentes arbitrantur; sed juxta [a] Berosum, qui Chaldæam scripsit historiam, & Josephum, qui Berosum sequitur, post Nabuchodonosor qui regnavit annis quadraginta tribus successisse in regnum ejus filium qui vocabatur Evilmarodach, de quo scribit Jeremias (Jerem. 52.), quod in primo anno regni sui levaverit caput Joachin regis Judæ, & eduxerit eum de domo carceris. Refert idem Josephus, quod post mortem Evilmarodach, in regnum patris successerit filius ejus Neglisar: post quem rursum filius ejus [b] Labosordach: quo mortuo Balthasar filius ejus regnum tenuerit, quem nunc Scriptura commemorat: quo interfecto a Dario rege Medorum, qui Cyri regis Persarum avunculus fuit, & Cyro Persa (quæ duo regna Isaias (Cap. 21.) ascensorem bigæ, cameli, & asini vocat) destructum esse imperium Chaldæorum. Quod quidem & Xenophon in Cyri majoris scribit infantia: & Pompejus Trogus, & multi alii qui barbaras scripsere historias. Hunc Darium in Græcis voluminibus quidam * Astyagen, alii Astiagis filium putant, & alio apud eos appellari nomine. *Unusquisque autem principum vocatorum juxta suam bibebat ætatem:* Sive ut cæteri interpretes transtulerunt: *Bibebat ipse rex vinum coram cunctis principibus quos vocaverat.*

* al. Astyagen

V. 2. *Præcepit ergo jam tumulentus, ut afferrentur vasa aurea atque argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de Templo quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis rex, &c.* Tradunt Hebræi hujusmodi fabulam: usque ad septuagesimum annum, quo Jeremias captivitatem populi Judæorum dixerat esse solvendam, de quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur, irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumque promissum, versus in gaudium, fecerit grande convivium, insultans quodammodo spei Judæorum, & vasis Templi Dei, sed statim ultio consequuta est. Quod autem Balthasaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus sanctæ Scripturæ consuetudinem: qua patres, omnes proavi & majores vocantur. (Consuetudo Scripturæ.) Et hoc considerandum, quod sobrius ista non faciat; sed temulentus, oblitusque pœnæ quæ Nabuchodonosor proavum illius consequuta est.

Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, & æreos, ferreos, ligneosque & lapideos. V. 4. Quanta stultitia! in aureis vasis bibentes, deos ligneos laudabant & lapideos. Quamdiu vasa fuerunt in idolio Babylonis, non est iratus Dominus: videbantur enim rem Dei secundum pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrasse: postquam autem humanis usibus divina contaminant, statim pœna sequitur post sacrilegium. Laudant autem deos suos, insultantes Deo Judæorum; quod illis victoriam tribuentibus, bibebant in vasis ejus. Juxta Tropologiam, hoc dicendum est: quod omnes Hæretici, & doctrina contraria veritati, quæ assumit verba Prophetarum; & testimoniis divinæ Scripturæ abutitur ad sensum suum; & dat bibere his quos decipit, & cum quibus fornicata est: tollat vasa Templi Dei, & inebrietur in eis: & non Deum cujus vasa sunt, sed deos laudet aureos & argenteos, & æneos, & ferreos, ligneosque & lapideos. Aurei mihi videntur [c] hi qui sæculari ratione compositi sunt. Argentei, qui habent eloquii venustatem, & Rhetorica arte constructi sunt. Qui autem inferunt fabulas Poetarum, & vetustis utuntur traditionibus, habentes inter se multam vel elegantiæ vel stultitiæ differen-

[a] Confer Berosi locum apud Josephum lib. 1. contra Appionem cap. 20. Hunc enim postremum Regem, quem *Nabonidum* vocat Berosus, Balthasarem appellat Hieronymus, & filium Labosordachi facit, Berosus hominem quendam dicit ex Babylone ex eadem gente. Sed & major infra dissensio inter utrumque est, quod hunc S. Doctor *interfectum a Dario rege Medorum*, dicit, *qui Cyri regis Persarum avunculus fuit*. Berosus autem septimo decimo Nabonidi anno Cyrum impetum in Babyloniam fecisse, unde fugatum Nabonidum inclusum fuisse in Busippensium civitate, atque inde expulsum impetrasse a victoris Cyri clementia, ut sibi darentur οἰκητήριον Καρμανίαν, *habitaculum in Carmania*, ibique τὸ λοιπὸν τοῦ χρόνου διαγενόμενος ἐν ἐκείνῃ τῇ χώρᾳ κατέστρεψε τὸν βίον, reliquum scilicet vitæ tempus exegit in eaque provincia diem obiit supremum.

[b] Palat. constanter hunc vocat *Laborsedech*: Vatic. *Laborsardech*.

[c] In iisdem Mss. *Dii* pro *hi*.

ferentiam, isti vocantur ænei & ferrei. Qui autem penitus inepta proponunt, lignei appellantur & lapidei. Quos omnes in duas partes Deuteronomium dividit, scribens: *Maledictus qui facit sculptile, & conflatile, opus manuum artificis, & ponit illud in abscondito*. Abscondunt enim omnes hæretici, & operiunt mendaciorum suorum dogmata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Deut.27.15.

℣. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ. Et rex aspiciebat articulos manus scribentis*. Pulchre dixit: *In eadem hora*, sicut & supra legimus de Nabuchodonosor: *quum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo ruit;* ne ob aliud sibi illata supplicia, sed ob blasphemiam cognosceret. Videntur autem digiti in pariete scribere contra candelabrum: ne & manus, & id quod scribebantur, longius a lumine non parerent. Et scribunt in pariete aulæ regiæ, ut intelligat rex ad se pertinere quod scribitur.

℣. 6. *Tunc facies regis commutata est &c.* Et hic notandum propter eos Psalmos qui habent titulos: *Pro his qui commutabuntur*, quod immutatio non solum sancti, sed & peccatoris quoque sit. Nam & in consequentibus legimus: *Rex Balthasar satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est*.

℣. 7. *Exclamavit itaque rex fortiter, ut introducerent Magos, Chaldæos, & Haruspices, &c.* Oblitus eorum quæ Nabuchodosor acciderant, antiquum & inolitum suæ gentis sequitur errorem: ut non Dei Prophetam, sed Magos, & Chaldæos & Haruspices vocet.

Purpura vestietur: & torquem auream habebit in collo. Rem quidem facio ridiculam, ut in expositione Prophetarum de verborum generibus quasi grammaticus disputem: sed quia a quodam nihil sciente, & omnia pollicente reprehensus sum, cur torquem genere feminino trastulerim, breviter annotabo, quod [a] Cicero & Maro torquem in genere feminino, Titus Livius masculino dixerint. (Torques gen. masc. & fem.)

Et tertius in regno meo erit, &c. Vel tertius post me, vel unus ex tribus principibus, quos alibi τριστάτας legimus.

Regina autem pro re, quæ acciderat regi & optimatibus ejus, domum convivii ingressa est, &c. Hanc Josephus aviam Balthasaris, Origenes matrem scribunt: unde & novit præterita, quæ rex ignorabat. Evigilet ergo Porphyrius, qui eam Balthasaris somniatur uxorem, & illudit plus scire, quam maritum.

Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se. Præter Symmachum, qui Chaldaicam veritatem sequutus est, cæteri *spiritum Dei* interpretati sunt. ℣. 10.

Et in diebus patris tui sapientia & scientia inventæ sunt in eo, &c. Patrem vocat Nabuchodonosor, ut supra diximus, proavum ejus, secundum consuetudinem Scripturarum. Imitanda autem est sancti viri & inter barbaros conversatio, quum regis avia vel mater pro virtutum magnitudine tantis eum laudibus elevet.

Ad quæ respondens Daniel ait coram rege: Munera tua sint tibi: & dona domus tuæ alteri da, &c. Æmulemur Danielem, regis dignitatem & munera contemnentem, qui absque pretio proferens veritatem jam illo tempore præceptum Evangelicum sequebatur: *Gratis accepistis, gratis date*. Alioqui, & tristia nuntiantem, indecens erat libenter dona suscipere. ℣. 11.

Quos volebat, interficiebat, & quos volebat, percutiebat: quos volebat, exaltabat, & quos volebat humiliabat. Nabuchodonosor proavi ponit exemplum: ut & Dei justitiam doceat, & propter superbiam etiam pronepotem similia sustinere confirmet. Si autem Nabuchodonosor quos volebat, interficiebat, & quos volebat, percutiebat; quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat: in hujuscemodi honoribus, & percussionibus, exaltatione & humiliatione, non est Dei providentia, nec præceptum: sed eorum voluntas qui percutiunt quos voluerint, & exaltant, & reliqua. Quod quum ita sit, quærendum est, quo sensu illud legatur: *Cor regis in manu Dei: quoquumque voluerit, illud declinabit*, nisi forte sanctum quemque dica- ℣. 19. Prov. 21 1. Rom. 6.

[a] Invenias econtrario saltem apud Ciceronem exempla, ut est illud notissimum 3. Offic. c. 31. de Manlio, *qui torque detracto, Torquati nomen invenit*.

camus regem, cujus non regnat peccatum in mortali corpore, & cujus ideo servatur cor, quia in manu Dei est. Quidquid autem in manu Dei Patris fuerit juxta Evangelium, nullus potest rapere ex ea, & quiquumque raptus fuerit, intelligitur in manu Dei non fuisse.

V. 22. *Tu quoque, filius ejus Balthasar, non humiliasti cor tuum quum scires hæc omnia: sed adversum dominatorem cæli elevatus es, &c.* Proavus tuus, quia elevatum est cor ejus, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus
Jac. 4. est de solio regni sui & gloria ejus ablata est & reliqua. Et tu igitur quum hæc de parente cognovisses, & scires quod superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam, non debueras adversus dominatorem cæli elevare cor tuum, & insultare majestati illius, & ea facere quæ fecisti. Hunc locum quidam ad Antichristum referunt, quod imitatus patris sui diaboli superbiam, contra Deum erectus sit. Sed quærendum est ab eis, quis sit Daniel qui eis scripturam Dei interpretetur, & qui Medi & Persæ occidentes eum, & succedentes in regnum ejus. Nulli enimdubium, quin post Antichristum sancti regnaturi sint.

V. 25. *Hæc est autem scriptura quæ digesta est:* MANE, THECEL, PHARES. *Et hæc interpretatio sermonis:* MANE, *numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud.*
* Vulg. appensus & inventus es THECEL, * *appensum est in statera, & inventum est minus habens.* PHARES, *divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Tria tantum verba in
a pariete [a] scriptura signaverat: *Mane, Thecel, Phares*, quorum primum, *numerum*, secundum, *appensionem*, tertium, *divisionem* sonat. Non solum ergo lectione opus fuit, sed interpretatione eorum quæ legerat: ut intelligeret quid hæc verba prædicerent: quod scilicet numerasset Deus regnum illius atque complesset, & apprehendisset in statera judicii sui: & ante eum jugularet gladius, quam natura dissolveret, & imperium ejus in Medos divideretur & Persas. Cyrus enim, ut ante jam diximus, rex Persarum, juncto sibi Dario avunculo, subvertit imperium Chaldæorum.

Tunc jubente rege indutus est Daniel purpura & circundata est torques aurea collo ejus, & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno. Sive tertiæ partis regni. Accepit autem insigne regium, torquem & purpuram, ut Dario qui erat successurus in regnum fieret notior, & per notitiam honoratior. Nec mirum si Balthasar audiens tristia, solverit præmium, quod pollicitus est. Aut enim longo post tempore credidit ventura quæ dixerat: aut dum Dei Prophetam honorat, sperat se veniam consequuturum. Quam si non impetravit, majus fuisse credendum est sacrilegium in Deum, quam honorem in hominem. V. 29.

Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos. V. 30.
Josephus scribit in decimo Judaicæ antiquitatis libro, obsessa Babylone a Medis & Persis, Dario videlicet & Cyro, in tantam venisse Balthasar regem Babylonis oblivionem sui, ut celeberrimum iniret convivium, & in vasis Templi biberet, & obsessus vacaret epulis. Unde potest stare historia, quod eadem nocte sit captus atque jugulatus: dum omnes aut visionis interpretationisque pavore terrentur, aut occupati sunt festivitate, & ebrietate convivii. Quod autem vincente Cyro rege Persarum, & Dario rege Medorum solus Darius successisse in regno scribitur, ordo ætatis, & propinquitatis, & regni est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat: majus regnum Medorum quam Persarum legimus: & avunculus qui prior erat jure naturæ, successor regni debuit numerari. Unde & in visione quæ contra Babylonem in Isaia legitur, post multa quæ longum est ponere, hæc futura narrantur: *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis parvulos interficiant, & lactantibus [b] uteris non misereantur.* Et Je- Isai. 13. 17.
remias: *Sanctificate*, inquit, *contra eam gentes, reges Mediæ, duces ejus, & universos magistratus ejus cunctamque terram potestatis illius.* Et in consequentibus: b Jer. 51. 28.
Filia Babylon quasi area, tempus trituræ ejus: adhuc modicum, & veniet tempus messionis ejus. Quod autem in convivio capta v. 33.

a Ita Victorius restituit ex Brixianis codd. Mart. *scripta* cum Erasmo retinuit.

b Victorius *lactentibus uteri*. Sic enim, ait, Textus vocat lactentes uteri infantulos. Fructum ventris est in Hebræo. Nec de matribus, quæ lac præberent, sed de parvulis qui illud sugerent, dicitur.

capta sit Babylon, quam hortatur ad pugnam, manifestius scribit Isaias: *Babylon dilecta mea facta est mihi in miraculum: pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite principes, arripite clypeum.* (Isai. 21. 4. & 5.)

(Cap. VI.) *Placuit Dario, & constituit supra regnum Satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo: & super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat.* Josephus de quo supra diximus, hujus loci scribens historiam, ita loquutus est: Darius [a] autem qui Babyloniorum destruxit imperium, juvante se, & pariter dimicante Cyro propinquo suo, annum vitæ agebat sexagesimum secundum, quando cepit Babylonem: eratque filius Astyagis, qui altero apud Græcos * vocabatur nomine: tulitque secum Danielem Prophetam, & adduxit in Mediam, & unum fecit e tribus principibus, qui universo regno ejus præerant. Ex quo intelligimus subversa Babylone, Darium reversum esse ad regnum suum in Mediam, secumque adduxisse Danielem in honore eodem, quo a Balthasar * provectum acceperat. Nec ambiguum est, audisse eum signum atque portentum, quod Balthasar acciderat, & interpretatione quam Daniel exposuerat, & quomodo Medorum regnum Persarumque prædixerit. Nemo ergo perturbetur, quod nunc in regno Darii, nunc in regno Cyri, Daniel fuisse dicatur. Pro Dario, Septuaginta Artaxerxen interpretati sunt. Quod autem ordo præposterus est, ut ante sub Dario narretur historia, quam sub Balthasar, quod postea lecturi sumus, qui a Dario interfectus est, illud videtur mihi in caussa, quod statim historiam historiæ copulavit. In fine enim superioris dixerat Visionis: *Et Darius Medus successit in regnum annos natus sexaginta duos.* Sub hoc igitur Dario, qui interfecit Balthasar, hæc gesta sunt quæ dicturi sumus.

(* al. vocitatur) (* al. profectum.)

V. 4. *Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum, unde principes & Satrapæ quærebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere regis, &c.* Pro principibus, quod Symmachus transtulit: Theodotio τακτικούς, Aquila συνεκτικοὺς interpretatus est. Quumque quærerem qui essent isti principes τακτικοὶ, vel συνεκτικοὶ, in Septuaginta Editione legi manifestius, qui dixerunt: *& duos viros quos constituit cum eo, & Satrapæ centum viginti.* Quia igitur inter duos principes, inter quos erat tertius, hunc primum facere rex cogitabat, invidiæ & insidiarum nata occasio est. [b] Quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis. Et in hoc loco Hebræi tale nescio quid suspicantur: latus regis, regina est, vel concubinæ ejus cæteræque uxores, quæ ex latere dormiunt. Quærebant ergo occasionem in rebus hujuscemodi, si in sermone, tactu, nutu, internuntio possent accusare Danielem. Sed nullam, inquiunt, caussam & suspicionem reperire * poterant: quia eunuchus erat, & eum in re stupri arguere non poterant. Hoc illi dixerint, qui propter occasionem unius verbi longas solent fabulas texere. Nos interpretemur simpliciter, quod nullam occasionem adversus eum repererint, in qua regi noxius fuerit, eo quod fidelis esset, & omnia culpæ suspicio non inveniretur in eo. Pro suspicione Theodotio & Aquila ἀμβλάκημα interpretati sunt, quæ Chaldaice dicitur ESSAITHA. Quumque ab Hebræo quærerem quid significaret, respondit vim verbi sonare δέλεαρ, quam nos *illecebram* sive σφάλμα, hoc est, *errorem* dicere possumus: Porro Euripides in Medea ἀμπλακίας, per π, & non per β, ἁμαρτίας, id est, *peccata* appellat.

(b Latus regis quod.) (* al. potuerunt.) (Longæ fabulæ Hebræorum.)

V. 5. *Dixerunt ergo viri illi: Non * inveniemus Danieli aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui.* Felix conversatio in qua inimici nullam reperiunt occasionem, nisi forte in legitimis Dei. (* al. invenimus.)

V. 6. *Tunc principes, & Satrapæ surripuerunt regi, & sic loquuti sunt ei.* Pulchre dixit, *surripuerunt*: Non enim hoc loquuti sunt, quod agere cogitabant, sed per honorem regis, inimico moliuntur insidias.

V. 8. *Nunc itaque, rex, confirma sententiam & scribe decretum, ut non immutetur, quod*

[a] Græca Josephi, lib. Antiqq. X. c. 11. verba sic habent, Δαρείῳ δὲ τῷ καταλύσαντι τὴν Βαβυλωνίων ἡγεμονίαν μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, ἔτος ἦν ἑξηκοστὸν δεύτερον, ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἷλεν, ὃς ἦν Ἀστυάγους υἱός, ἕτερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐκαλεῖτο ὄνομα. Ὃς καὶ Δανιῆλον τὸν προφήτην λαβών, ἤγαγεν εἰς Μηδίαν πρὸς αὑτόν. καὶ πάσης αὐτῷ τιμῆς μεταδοὺς εἶχε σὺν αὐτῷ· τῶν τριῶν γὰρ σατραπῶν ἦν, οὓς ἐπὶ τῶν ἑξήκοντα καὶ τριακοσίων σατραπειῶν κατέστησε.

[b] Præponit Victor. *Unde principes & Satrapæ quærebant &c.*

quod statutum est a Medis atque Persis. Pespicuum * fit quod supra diximus, unum regnum fuisse sub Dario & Cyro Medorum atque Persarum. (* al. *fit.*)

V. 10. *Quod quum Daniel comperisset*, id est, *constitutam legem, ingressus est domum suam, & , fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat: confitebaturque coram Deo suo sicut ante facere consueverat*. De omni Scriptura sancta celeri memoria congregandum est, ubi δώματα, quæ Latine dicuntur [a] *menia* vel *tecta*, sive *solaria*, & [b] ἀνώγαια, id est, *cœnacula* legerimus. Nam & Dominus noster Pascha celebrat in cœnaculo (*Mat.* 14.): & in Actibus Apostolorum super centum viginti animas credentium Spiritus Sanctus descendit in cœnaculum (*Actor.* 1.). Et nunc Daniel regis jussa contemnens, & in Deo habens fiduciam, non orat in humili loco, sed in excelso: & fenestras aperit contra Jerusalem, ubi erat visio pacis. Orat autem secundum præceptum Dei, dictaque Salomonis (1. *Reg.* 8.), qui contra Templum orandum esse admonuit. (Quibus temporibus Deo genua flectenda.) Tria autem sunt tempora quibus Deo flectenda sunt genua: tertiam horam, sextam & nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus Sanctus super Apostolos (*Actor.* 3.). Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum (*Ibid.* 10.). Nona, Petrus & Joannes pergebant ad Templum (*Ibid.* 3.).

V. 11. *Viri igitur illi curiosius inquirentes, invenerunt Danielem orantem, & obsecrantem Deum suum*: (Insidiæ declinandæ.) Ex hoc loco, discimus, ne temere nos offeramus periculis: sed quantum in nobis est, insidias declinemus. Unde & Daniel non in foro, non in plateis faciebat contra regis imperium: sed in abscondito, ut veri Domini Dei omnipotentis jussa non negligeret.

V. 12. *Rex, nunquid non constituisti, ut omnis homo qui rogaret quemquam de diis & hominibus, usque ad dies triginta, nisi * te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex ait*. (* al. alte) Tacent de Danielis nomine, ut quum rex generaliter se jussisse responderit, verbo suo teneatur: ne aliter super Danielem faciat quam loquutus est.

Verus est sermo juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet. Crebrius annotamus, ubiquumque dicitur regnum Medorum atque Persarum: ut solvamus difficillimam quæstionem, qua nunc sub Dario, nunc sub Cyro Daniel fuisse memoratur.

Tunc respondentes dixerunt coram rege: V. 13.
*Daniel de filiis captivitatis * Judææ non curavit de lege tua, &c.* (* Vulg. [c] Juda) Ut major sit indignitas contemnentis, eum qui regis jussa contemnit dicunt esse captivum.

Quod verbum quum audisset rex, satis V. 14.
contristatus est, & pro Daniele posuit cor ut liberaret eum. Intellexit se propria responsione esse deceptum: & quod caussa insidiarum esset invidia. Itaque ne contra suam legem facere videretur, non auctoritate regia, sed ratione atque consilio vult Danielem de discrimine liberare. Et intantum nititur, & laborat, ut rex potentissimus usque ad solis occasum cibum non accipiat: & illis tanta in malo pertinacia est, ut nec voluntate regis moveantur, nec injuria.

Viri autem illi intelligentes regem, di- V. 15.
xerunt ei: Scito, rex, quia lex Medorum est atque Persarum, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari. Sicut rex intelligebat principes accusare propter invidiam: sic & illi intelligebant regis animum, quod vellet Danielem de præsenti morte eruere. Unde juxta legem Medorum atque Persarum, dicunt regis jussa non posse fieri irrita.

Tunc rex præcepit, & adduxerunt Da- V. 16.
nielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli: Deus tuus quem colis semper, ipse liberabit te. Cedit multitudini, & consentientibus adversariis, mortem * amici non audet negare: (* al. *inimici*) quodque ipse obtinere non potuit, Dei tradidit potentiæ. Nec ambigue loquitur: ut dicat, si potuerit liberare te; sed audacter, & confidenter: *Deus*, inquit, *tuus quem colis semper, ipse te liberabit*. Audierat enim tres pueros qui inferioris a Daniele gradus erant, flammas vicisse Babylonias; & Danieli multa mysteria revelata, unde & diligebat eum, hominem-

[a] Ita, vel cum dyphthongo *mænia* habent & mss. nostri. Nihilosecius malim cum Victorio post Erasmum substitui *Mentana* ex uno ms. Brixiæ, alteroque olim edito libro. Vide quæ superius in cap. 41. Ezechiel. & Epist. ad Su::niam & Fretel. observamus.

[b] Non incongrue Palatin. ms. ἀνάβατα, idest, ascensibilia loca.

[c] Victorius, *ut major sit indignatio, contemnentes eum qui &c.* partim ex ms. partim ex edito libro restituit. Ut nempe ad majorem indignationem regem incitarent, contemnendo eum qui regis jussa contemnit, ajunt captivum ac veluti mancipium illum esse.

nemque captivum habebat in honore maximo.

Allatusque est lapis unus, & positus super os laci, quem obsignavit rex annulo suo, &c. Obsignavit annulo suo lapidem, quo os laci claudebatur: ne quid contra Danielem moliantur inimici. Credidit enim eum Dei potentiæ: & qui de leonibus securus est, de hominibus pertimescit. Obsignat autem & annulo optimatum suorum: ne quid suspicionis contra eos habere videretur.

℣. 18. *Et abiit rex in domum suam, & dormivit incœnatus, &c.* Quanta regis benevolentia, ut cibum nec die nec nocte caperet; somnum oculis non concederet: sed cum periclitante Propheta ipse penderet affectu. Si autem rex nesciens Deum, hoc facit pro altero, quem vult de discrimine liberari: quanto magis nos pro peccatis propriis inedia, & vigiliis debemus Deum ad clementiam flectere.

Jejuniis Deus flectendus.

℣. 19. *Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit.* Lacum vocat depressam in altum foveam, vel arentem cisternam, in qua leones nutriebantur. Festinus autem primo diluculo pergit ad lacum, credens eum vivere. Lacus autem Latine, aquarum dulcium congregatio nuncupatur, ut lacus * Benacus, & Larius, & cæteri, quem Græci λίμνην, id est, *stagnum* vocant.

Lacus Benachus.

* al. *Venacus.*

℣. 20. *Appropinquansque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, & affatus est eum.* Cordis affectum lacrymis indicat; & oblitus regiæ dignitatis, victor ad captivum, dominus currit ad servum.

Daniel serve Dei viventis. Viventem vocat, ad distinctionem deorum gentilium, qui simulacra sunt hominum mortuorum.

Deus tuus cui tu servis semper, putasne valuit liberare te a leonibus? Non quod dubitet de Dei potentia, de quo supra dixerat: *Deus tuus quem colis semper, ipse liberabit te;* sed ambiguam sententiam temperat, ut quum Daniel illæsus apparuerit, quanto res incredibilior est, tanto adversum principes justior indignatio sit.

℣. 21. *Rex, in æternum vive.* Honorat honorantem se: & ei vitam imprecatur æternam.

Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi, &c. Non leonum feritas immutata est: sed rictus eorum, & rabies conclusa est ab Angelo, & idcirco clausa, quia Prophetæ bona opera præcesserant: ut non tam gratia liberationis sit, quam justitiæ retributio. Has autem voces, omnis sanctus vir proferat qui ereptus est de ore leonum invisibilium, & de lacu inferni: quia credidit in Deum suum. ℣. 22.

Tunc Darius rex scripsit universis populis, tribubus & linguis habitantibus in universa terra: [a] *Pax vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum, ut in universo imperio & regno meo, tremiscant & paveant Deum Danielis. Ipse est enim Deus vivens, & æternus in sæcula, & regnum ejus non dissipabitur, & potestas ejus usque in æternum. Ipse liberator atque salvator, faciens signa, & mirabilia in cælo & in terra, qui liberavit Danielem de lacu leonum.* Sicut Nabuchodonosor scribentem linguis & gentibus, quidam interpretatus est in contrarias fortitudines, ita & Darium interpretatur, quod omnes ad pœnitentiam provocet. Et * quærit utrum hoc in isto mundo futurum sit, an in altero, vel certe post alios mundos. Quæ nos pro deliramentis, & cassis ducentes fabulis, hoc solum dicimus: ideo signa fieri per servos Dei apud barbaras nationes, ut unius Dei cultus, & religio prædicetur. ℣. 25.

* al. *quaritur.*

Signa apud barbaras nationes quare fiant.

Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, regnumque Cyri Persæ. Ergo quod supra legimus in fine primæ Visionis: *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis*, non vitæ illius tempus accipiendum est. Siquidem in ultima legimus Visione: *Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danielis cognomento Balthasar:* sed hoc significatur, quod usque ad primum annum Cyri regis, qui Chaldæorum destruxit imperium, Daniel potens fuerit in Chaldæa: postea vero a Dario in Medos translatus sit. ℣. 28.

Anno primo Balthasar regis Babylonis Daniel somnium vidit. Visio autem capitis ejus in cubili suo. Et somnium scribens, brevi sermone comprendit, summatimque perstringens, ait. Hæc pericope, Cap. VII.

[a] Quæ hinc subsequuntur sacri Textus verba nec subnexæ expositioni necessaria sunt, nec in nostris mss. habentur. Passim vero supra atque infra, si qua ejusmodi occurrunt, de quibus Lectorem monuisse parum interat, in proponendis Scripturæ locis, taciti ad concinniorem mss. regulam exegimus.

pe, quam nunc conamur exponere, & A
sequens, de qua dicturi sumus, prio-
res sunt, juxta historiam, quam duæ
superiores. Ista enim & sequens, pri-
mo & tertio anno Balthasar regis ac-
Jer. 39. cidisse memorantur: illa autem quæ
ante superiorem lecta est, novissimo
anno, immo novissima die regni Bal-
Ezech. 17. thasar scribitur. Et hoc non solum in
Daniele, sed in Jeremia quoque & E-
zechiele legimus: sicut in locis ip-
sis, si vita comes fuerit, docere B
poterimus. Sed in superioribus ordo
sequitur historiæ: quid sub Nabucho-
donosor & Balthasar, & Dario, sive
Cyro mirabilium signorum acciderit.
In his vero narrantur somnia quæ sin-
gulis sint visa temporibus: quorum so-
lus Propheta conscius est, & nullam
habent apud barbaras nationes signi
vel revelationis magnitudinem; sed
tantum scribuntur, ut apud posteros
eorum quæ visa sunt, memoria per- C
severet.
V. 2. & 3. *Videbam in visione mea nocte: & ecce
quattuor venti cæli pugnabant in mari
magno, & quattuor bestiæ grandes ascen-
debant de mari diversæ inter se.* Quat-
Quattuor Angelis principalia regna commissa. tuor ventos cæli, quattuor arbitror
Angelicas potestates, quibus principa-
lia regna commissa sunt, juxta illud
quod in Deuteronomio legimus: *Quan-*
Deut. 32. 8. *do dividebat Altissimus gentes: quando
separabat filios Adam, constituit terminos
populorum juxta numerum Angelorum Dei.* D
*Pars autem Domini populus ejus: Jacob
funiculus hæreditatis ejus* [a]. Mare autem
mundum istum, sæculumque significat,
salsis amarisque fluctibus redundantem:
sicut Dominus in parabola sagenæ mis-
Matt. 13. sæ in mare interpretatur. Unde &
draco rex dicitur omnium quæ in aquis
Psal. 73. sunt, & cujus secundum David in
mari confringuntur capita. Et in A-
Amos 9. 3. mos legimus: *Si descenderit in profun-
dum maris, ibi mandabo draconi, &* E
mordebit eum. Quattuor autem bestias,
quæ ascendebant de mari, & erant di-
versæ inter se, Angelo differente no-
scamus. *Hæ*, inquit, *quattuor bestiæ ma-
gnæ, quattuor regna consurgent de terra.*
Quattuor autem venti qui pugnabant
in mari magno, ideo venti cæli esse di-
cuntur: quia unusquisque Angelus fa-
cit pro eo regno quod sibi creditum
est. Et hoc notandum, quod regnorum
feritas atque crudelitas bestiarum nomi-
ne demonstretur.

Prima quasi leæna, & alas habebat a- V. 4.
*quilæ. Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ
ejus, & sublata est de terra, & super
pedes quasi homo * stetit, & cor ejus da-* * al. steterit
tum est ei. Regnum Babylonium prop-
ter sævitiam, & crudelitatem, sive pro-
pter luxuriam, & vitam libidini ser-
vientem, non leo, sed leæna appel-
latur. Ajunt enim hi qui de bestiarum
scripsere naturis, leænas esse ferocio-
res, maxime si catulos nutriant, & Leænæ natura.
semper gestire ad coitum. Quod autem
habebat alas aquilæ, superbiam signi-
ficat regni potentissimi, cujus prin-
ceps loquitur per Isaiam: *Super sidera* Isai. 14.
*cæli ponam thronum meum: & ero simi-
lis altissimo.* Unde dicitur ad eum: *Si* Abdia.
alte feraris ut aquila, inde te detraham.
Alioquin, ut leo inter bestias, ita a-
quila inter aves regnum tenet. Sed &
hoc dicendum, aquilam multo tem-
pore vivere, & regnum Assyriorum
multis ætatibus fuisse dominatum. Quod
autem evulsæ sunt alæ ejus, id est,
leænæ, sive aquilæ, cætera regna si-
gnificat, quibus prius imperabat, &
volitabat in mundo. *Et sublata est,*
inquit, *de terra;* subverso videlicet [b]
imperio Chaldæorum. Quodque sequi-
tur: *Et super pedes quasi homo stetit, &
cor ejus datum est ei,* si de Nabuchodo-
nosor intelligimus, perspicuum est quod
postquam perdidit regnum, & poten-
tia ejus ablata est, rursum in pristinum
statum restitutus sit, & non leænam,
sed hominem se esse didicerit, & cor
receperit quod amiserat. Sin autem ge-
neraliter de regno Chaldæorum hoc
sentiendum est, quod interfecto Bal-
thasar, & Medis Persisque imperio suc-
cedentibus, Babylonii homines, & hu-
milis fragilisque naturæ se esse intelle-
xerint. Nota ordinem: qui in ima-
gine caput aureum dicitur, hic leæna
appellatur.

Et ecce bestia alia similis urso in parte V. 5.
*stetit, & tres ordines erant in ore ejus, &
in dentibus ejus; & sic dicebant ei: Sur-
ge, comede carnes plurimas.* Bestia secun-
da urso similis, ipsa est de qua in Vi-
sione statuæ legimus: *Pectus ejus & bra-* Supra 2. 32.
chia de argento, hæc ob duritiam, &
ferocitatem urso comparatur. Rigidum Lacedæmoniorum
enim & parcioris victus in morem La- parcior victus.
cedæ-

[a] Adponit Victor. nomen *Israel* ex Græco textu, quo sine dubium atque imperfectum sensum esse contendit.

[b] Vitiose antea legebatur *impio*: quod mss. castigat.

cedæmoniorum, regnum Persarum fuit: ita ut in pulmento sale uteretur & cardamo. Legamus Cyri majoris * infantiam. Quodque dicitur: *In parte una stetit*, sic Hebræi interpretantur, nihil eos adversum Israel crudele gessisse. Unde & in Zacharia Propheta, equi albi appellantur. Tres autem ordines, sive versus qui erant in ore ejus, & in dentibus, quidam sic interpretatus est, ut regnum Persarum in tres principes diceret fuisse divisum: sicut in πεειχοιῇ Balthasar & Darii legimus, tres fuisse principes, qui centum viginti satrapis præfuerint. Alii autem, tres reges post Cyrum fuisse Persarum autumant, & [a] quæ illis sint nomina reticent. Nos vero quum post Cyrum qui regnavit annis triginta, sciamus apud Persas regnasse Cambysen filium ejus, & fratres Magos, & deinceps Darium, cujus secundo anno ceptum est ædificari Templum in Jerusalem. Quintum, Xerxen filium Darii: sextum, Artabanum: septimum, Artaxerxen, qui μακρόχειρ, id est, *longimanus* cognominatus est: octavum, [b] Xerxen: nonum, Sogdianum: decimum, Darium cognomento νόθον: undecimum, Artaxerxen, qui appellatus est μνήμων, id est, *recordans*: duodecimum, alium Artaxerxen, qui & ipse cognominatus est *Ochus*: tertium decimum, Arsen, Ochi filium: quartum decimum, Darium Arsami filium, qui ab Alexandro Macedonum rege superatus est: Quomodo tres reges Persarum fuisse dicemus? nisi forte eligamus aliquos sævissimos, quos ex historiis reperire non possumus. Ergo tres ordines in ore regni Persarum, & in dentibus ejus, tria regna debemus accipere, Babyloniorum, Medorum, atque Persarum: quæ in unum redacta sunt regnum. Quodque infertur. *Et sic dicebant ei: comede carnes plurimas*, illud tempus significat, quando sub Assuero, quem Septuaginta Artaxerxen vocant, ad suggestionem Aman Agagitæ, una die omnes Judæi jussi sunt trucidari. Et pulchre non ait, *devorabat eos*; sed, *sic dicebant ei*: ut conatus tantum fuerit, & nequaquam rei exitus sit consequutus.

V. 6. *Post hoc aspiciebam, & ecce alia* [c] *quasi pardus, & alas habebat avis quattuor super se, & quattuor capita erant in bestia, & potestas data est ei*. Tertium regnum Macedonum, de quo in statua legimus: *Venter & femora ejus ex ære*, pardo bestiæ velocissimæ & ὁρμητικῇ comparatur, quæ præceps fertur ad sanguinem, & saltu in mortem ruit. *Et alas habebat quattuor*. Nihil enim Alexandri victoria velocius fuit, qui ab Illyrico, & Adriatico mari usque ad Indicum Oceanum, & Gangem fluvium, non tam præliis, quam victoriis percurrit, & in sex annis partem Europæ, & omnem sibi Asiam subjugavit. Quattuor autem capita eosdem dicit duces ejus, qui postea successores regni exstiterunt, Ptolomæum, Seleucum, Philippum, Antigonum. Quodque additur: *Et potestas data est ei*, ostendit, non Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis fuisse.

Post hoc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis: dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans. V. 7. Quartum quod nunc urbem tenet terrarum, imperium Romanorum est, de quo in statua dicitur: *Tibiæ ejus ferreæ: pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis*; & tamen ipsius ferri ex parte nunc meminit, dentes ejus ferreos, & magnos esse contestans. Satisque miror, quod quum supra leænam, & ursum, & pardum, in tribus regnis posuerit, Romanum regnum nulli bestiæ compararit: nisi forte ut formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, ut quidquid ferocius cogitaverimus in bestiis, hoc Romanos intelligamus. Hoc quod hic tacitum est, Hebræi in Psalmis dictum putant: *Devastavit eam aper de silva; & singularis ferus depastus est eam*. Ps. 79, 14. Pro quo in Hebræo habet: *Omnes bestiæ agri laceraverunt eam*, dum in uno imperio Romanorum, omnia simul regna cognoscimus, quæ prius fuerant separata. Illud autem quod sequitur: *Comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans*, significat omnes nationes, vel interfectas ab eis, vel tributo, & servituti subjugatas.

Dissimilis autem erat cæteris bestiis quas videram * *prius*. In prioribus enim bestiis singula formidinum signa, in hac omnia sunt.

Marginal notes: * Educationem, sive institutionem. — Zach. 1. — [a] Persarum reges quattuordecim. — [b] — Esther. 3. — Velox Alexandri victoria. — * Vulg. ante eam.

V v 2 Et

[a] Palatin. mss. *qui illi sint omnino reticent*.
[b] Idem mss. *octavum alium Xersen*.

[c] Interserit Victor. *quasi* ex Vulgata & Hebraico.

Et habebat cornua decem. Porphyrius duas posteriores bestias, Macedonum & Romanorum, in uno Macedonum regno ponit, & dividit: Pardum volens intelligi ipsum Alexandrum: bestiam autem dissimilem cæteris bestiis, quattuor Alexandri successores, & deinde usque ad Antiochum cognomento Epiphanen, decem reges enumerat, qui fuerunt sævissimi: ipsosque reges non unius ponit regni, verbi gratia, Macedoniæ, Syriæ, Asiæ, & Ægypti, sed de diversis regnis unum efficit regum ordinem, ut videlicet ea quæ scripta sunt: *Os loquens ingentia*, non de Antichristo, sed de Antiocho dicta credantur.

V. 8. *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus. Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia*. Frustra Porphyrius cornu parvulum, quod post decem cornua ortum est, Epiphanen Antiochum suspicatur, & de decem cornibus tria evulsa cornua, [a] sextum Ptolemæum cognomento Philometorem, septimum Ptolemæum Evergetem, & Artarxiam regem Armeniæ, quorum priores multo antequam Antiochus nasceretur, mortui sunt. Contra Artarxiam vero dimicasse quidem Antiochum novimus: sed illum in regno pristino permansisse. Ergo dicamus quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt: in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se dividant, & undecimum surrecturum esse regem parvulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est, Ægyptiorum regem, & Africæ & Æthiopiæ, sicut in consequentibus manifestius dicemus. Quibus interfectis, etiam septem alii reges victori colla submittent. *Et ecce*, ait, *oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto*. Ne eum putemus juxta quorumdam opinionem, vel diabolum esse, vel dæmonem; sed unum de hominibus, in quo totus satanas habitaturus sit corporaliter. *Et os loquens ingentia*. Est enim homo peccati, filius perditionis, ita ut in Templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum. (2. Thess. 2.)

V. 9. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus flammæ ignis: rotæ ejus ignis accensus: fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus*. Simile quid & in Joannis Apocalypsi legimus: (Apoc. 4. 2. & seqq.) *Post hæc statim fui in spiritu, & ecce thronus positus erat in cælo, & super thronum sedens, & qui sedebat, similitudinem habebat lapidis jaspidis & sardini, & iris erat in circuitu throni similis aspectui smaragdino, & circa thronum alii throni viginti quattuor, & super viginti quattuor thronos, viginti quattuor senes sedentes, amicti vestibus candidis, & super capita eorum [b] corona aurea, & de throno egrediebantur fulgura, & voces, & tonitrua. Et septem lampades ardentis ignis in conspectu throni, quæ septem sunt spiritus Dei. Et in conspectu throni, sicut mare vitreum simile chrystallo*. Multi igitur throni quos vidit Daniel, hi mihi videntur esse, quos Joannes vigintiquattuor thronos nuncupat. [c] Vetustus autem dierum ille est, qui apud Joannem solus in throno sedet. Filius quoque hominis, qui venit ad vetustum dierum, ipse est qui apud Joannem leo dicitur de tribu Juda, radix David, & cætera his similia. (Apoc. 5.) Hos thronos esse reor, de quibus Paulus Apostolus loquitur: *Sive throni, sive dominationes*. (Coloss. 1. 16.) Et in Evangelio legimus: (Matt. 19. 28.) *Vos autem sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel*. Sedens autem & vetustus dierum dicitur Deus, ut æterni judicis habitus demonstretur. Vestimentum ejus quasi nix candidum, & capilli capitis ejus, quasi lana munda. Et Salvator transformatus in monte, & gloriam divinæ majestatis assumens, in candidis videtur vestibus. (Matt. 17.) Quodque capilli ejus lanæ mundissimæ comparantur, purum ostenditur sincerumque judicium, & nullam personam in judicando recipiens. Senex quoque describitur, ut maturitas comprobetur sententiæ. Thronus ejus flammæ ignis, ut peccatores tormentorum magni-

[a] Deerat Ptolemæus Philometor, & sextus pro septimo Ptolemæus Evergetes recensebatur in antea vulgatis libris, quos supplent emendantque pari consensu Palarin. & Vaticanus mss. e quibus verba quæ inter utrumque sunt Ptolemæi nomen expressimus: idque ipsum visum est, fraudi fuisse antiquario, quod vox eadem recurreret, ut properanti oculo, quod usuvenit, intermedia præteriret.

[b] Substituit Victor. plurium numero *coronæ aureæ* ex Brixianis codicibus.

[c] Sic nostri & Victorii mss. omnes [illegible] præferunt. Antea erat *Vetus*.

gnitudinem pertimescant, & justi sal- A
ventur, sic tamen quasi per ignem.
Rotæ ejus ignis accensus, sive currus
ejus. Et in Ezechiel quadrigæ se-
dens inducitur Deus, & omnia Dei
Ezech. 1. flammea sunt. De quo & alibi dici-
tur: *Deus ignis consumens est:* ut lignum
fœnum, stipulam, arsura in die judi-
Deut. 4. 24 cii noverimus. Et in Psalmis legimus:
Ps. 96. 3. *Ignis ante eum præcedet, & inflammabit*
in circuitu omnes inimicos ejus. Fluvius
igneus rapidusque egrediebatur a facie B
ejus, ut peccatores traheret in gehen-
nam:
V. 10. *Millia millium ministrabant ei, & de-*
cies millies centena millia assistebant ei.
Non quo iste ministrorum Dei nume-
rus definitus sit, sed quo majorem
multitudinem humanus sermo explica-
re nequiverit. Ista sunt millia, & istæ
myriades, de quibus in Psalmis legi-
Ps. 67. 18. mus: *Currus Dei decem millibus, multi-*
plex millia lætantium, Dominus in eis. C
Ps. 103. 4. Et in alio loco: *Qui facit Angelos suos*
spiritus, & ministros suos ignem urentem.
Angelorum officia Duplex autem Angelorum officium
est: aliorum qui justis præmia tri-
buunt, aliorum qui singulis præsunt [a]
cruciatibus.
Judicium sedit, & libri aperti sunt.
Conscientiæ, & opera singulorum in
utramque partem, vel bona, vel mala
omnibus revelantur. Bonus liber ille
est, quem sæpe legimus, liber viven- D
tium. Malus liber, qui in accusatoris
tenetur manu, qui est inimicus, & vin-
dex, de quo & in Apocalypsi legimus:
Apoc. 12. 10. *Accusator fratrum nostrorum.* Liber iste
terrenus est, de quo & Propheta dicit:
Jer. 17. 13. *In terra scribantur.*
V. 11. *Aspiciebam propter vocem sermonum gran-*
dium, quos cornu illud loquebatur. Dei
judicium venit propter humiliandam su-
perbiam. Idcirco Romanum delebitur
imperium, quia cornu illud loquebatur E
grandia.
Et vidi quoniam interfecta esset bestia,
& perisset corpus ejus. In uno Roma-
no imperio propter Antichristuum blas-
phemantem, omnia simul regna delen-

da sunt, & nequaquam terrenum impe-
rium erit, sed sanctorum conversatio,
& adventus Filii Dei triumphantis, de
quo dicitur:
Et ecce cum nubibus cæli quasi filius V. 13.
hominis veniebat. Qui in somno Nabu-
chodonosor, lapis scribitur abscissus si-
ne manibus, & crevisse in montem ma-
gnum, & comminuisse testam, ferrum,
æs, argentum, & aurum, nunc sub
persona filii hominis introducitur, ut
assumtio carnis humanæ significetur in
Filio Dei, juxta illud quod in Acti-
bus Apostolorum legimus: *Viri Galilæi,* *Actor. 1. 11.*
quid statis aspicientes in cælum? Hic Je-
sus qui assumtus est a vobis in cælum: sic
veniet quemadmodum vidistis eum euntem
in cælum.
Et usque ad antiquum dierum perve- V. 14.
nit, & in conspectu ejus obtulerunt eum,
& dedit ei potestatem, & honorem, &
regnum. Totum quod dicitur, obla-
tum eum omnipotenti Deo, & acce-
pisse potestatem, & honorem, & re-
gnum, juxta illud Apostoli accipien-
dum est: *Qui quum in forma Dei esset,* *Philipp. 2. 6. & seqq.*
non rapinam arbitratus est esse se æqua-
lem Deo: sed semetipsum exinanivit, for-
mam servi accipiens, in similitudinem ho-
minum factus, & habitu inventus ut ho-
mo: humiliavit semetipsum, factus obediens
usque ad mortem, mortem autem crucis.
Quæ cuncta si hæresis Arianorum pio
vellet advertere sensu, nequaquam
Filio Dei calumniam inæqualitatis mo-
veret.
*Et * omnes populi, tribus, & linguæ* * al. *omnis populus.*
ipsi servient. Potestas ejus, potestas æter-
na, quæ non auferetur, & regnum ejus,
quod non corrumpetur, &c. Hoc cui po-
test hominum convenire, respondeat
Porphyrius: aut quis iste tam potens
sit, qui cornu parvulum, quem An-
tiochum interpretatur, fregerit atque
contriverit? Si responderit Antiochi
principes, a Juda Machabæo fuisse supe-
ratos, docere debet quomodo cum
nubibus cæli veniat, quasi filius ho-
minis, & offeratur vetusto dierum,
& detur ei potestas, & regnum, &
om-

[a] Pro *cruciatibus*, pro ut editi ac mss. retinent libri, sunt qui *civitatibus* reponi velint, quorum lectioni S. Thomæ Aquinatis in hunc Prophetam auctoritas suffragatur. Verum ut alibi præsides civitatum Angelos Hieron. memoret, heic de aliis profecto loquitur, præmiorum scilicet ac pœnarum ministris. Eo sensu & superioris Commentarii in Ezechielem lib. IX. cap. 30. *Non boni*, inquit, *sed mali Angeli tormentis præpositi sunt*: quod de Inferorum tormentis accipias. Cæterum & S. Ambrosius Epistolar. l. 5. Epist. olim 38. *An ipsos quoque*, inquit, *Angelos qui in istius mundi laboribus diversa sustinent ministeria, sicut in Apocalypsi legimus Joannis, non ingemiscere credimus cum adhibentur pœnarum & excidiorum ministri, qui habentes vitam æternam, mallent utique eam in illo superiore tranquillitatis suæ statu currere, quam nostrorum peccatorum pœnis ultricibus interpellari.* Et vetus Auctor Commentarior. in Epist. ad Hebræos inter laudati Ambrosii opera cap. 1. v. 7. *Potest*, inquit, *dici quando lenia nuntiare mittuntur, Angelos esse: quando ad vindictam mittuntur, ministros esse, idest, ignem ardentem.*

omnes populi, tribus ac linguæ serviant illi, & potestas ejus æterna sit, quæ nullo fine claudatur.

℣. 17. *Hæ quattuor bestiæ magnæ*, * *quattuor sunt regna quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi.* Quattuor regna, de quibus supra diximus, fuere terrena. *Omne enim quod de terra est, revertetur in terram*: sancti autem nequaquam habebunt terrenum regnum, sed cæleste. Cesset ergo mille annorum fabula.

* Vulg. quattuor regna consurgent &c.

Eccl. 3. 20.

Et obtinebunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum, &c. Si hoc de Machabæis intelligitur, doceat qui ista contendit, quomodo regnum eorum perpetuum sit.

℣. 25. *Et sermones contra excelsum loquetur* *. Sive ut interpretatus est Symmachus: *Sermones quasi Deus loquitur*, ut qui Dei assumit potentiam, verba quoque divinæ sibi vendicet majestatis.

* al. loquitur

Et sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges. Præliabitur enim Antichristus contra sanctos, & superabit eos: in [a] tantamque erigetur superbiam, ut leges Dei, & cæremonias mutare conetur, & elevetur supra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam suæ subjiciens potestati.

Et tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Tempus, annum significat. Tempora, juxta Hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habent, *duos annos* præfigurant. Dimidium autem temporis, *sex menses*: quibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt, ut condemnentur Judæi, qui non credentes veritati, susceperunt mendacium. De quo tempore & Salvator in Evangelio loquitur: *Nisi abbreviati essent dies illi, nequaquam salva esset omnis caro.* Non convenire hæc tempora Antiocho, in extrema Visione dicemus.

Dualis numerus apud Hebræos.

Mat. 24. 22.

℣. 26. *Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem.* Hoc de Antichristo, id est, de cornu parvulo, quod grandia loquebatur, quia regnum ejus destruendum sit in perpetuum.

℣. 27. *Regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum altissimi, cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges servient ei, & obedient.* Hoc loquitur de Christi imperio, quod sempiternum est.

Huc usque finis verbi. Istius verbi atque sermonis, quem mihi in præsenti Visione Dominus revelavit.

℣. 28. *Ego Daniel multum cogitationibus meis* [b] *conturbabar, & facies mea mutata est in me verbum autem in corde meo conservavi.* Hactenus liber Danielis Chaldaico Syriacoque sermone conscriptus est. Cætera quæ sequuntur usque ad finem voluminis, Hebraice legimus.

Cap. VIII

Anno tertio regni Balthasar regis, Visio apparuit mihi. Ego Daniel post id quod videram in principio. Post duos annos superioris revelationis, hæc Visio. Illa enim in primo anno Balthasar: hæc in tertio cernitur. Unde infert: Post id quod videram in principio.

℣. 2. *Vidi in Visione mea, quum essem in Susis castro, quod est in Elam* * *regione.* Sive ut Symmachus interpretatus est, *civitate*, a qua etiam regio nomen accepit, ut a Babylone, Babylonii, & ab Elam, Elamitæ, pro qua Septuaginta *Elimaidem regionem* interpretati sunt. Susis autem metropolis est regionis Elamitarum, in qua Daniel secundum historiam [c] Josephi, turrim exstruxit excelsam, & quadro ædificatam marmore, tantæque magnitudinis & pulchritudinis, ut usque in præsens videatur esse nova. In eaque regum Persarum atque Medorum conduntur reliquiæ, & custos sive æditus, ac sacerdos ejusdem loci Judæus est. *Quum essem in Susis castro.* Non quo castrum ipsa sit urbs, ut diximus, metropolis & potentissima, sed quo tanta firmitate ædificata, ut castrum esse videatur.

* Vulg. civitate

Susis.

Ubi conduntur corpora Regum Pers. atque Med.

Vidi autem in Visione me esse super portam Ulai. Pro quo Aquila transtulit, *super Ubal Ulai*, Theodotio, *super Ubal*; Symmachus, *super paludem Ulai*; Septuaginta, [d] *super portam Ulai.* Sciendum est autem *Ulai*, nomen esse loci; sive *portæ*, ut in Troja, σκαιὰ

Ulaii

porta.

[a] Duo mss. *In tantumque erigetur superbia*, ut &c. Et rectius paulo post, *supra omne quod dicitur Deus & religio, cuncta sua* &c.

[b] Reliqua ad finem versiculi ex mss. nostris suffecimus: ut scilicet liquido constaret, ad quem usque terminum Chaldaicus sermo procederet: qui videbatur in antea vulgatis in verbo *conturbabar* ex Hieronymi sensu desinere.

[c] Hæc pene ad verbum ex Josepho descripta sunt, quem videsis lib. X. Antiquitt. cap. ultimo.

[d] Palat. *juxta portam* &c.

porta, & apud Romanos, *Carmentalis* dicitur: habentes singulæ ex propriis caussis origines nominum.

Et levavi oculos meos & vidi. Quamvis in somnis videantur, quæ videntur in umbra, videlicet & imagine: tamen ne ipsa quidem videre possumus [a].

V. 3. *Et ecce aries unus stabat ante paludem* (sive *ante portam*, quod Hebraice dicitur UBAL) אובל *habens cornua excelsa, & unum excelsius altero atque succrescens.* Arietem, Darium vocat avunculum Cyri, qui post Astyagen patrem regnavit in Medis. Cornu autem unum excelsius altero atque succrescens, ipsum Cyrum significat, qui post Astyagen avum maternum cum avunculo Dario, quem Græci κυαξάρεν vocant, Medis imperavit & Persis.

V. 4. *Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra* [b] *Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, &c.* Non ipsum arietem, Cyrum videlicet, vel Darium, sed ejusdem regni arietem, id est, Darium alterum, qui ultimus potentiæ Persicæ rex fuit, & quem superavit Alexander Philippi filius rex Macedonum. Quod autem Darius iste rex potentissimus, & ditissimus fuerit, tam Græcæ, quam Latinæ, ac barbaræ narrant historiæ.

Et ego intelligebam. Ex superioribus enim visionibus, in quibus secundum regnum per arietem & hircum significatum est, etiam nunc intelligit, quod Medorum atque Persarum cernat imperium.

V. 5. *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram &c.* Ne quis me putet proprium sensum ponere, Gabrielis exponentis visionem Prophetæ, verba dicamus. *Aries*, inquit, *quem vidisti habere duo cornua, rex Medorum est, atque Persarum.* Darius videlicet Arsami filius, in quo Medorum & Persarum regnum destructum est. *Porro hircus caprarum, qui veniebat ab Occidente*, & propter nimiam velocitatem terram tangere non videbatur, Alexander est, rex Græcorum, qui, subversis Thebis, in Persas arma corripuit, & apud Granicum fluvium inito certamine, Darii duces superavit, & ad extremum ipsum (Alexander magnus.)

A percussit Arietem, & duo ejus confregit cornua, Medos, atque Persas: misitque eum sub pedibus suis, & utrumque cornu suo subjugavit imperio. *Cornu autem grande*, ipse est rex primus Alexander, quo tricesimo secundo ætatis suæ anno mortuo in Babylone, surrexerunt pro eo quattuor duces ejus, qui sibi imperium diviserunt. Ægyptum enim Ptolomæus Lagi filius tenuit: Macedonas Philippus, qui & * Arideus frater Alexandri (* al. *Arius*):
B Syriam, & Babylonem, & omnia regna Orientis, Seleucus Nicanor: Asiæ regnavit Antigonus. *Sed, non*, inquit, *in fortitudine ejus.* Nullus enim magnitudini Alexandri potuit coæquari. Et *post multa tempora Syriæ rex impudens facie, & intelligens propositiones* consurget Antiochus ἐπιφανὴς filius Seleuci, qui & Philopator appellatus est. (Antiochus Philopator.) Qui quum obses fuisset Romæ, &, nesciente Senatu, per dolum cepisset imperium,
C contra Ptolomæum Philometorem dimicavit, hoc est, *contra Meridiem*, & contra Ægyptios. Rursumque *ad Orientem*, & contra eos qui res novas in Perside moliebantur: ad extremum contra Judæos dimicans, capta Judæa, ingressus est Jerosolymam: & in Templo Dei simulacrum Jovis Olympii statuit: *& usque ad fortitudinem cæli*, id est, filios Israel, qui Angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam suam, ita
D ut de sanctis plurimos idololatriæ subjiceret: & velut stellas cæli conculcaret pedibus suis. Atque ita factum est, ut Meridiem, & Orientem, id est, Ægyptum & Persidem suo teneret imperio. Quodque ait: *Usque ad principem fortitudinis magnificatus est*, hoc significat, quod erectus sit contra Deum, & sanctos illius persequutus sit: & tulerit ἐνδελεχισμὸν, id est, *juge sacrificium*, quod mane offerebatur, & vespere, & pollueric atque dejecerit *locum sanctificationis ejus.*
E Et hoc non sua virtute, sed *propter peccata populi.* Atque ita factum est, ut veritas prosterneretur in terram, &, cultu idolorum florente, Dei religio conquiesceret.

Et audivi unum de sanctis loquentem: & dixit unus sanctus alteri nescio, cui loquenti. V. 13. Pro *altero nescio quo*, quod Symmachus interpretatus est [c] τινί ποτε, quem & nos sequuti sumus, Aquila & Theo-

[a] Addunt duo mss. *sine oculis elevatis.*
[b] Vatic. *contra Orientem & contra Occidentem.* Palat. *Orientem* dumtaxat pro *Occidentem.*

[c] Palatin. ms. TINIIOTE, secunda manu *tinipote*: legebatur antea cum circumflexo τῖνι ποτε.

Theodotio, & LXX. [a] φελμωνί, ipsum verbum Hebraicum posuerunt. Nomen ergo Angeli tacens, generaliter unum quemlibet de Angelis indicavit.

[a] פלמני

Usquequo visio & juge sacrificium, & peccatum desolationis quæ facta est, & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Unus Angelus interrogat alterum Angelum usque ad quod tempus Dei judicio sub Antiocho rege Syriæ, Templum futurum sit desolatum, & simulacrum Jovis staturum in Templo Dei, juxta id quod subjunxit, dicens: *Et sanctuarium & fortitudo conculcabitur.*

V. 14. *Et dixit ei: Usque ad vesperam & mane [b] dies duo millia trecenti, & mundabitur sanctuarium.* Legamus Machabæorum libros, & Josephi historiam, ibique scriptum reperiemus, centesimo quadragesimo tertio anno a Seleuco, qui primus regnavit in Syria post Alexandrum, ingressum Antiochum Jerosolymam, & universa vastasse, reversumque anno tertio, in Templo posuisse statuam Jovis, & usque ad Judam Machabæum, id est, usque ad annum centesimum quadragesimum octavum, per annos vastitatis Jerusalem sex, contaminationis autem Templi tres, duo millia trecentos dies, & tres menses esse completos: post quos Templum purgatum est. Quidam pro duobus millibus trecentis, duo millia ducentos legunt: ne sex anni, & tres menses superesse videantur. Hunc locum plerique nostrorum ad Antichristum referunt, & quod sub Antiocho in typo factum est, sub illo in veritate dicunt esse complendum. Quod autem infert: *Mundabitur sanctuarium*, Judæ Machabæi significat tempora, qui de vico Modin [c] fratribus ac propinquis secum annitentibus, & multis de populo Judæorum, Antiochi duces superat juxta Emaus, quæ nunc Nicopolis dicitur. Quod audiens Antiochus qui contra principem principum surrexerat, id est, Dominum dominantium, & regem regum in Elimaide, quæ regio Persarum est, templum Dianæ spoliare cupiens, quod habebat pretiosa donaria, & ibi quoque amisso exercitu, sine manibus contritus est, id est, tristitiæ morbo periit. Vespere autem & mane, successionem diei noctisque significat.

Factum est autem quum viderem ego Daniel visionem, & quærerem intelligentiam. V. 15. Videbat visionem per picturam, & imaginem, & illius intelligentiam nesciebat. Non ergo omnis qui videt intelligit: quomodo si Scripturam sanctam legamus oculis & corde non intelligamus.

Et ecce stetit in conspectu meo quasi species viri. Non enim viri sunt Angeli, sed in specie videntur virorum. Sicut Abraam ad quercum Mambre tres visi Gen. 18. sunt viri, qui utique viri non erant: e quibus unus adoratur ut Dominus. Unde & Salvator loquitur in Evangelio: *Abraam vidit diem meum: vidit,* Joan. 8. 56. *& lætatus est.*

Et audivi vocem viri inter Ulai, & V. 16 & 17. *clamavit, & ait: Gabriel, fac intelligere * istam visionem. Et venit & stetit juxta ubi ego stabam. Quumque venisset, pavens corrui in faciem meam.* * Vel, juxta. Virum istum qui præcepit Gabrieli ut Danielem faceret intelligere visionem, Judæi Michaelem autumant. Consequenter autem quia visio de præliis erat, regumque certaminibus, immo regnorum successionibus, Gabriel, qui præpositus est præliis huic officio mancipatur. *Gabriel* enim Gabriel. in linguam nostram vertitur *fortitudo*, vel *robustus Dei*. Unde & eo tempore quo erat Dominus nasciturus, & indi- Luc. 1. cturus bellum dæmonibus, & triumphaturus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, & ad Mariam. Et postea in Ps. 23. 8. Psalmis legimus de Domino triumphante: *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio: ipse est rex gloriæ.* Ubiquumque autem medicina, & sanatio necessaria est, *Raphael* mittitur, qui interpretatur *curatio*: Raphael. vel *medicina Dei*: [d] si cui tamen placet Tobiæ librum recipere. Porro ubi populo prospera promittuntur, & ἱλασμός, quod nos vel *propitiationem*, vel *expia-*

[a] Vatic. ms. quemadmodum & Sang. penes Montfauc. Latinis literis PHELMONI, alii libri *pelmoni*, aut *pelimoni*.

[b] Vox *dies*, inquit Victor. nec in Hebræo, neque in Brixianis codd. habetur: adjecta autem fuerit vel ex Theodotione, vel ut subintellecta e margine huc translata.

[c] Duo mss. vetustioresque editi libri *filiis* pro *fratribus*, quod pridem Victorius Florentinorum codd. ope emendavit, ipsa cogente historia 1. Machabæor. 2. item 2. 8. Fratres Judæ Machabæi, Simon, Josephus & Jonathas sunt. Cæterum & conferendus Josephus Antiquitt. lib. 12. cap. 9.

[d] Huc transfert. Palat. ms verba, *hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit vera medicina*: ferme cum Erasmi Victoriique editionib. quæ Martian. ad finem capituli rectius distulit.

a Michael. *expiationem* possumus dicere, [a] necessaria A est, *Michael*, dirigitur, qui interpretatur *quis sicut Deus?* hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera.

Et ait ad me: Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur Visio, &c. Et Ezechiel, & Daniel, & Zacharias: quia sæpe inter Angelos esse se * cernunt, ne eleventur in superbiam, & Angelicæ vel naturæ, vel dignitatis se esse credant, admonen- B tur fragilitatis suæ, & filii hominum nuncupantur, ut homines se esse noverint.

* al. cernuntur.

V. 18. *Et tetigit me, & statuit me in gradu meo. Dixitque mihi, &c.* Propheta qui pavore lapsus, quadrupes & pronus jacebat in terra: ad tactum Angeli erigitur, ut possit absque formidine audire & intelligere quæ dicuntur.

V. 26. *Tu ergo signa Visionem: quia post dies multos erit.* Exposita Gabriel Angelus C Visione, quam supra ut potuimus disseruimus, ponit in fine: *Tu ergo signa Visionem: quia post dies multos erit.* Ex verbo ostendens signaculi, obscura esse quæ dicebantur, & non patere multorum auditui, nec posse ante intelligi, nisi rebus & operibus impleantur.

V. 27. Gen. 18. *Et ego Daniel langui & ægrotavi per dies. Quumque surrexissem, faciebam opera regis.* Hoc est illud, quod in Genesi de Abraam legimus: quod postquam D Dominum audierit loquentem sibi, terram & cinerem esse se dixerit. Ergo Daniel ad Visionis horrorem languisse, & ægrotasse se dicit: & quum surrexisset, fecisse opera quæ sibi a rege fuerant imperata, reddens omnibus omnia, &

Luc. 20. 25. Evangelicum illud sciens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Et stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur. Si non erat qui interpretaretur, quomodo supra interpretatus est Angelus? Sed quod dicit, hoc E est, reges audierat, & eorum nomina nesciebat: futura cognoverat, & quo tempore futura essent, dubius fluctuabat. Itaque quod solum facere poterat, stupebat ad visionem, & Dei scientiæ cuncta relinquebat.

Cap. IX. IN *anno primo Darii filii Assueri, de semine Medorum, qui imperavit super*

regnum Chaldæorum, anno uno regni ejus. Hic est Darius, qui cum Cyro Chaldæos Babyloniosque superavit, ne putemus illum Darium, cujus anno secundo Templum ædificatum est (quod Porphyrius suspicatur, ut annos Danielis extendat) vel eum qui ab Alexandro Macedonum rege superatus est. Addit ergo nomen patris, additque victoriam, quia primus de semine Medorum, subvertit regnum Chaldæorum, ut auferat propter similitudinem nominis, lectionis errorem. Dari tres.

Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. V. 2. Jer. 52. & 29. Prædixerat Jeremias septuaginta annos desolationis Templi: post quos rursus veniret populus in Judæam, & ædificarentur Templum & Jerusalem: quæ res Danielem non facit negligentem, sed magis provocat ad rogandum: ut quod Deus per suam promisit clementiam, per * hujus impleat preces, ne negligentia superbiam, & superbia pariat offensam. Denique in Genesi legimus, centum viginti annos pœnitentiæ constitutos ante diluvium: qui quia tanto tempore, hoc est, centum annis, noluerunt agere pœnitentiam, nequaquam exspectat ut & viginti alii compleantur: sed infert ante, quod postea fuerat comminatus. Unde & ad Jeremiam dicitur, ob duritiam cordis populi Judæorum: *Ne ores pro populo hoc: quia non exaudiam te.* Et ad Samuel: *Usquequo luges super Saul? & ego abjeci eum.* In cinere igitur & sacco postulat impleri quod promiserat Deus: non quo esset incredulus futurorum; sed ne securitas negligentiam, & negligentia pareret offensam.

* al. horum

Gen. 9. Annos 120. pœnitentiæ constitutos ante diluvium existimat.

Jer. 7. 16.

1. Reg. 16. 1.

Obsecro, Domine Deus magne & terribilis. Adversus eos qui tua præcepta contemnunt.

V. 4. *Custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.* Non ergo quod pollicetur Deus statim futurum est; sed in eos sua promissa complet, qui custodiunt mandata illius.

V. 5. b *Peccavimus, inique [b] egimus, impie egimus, & recessimus, &c.* Peccata populi, quia unus e populo est, enumerat

Xx ex

[a] Idem cum antiquis editionibus: *necessarium est ut Michael dirigatur, qui interpretatur quis sicut Deus. Ut scilicet intelligatur, quia propitiationem, vel expiationem nullus possit conferre nisi Deus.*

[b] Unus Palatinus *impie gessimus, peccatis polluti. Quia unus e populo est* &c. Vatican. *impie fecimus. Peccata populi* &c. Victorius ut vitaret perissologiam, ad Vulgat. edit. scripsit *iniquitatem fecimus, impie egimus.*

ex persona sua, quod & Apostolum in E- A pistola ad Romanos facere legimus.

V. 7. *Tibi, Domine, justitia: nobis autem confusio faciei, &c.* Juste enim patimur, quod meremur.

V. 8. *Tibi Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio: &c.* De quo supra dixerat: *Tibi, Domine, justitia*; nunc quia Dominus non solum justus, sed & misericors est, dicit: *Tibi, Domine, misericordia*, ut post sententiam judicantis, eum provocet ad clementiam.

V. 11. *Et stillavit super nos.* Non totam in nos effudisti iram, quam ferre non poteramus; sed stillam furoris tui, ut correpti in plaga, reverteremur ad te.

Deut. 27. *Maledictio & detestatio quæ scripta est in libro Moysi servi Dei, &c.* In Deuteronomio maledictiones & benedictiones Dei legimus, quæ postea dictæ sunt in monte Garizim, & Hebal, justos super & peccatores.

V. 13. *Omne malum hoc venit super nos: & C non rogavimus faciem tuam, Domine Deus noster, ut reverteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam.* Grandis duritia, ut in plagis positi, Deum non rogarent, quod & si rogarunt, ideo non rogarunt, quia non sunt reversi ab iniquitatibus suis. Reversio autem ab iniquitate, est cogitare veritatem Dei. (Reversio ab iniquitate.)

V. 14. *Et vigilavit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos, &c.* Quando D propter peccata corripimur, vigilat super nos Deus, & visitat nos. Quando vero a Deo deserimur, & non judicamur, indignique sumus correptione Domini, tunc dormire dicitur. Unde & in Psalmis legimus: *Surrexit quasi dormiens Dominus, & quasi [a] crapulatus a vino.* Malitia enim & iniquitas nostra inebriat Deum: quæ quando in nobis corripitur, evigilare dicitur, & de sua ebrietate consurgere; ut nos peccato E ebrios evigilare faciat justitiæ. (Dormire & vigilare Dei quid.) (Psal. 77.) (Malitia nostra inebriat Deum.)

V. 15. *Et nunc, Domine Deus noster, &c.* Memor est antiqui beneficii, ut ad similem Deum clementiam provocet.

V. 17. *Et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est.* Imple opere, quod sermone pollicitus es: vicinum tempus desolationis impletur.

V. 18. *Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, &c.* Ἀνθρωποπάθως hæc loquitur, ut quando exaudimur, inclinare Deus videatur aurem suam: quando respicere nos Deus dignatur, aperire oculos suos: quando vero avertit faciem suam, & oculis ejus & auribus videamur indigni.

V. 20. *Quumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel: * ut prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei.* Ergo ut supra diximus, B non populi tantum peccata, sed & sua replicat; quia unus e populo est: sive humiliter, quum peccatum ipse non fecerit, se jungit populo peccatori, ut ex humilitate veniam consequatur. Nota quod hic dixerit, *confiterer peccata mea.* In multis enim sanctæ Scripturæ locis confessio, non pœnitentiam, sed laudem sonat. (* Vulg. &) (Confessio peccatorum; & confessio laudis.)

V. 21. *Adhuc me loquente in oratione: ecce vir Gabriel quem videram [b] in visionis principio.* Principium vocat præteritam visionem, quam hæc sequitur. Et grandis orationis effectus est; impletaque promissio Domini qui ait: *Adhuc te loquente dicam, ecce adsum.* Videtur autem Gabriel, non Angelus vel Archangelus, sed vir: ut nequaquam sexum, sed nomen virtutis ostenderet. (Isai. 58. 9.)

Cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Volare dicitur, * quia ut vir apparuerit, & in tempore sacrificii vespertini: quia oratio Prophetæ a sacrificio matutino usque ad sacrificium vespertinum perseverarat: & propterea Dei in se flexit misericordiam. (* al. qui)

V. 22. *Et docuit me, & loquutus est mihi, dixitque.* Tam obscura est visio, ut Propheta Angeli doctrina indigeat.

Daniel nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres. Nunc ad te missus sum, & egressus [c] sum, non a facie Dei, ut ab eo recederem, sed ut ad te venirem.

V. 23. *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Ut rogare cœpisti, statim impetrasti misericordiam Dei: & egressa est sententia, & ego idcirco missus sum, ut exponerem tibi quæ ignoras: quia vir desideriorum es, sive amabilis, & Dei amore dignus, ut Salomon appellatus est * *Idida*: sive *vir desideriorum*, quod pro desiderio tuo, Dei secreta audire merearis, & esse conscius futurorum. (* al. Jedida)

Tu

[a] Addit Victor. *potens* ex Psalmi textu.
[b] Palat. ms. *in visione in principio*, Vatic. *in principio* tantum.

[c] Vatic. *& egressus sum a facie Dei non ut ab eo* &c. In Palat. verba *& egressus sum* penitus desiderantur.

Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Si Danieli dicitur: *diligenter attende*, ut audias & intelligas, quod vides: quid nos facere oportet, quorum oculi ignorantiæ tenebris, & caligine vitiorum obcæcati sunt.

V. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam:* [a] *ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna: & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus* ([b] *populus qui eum negaturus est,*) *& civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio: Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Et erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Quia Propheta dixerat: *Eduxisti populum tuum, & nomen tuum invocatum est super civitatem tuam, & super populum tuum*, propterea ex persona Dei loquitur Gabriel: Nequaquam populus Dei est, sed populus tuus: nec urbs sancta Dei, sed sancta, ut * dicis tibi. Simile quid & in Exodo legimus, quando Deus loquitur ad Moysen: *Descende, peccavit enim populus tuus*, hoc est, non populus meus, quia me deseruit. Quia igitur postulas pro Jerusalem, & oras pro populo Judæorum, audi quid in septuaginta annorum hebdomadibus futurum sit populo tuo, & urbi tuæ quæ sequuntur. Scio de hac quæstione ab eruditissimis viris varie disputatum, & unumquemque pro captu ingenii sui dixisse quod senserat. Quia igitur periculosum est de magistrorum Ecclesiæ judicare sententiis, & alterum præferre alteri, dicam quid unusquisque senserit, lectoris arbitrio derelinquens, cujus expositionem sequi debeat. Affricanus in quinto Temporum volumine, de septuaginta hebdomadibus hæc loquutus ad verbum est. „ Capitulum [c] quod „ in Daniele de septuaginta hebdomadibus legimus multa & mirabilia continet, quæ nunc longum est dicere: „ ergo quod ad præsens opus pertinet, „ de temporibus differendum est. Nullique dubium quin de adventu Christi prædicatio sit, qui post septuaginta hebdomadas mundo apparuit, post „ quem consummata sunt delicta, & „ finem accepit peccatum, & deleta est „ iniquitas: & annuntiata justitia sempiterna, quæ legis justitiam vinceret: & impleta est visio, & prophetia: quia lex & Prophetæ usque ad „ [d] Baptistam Joannem: & unctus est „ Sanctus sanctorum: quæ omnia priusquam Christus humanum corpus assumeret, sperabantur magis quam tenebantur. Dicit autem ipse Angelus „ septuaginta annorum hebdomadas, id „ est, annos quadringentos nonaginta, „ ab exitu sermonis, ut respondeatur, „ & ut ædificetur Jerusalem, vicesimum „ Artaxerxis regis Persarum annum habere principium. Neemias quippe „ hujus pincerna, sicut in Esdræ libro „ legimus rogavit regem, accepitque „ responsum, ut ædificaretur Jerusalem. Et iste egressus est sermo qui „ exstruendæ urbis, & circundandæ muris daret licentiam: quæ usque ad „ illud tempus vicinarum gentium patebat incursibus. Si quidem ad Cyri „ regis imperium, qui volentibus reverti Jerosolymam dederat potestatem, „ Jesus Pontifex & Zorobabel, & postea Esdras Sacerdos, & cæteri qui „ cum eis proficisci voluerant, Templum & urbem, & muros ejus ædificare conati sunt, prohibentibus in „ circuitu nationibus, ne impleretur „ opus, quasi hoc rex non jussisset. „ Mansit itaque imperfectum opus usque ad Neemiam, & vicesimum annum regis Artaxerxis: * quo tempore „ regni Persarum, centum & quindecim anni fuerant evoluti, captivitatis autem Jerusalem, centesimus octogesimus, & quintus annus erat: „ & tunc primum Artaxerxes jussit muros exstrui Jerusalem: cui operi „ præfuit Neemias, & ædificata est „ platea, & muri circundati: & ex „ illo tempore si numerare velis septua-

Marginalia: * al. discas. — Exod. 32. 7. — Periculosum judicare de magistrorum sententiis, &c. — Luca 16. d — Neem. 2. — * Ergo captivitas ante regnum Persarum annis 70.

a Subsequens pericope sacri Textus tota in nostris Mss. vacat.

b Istæc parenthesi inclusa verba in Hebræo non sunt.

c Fragmentum istud ex Opere Affricani Græce habetur penes Eusebium de Præparat. Evang. lib. 8. cap. 1.

d In Vatic. *usque ad baptismum Joannis*.

,, ptuaginta annorum hebdomadas us- A
,, que ad Christum poteris invenire .
,, Quod si harum principium ab [a] alio
,, tempore voluerimus sumere , &
,, tempora non concurrent , & multa
,, reperiemus contraria . Nam si a Cy-
,, ro , & prima ejus indulgentia , qua
,, Judæorum est laxata captivitas , se-
,, ptuaginta numerentur hebdomadæ ,
,, centum & eo amplius inveniemus
,, annos , qui statutum septuaginta
,, hebdomadarum excedant numerum : B
,, & multo plus si ex qua die loqu-
,, tus est Danieli Angelus : additurque
,, amplior numerus , si captivitatis
,, exordium volueris hebdomadarum
,, habere principium . Permansit enim
,, regnum Persarum , usque ad ini-
,, tium Macedonum , annis ducentis
,, triginta : & ipsi Macedones regnave-
,, runt annis trecentis : atque exinde
,, usque ad annum * quintumdecimum
,, Tiberii Cæsaris , quando passus est C
,, Christus , numerantur anni sexagin-
,, ta , qui simul faciunt annos quingen-
,, tos nonaginta , ita ut centum super-
,, sint anni . A vicesimo autem anno
,, Artaxerxis regis usque ad Christum ,
,, complentur hebdomadæ septuaginta ,
,, juxta lunarem Hebræorum supputa-
,, tionem , qui menses non juxta solis ,
,, sed juxta lunæ cursum numerant .
,, Nam a centesimo , & quintodecimo
,, anno regni Persarum , quando Ar- D
,, taxerxes rex ejusdem imperii , vicesi-
,, mum regni sui habebat annum , &
,, erat octogesimæ & tertiæ Olympiadis
,, annus quartus , usque ad * ducentesi-
,, mam secundam Olympiadem , &
,, secundum ejusdem Olympiadis an-
,, num , Tiberiique Cæsaris annum
,, quintumdecimum , colliguntur anni
,, quadringenti septuaginta quinque ,
,, qui faciunt annos Hebraicos qua-
,, dringentos nonaginta , juxta lunares E
,, (ut diximus) menses . Qui secun-
,, dum illorum supputationem possunt
,, facere per singulos menses dies * vi-
,, ginti novem , & semis : ita ut solis
,, circulus per annos quadringentos no-
,, naginta plus habeat dies trecentos
,, sexaginta quinque , & quartam diei
,, partem : & per duodecim menses sin-
,, gulorum annorum undecim dies &
,, & quarta diei pars amplius reperia-
,, tur . Unde Græci & Judæi , per octo
,, annos trium mensium ἐμβολίσμυς fa-

* ἑκκαιδέκατον.

Menses Hebræi numerant juxta lunæ cursum.

* al. centesimam

* al. viginti octo

,, ciunt . Si enim octies undecim , &
,, quartam partem volueris supputa-
,, re , nonaginta dies , hoc est , tres
,, menses efficies , & in quadringentis
,, * septuaginta quinque annis octonarii
,, reperientur anni quinquaginta no-
,, vem , & menses tres : qui simul fa-
,, ciunt plus minusve annos quindecim :
,, quos si quadringentis septuaginta
,, quinque annis volueris addere , se-
,, ptuaginta annorum facies hebdoma-
,, das , hoc est , simul annos quadrin-
,, gentos nonaginta . Hæc Africanus
eisdem verbis quibus expressimus lo-
quutus est . Transeamus ad Eusebium
Pamphili , qui in octavo libro εὐαγγελι-
κῆς ἀποδείξεως tale nescio quid suspica-
,, tur : Non mihi videtur frustra se-
,, ptuaginta hebdomadarum facta di-
,, visio : ut primum diceretur *septem* ,
,, deinde *sexaginta duæ* , & ultima ad-
,, deretur *hebdomas una* , quæ &
,, ipsa in duas partes secta est . Scri-
,, ptum est enim : *Scies & intelliges ab*
,, *exitu sermonis : ut respondeatur , &*
,, *ædificetur Jerusalem , usque ad Christum*
,, *ducem hebdomadas septem , & hebdoma-*
,, *das sexaginta duas* . Et post alia quæ
,, narravit in medio , ponit in fine :
,, *confirmabit testamentum plurimis * heb-*
,, *domada una* . Hæc non frustra & ab-
,, sque inspiratione Dei Angelum re-
,, spondisse manifestum est . Quæ ob-
,, servatio cautam atque solicitam vi-
,, detur expetere rationem , ut lector
,, diligenter attendat , & caussam * di-
,, visionis inquirat . Sin autem necesse
,, est nos dicere quod sentimus , juxta
,, aliam expositionem , quæ in præsen-
,, ti versatur lectione , in eo quod An-
,, gelus ait : *Ab exitu sermonis ut respon-*
,, *deatur & ædificetur Jerusalem usque ad*
,, *Christum ducem* , non alios arbitra-
,, mur quam principes , qui post hanc
,, prophetiam , & reversionem de Ba-
,, bylone Judaico populo præfuerunt ,
,, hoc est ἀρχιερεῖς , & Pontifices quos
,, *Christos* , ab eo quod uncti sunt , Scri-
,, ptura cognominat : quorum princeps
,, fuit Jesus filius Josedec , Sacerdos
,, magnus : & qui fuerunt usque ad
,, adventum Domini Salvatoris . Hos-
,, que significat vaticinium propheta-
,, le , dicens : *Ab exitu sermonis , ut re-*
,, *spondeatur & ædificetur Jerusalem , us-*
,, *que ad Christum ducem , hebdomadæ*
,, *septem , & hebdomadæ sexaginta duæ* ,
,, id

* al. quadraginta

* al. hebdomas.

* al. visionis.

a Duo mss. *ab illo tempore voluerimus sumere* .

,, id est, ut septem hebdomadæ, & postea sexaginta duæ, quæ faciunt annos quadringentos octoginta tres a Cyro numerentur. Ac ne videamur procacem tantum ferre sententiam, & non probare quæ dicimus, numeremus eos qui post Jesum filium Josedec usque ad adventum Domini populo præfuerunt Christi, id est, uncti in Pontificatum. Primus igitur, ut ante jam diximus, post Danielis prophetiam, quæ facta est sub Cyro rege, postquam de Babylone reversus est populus, Jesus filius Josedec fuit, Sacerdos magnus, & Zorobabel filius Salathiel, qui Templi fundamenta jecerunt: impeditoque opere a Samaritis, & aliis in circuitu nationibus, septem hebdomadarum anni completi sunt, id est, quadraginta & novem, in quibus imperfectum opus Templi fuit: & quas prophetia a reliquis sexaginta duabus hebdomadibus separat. Denique & Judæi in Evangelio ex hac * opinione loquuntur ad Dominum: *Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu in tribus diebus suscitabis illud?* Tot enim anni sunt a primo anno Cyri regis, qui libertatem dedit volentibus Judæis reverti in patriam, usque ad sextum annum Darii regis, sub quo Templi opus omne completum est. Porro Josephus, & alios tres annos addidit, in quibus περίβολοι Templi, & quædam alia quæ remanserant perfecta sunt: qui additi quadraginta sex annis, faciunt annos quadraginta novem, id est, septem annorum hebdomadas. Reliquas autem sexaginta duas hebdomadas ab ejusdem Darii septimo anno enumerant. Quo tempore Jesus filius Josedec, & Zorobabel jam majoris ætatis populo præerant: sub quibus prophetaverunt Aggæus, & Zacharias: post quos Esdras & Neemias de Babylone venientes, muros urbis exstruxerunt, tenente Pontificatum Joachim, filio Jesu, cognomento Josedec: post quem successit in Sacerdotium Eliasub, ac deinde Joiade, & postea Joannes: post quem Jaddus, cujus ætate Alexander, rex Macedonum, condidit Alexandriam, ut ᵃ Josephus in Antiquitatum libris loquitur: venitque Jerosolymam, & victimas in Templo immolavit. Mortuo autem Alexandro, centesima tredecima Olympiade, anno ducentesimo trigesimo-sexto regni Persarum: quod ceperat primo anno quinquagesimæ quintæ Olympiadis: quo tempore Cyrus rex Persarum, Babylonios, Chaldæosque superavit, & post mortem Jaddi sacerdotis, qui sub Alexandro Templo præfuit, suscepit Pontificatum Onias: quo tempore Seleucus, subjugata Babylone, diadema totius Syriæ, & Asiæ capiti suo imposuit, anno duodecimo mortis Alexandri. In quod tempus supputantur omnes anni a Cyri imperio, ducenti quadraginta octo. Ex qua ætate Scriptura Machabæorum regnum Græcorum enumerat. Post Oniam præfuit Judæis Pontifex Eleazarus. Quo tempore Septuaginta Interpretes Scripturas sanctas Alexandriæ dicuntur in Græcum vertisse sermonem: post quem alter Onias, cui successit Simon, quo regente populum, Jesus filius Sirach scripsit librum qui Græce πανάρετος appellatur, & plerisque Salomonis falso dicitur. Cui successit in Pontificatum alius Onias, quo tempore Antiochus Judæos diis gentium immolare cogebat. Quo mortuo, Judas Machabæus purgavit Templum, & idolorum simulacra contrivit. Cui successit frater Jonathan: & post eum rexit populum Simon frater utriusque, in cujus morte ducentesimus septuagesimus septimus regni Syriæ impletus est annus: & usque ad hoc tempus, Machabæorum primus liber historiam continet. Supputanturque a primo anno Cyri regis Persarum, usque ad finem primi Machabæorum voluminis, & mortem Simonis Pontificis, anni quadringenti vigintiquinque. Post quem Ioannes tenuit Pontificatum, annis viginti novem: quo mortuo Aristobolus, uno anno præfuit populo: qui primus reversus de Babylone, diadema insigne regiæ potestatis cum honore Pontificatus assumsit. Hujus successor fuit Alexander, rex ,, pa-

* al. opinatione.
Joan. 2, 20.

ᵃ Libro quidem XI. c. 8. Jerosolymam venisse Alexandrum tradit Josephus, & in Templo sacrificasse τῷ θεῷ κατὰ τὴν τοῦ Ἀρχιερέως ὑφήγησιν· à-tum vero temporis, sive Jaddi ætate conditam ab eo Alexandriam, minime Josephus narrat.

„ pariter, & Pontifex, qui rexit populum annis viginti ſeptem: & hactenus, a primo anno Cyri regis, & captivorum reditu, qui in Judæam venire voluerunt, ſupputantur anni quadringenti octoginta tres: quos ſeptem, & ſexaginta duæ hebdomadæ, id eſt, ſexaginta novem ſimul efficiunt. Et hoc omni tempore Pontifices rexerunt populum Judæorum, quos ego nunc arbitror vocari Chriſtos duces. Mortuo autem noviſſimo eorum Alexandro, huc atque illuc in varias partes abſque ullo duce gens Judæorum ſeditionibus vexabatur, intantum ut Alexandra, quæ & Salina vocabatur, ejuſdem Alexandri uxor, obtineret imperium, & Pontificatum quidem Hircano filio reſervaret: Ariſtobolo autem alteri filio regnum traderet, quod obtinuit annis decem. Pugnantibus autem contra ſe inteſtina ſeditione germanis, & gentem Judæorum in diverſa ſtudia trahentibus, ſupervenit Cneus Pompejus dux Romani exercitus, captaque Jeroſolyma, uſque ad adyta Templi ingreſſus eſt, quæ vocabantur *Sancta ſanctorum*: * vinctumque Ariſtobolum Romam miſit ſervans triumpho ſuo, & Pontificatum Hircano fratri ejus tradidit. Tunc primum gens Judæorum Romanis facta eſt tributaria. Poſt quem Herodes filius Antipatris, interfecto Hircano, regnum Judæorum Senatus conſulto accepit, & primus alienigena Judæis præfuit. Qui Pontificatum quoque nequaquam juxta legem Moyſi, mortuis parentibus, tradebat liberis, ſed alienis, & nec ipſis multo tempore, [a] niſi ob gratiam & pretium, divinæ legis juſſa contemnens.“ Ponit & aliam idem Euſebius explanationem, quam ſi voluerimus in Latinum ſermonem vertere, extendemus libri magnitudinem. Hæc eſt ergo interpretationis ejus ſententia: A ſexto anno Darii, qui poſt Cyrum, & Cambyſen filium ejus regnavit in Perſis, quando Templi opera conſummata ſunt, uſque ad Herodem, & Cæſarem Auguſtum, numerat hebdomadas ſeptem & ſexaginta duas, quæ faciunt annos quadringentos octoginta tres: quando Chriſtus, hoc eſt, Hircanus noviſſimus Pontifex de genere Machabæorum ab Herode jugulatus eſt, & ceſſavit juxta legem Dei Pontificum ſucceſſio. Civitatem quoque & ipſum ſanctuarium ſub duce Romano, Romanus vaſtavit exercitus, ſive ipſe Herodes, qui per Romanos indebitum in Judæos arripuit imperium. Quodque infert: *Confirmabit enim pactum multis * hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium*, ſic interpretatur, quod & Herode regnante apud Judæam, & Auguſto apud Romanos, Chriſtus natus ſit, qui tribus annis, & ſex menſibus juxta Evangeliſtam Joannem Evangelium prædicavit, & confirmavit veri Dei cultum multis: haud dubium quin Apoſtolis, & credentibus, quando poſt paſſionem Domini in dimidia rurſum hebdomada defecit hoſtia, & ſacrificium. Quidquid enim in Templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus diaboli, cunctis in commune clamantibus: *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros*. Et: *Non habemus regem niſi Cæſarem*. Quem locum in * Chronico ejuſdem Euſebii, quem ante annos plurimos in Latinam linguam vertimus, diligens lector plenius ediſſertum poterit invenire. Quod autem a perfectione Templi uſque ad decimum Auguſti imperatoris annum, quando, interfecto Hircano Herodes Judæam obtinuit, ſeptem & ſexaginta duæ hebdomadæ, id eſt, quadringenti octoginta tres ſupputentur anni, ſic poſſumus approbare: ſexageſimæ ſextæ * Olympiadis primo anno, hoc eſt, Darii ſexto, completa eſt Templi ædificatio, & centeſimæ octogeſimæ ſextæ Olympiadis anno tertio, id eſt, Auguſti decimo, Herodes in Judæos cepit imperium: qui faciunt annos quadringentos octoginta tres, per ſingulas Olympiades, quadriennio ſupputato. Dicit idem Euſebius, & aliam opinionem, quam ex parte non [b] reprobo: quod plerique unam hebdomadem annorum in ſeptuaginta annos extendant, per ſingulos hebdomadis annos, decennio ſupputato. Et volunt a paſſione Domini uſque ad Neronis imperium, annos eſſe triginta quinque, quando contra Judæos Romana primum

A B C D E

[Margin: * al. vinctumque.]
[Margin: * al. hebdomadis.]
[Margin: Matt. 27. 25.]
[Margin: * Chronic. Euſebii Latine abs Hieron. verſum.]
[Margin: * Lege utrobique ſeptimæ]

a Iſtud *niſi* noſtri mſſ. non habent. Conſule Græcum textum.
b Vatic. *non reprobat*: Palat. *qua ex parte non reprobatur*: tum *quod plenius hebdomadas annorum in ſeptuaginta* &c.

mum arma commota sunt , & hanc A
esse dimidiam hebdomadam annorum
septuaginta . Postea vero a Vespasia-
no & Tito , & deinceps quando Je-
rosolyma Templumque succensum est ,
usque ad Trajanum , alios esse annos
triginta quinque , & hanc esse hebdo-
madem de qua Angelus loquitur Da-
nieli : *Confirmabit autem pactum multis*
hebdomada una . In totum enim or-
bem per Apostolos Evangelium præ-
dicatum est , qui usque ad illud tem- B
pus perseveraverunt , tradentibus Ec-
clesiastricis historiis Joannem Evangeli-
stam usque ad tempora vixisse Traja-
ni . Sed nescio quomodo superiores heb-
domadas septem , & sexaginta duas ,
per septenos annos , & hanc unam per
denos , id est , septuaginta annis possi-
mus accipere . Hæc Eusebius . Hippo-
lytus autem de eisdem hebdomadibus
a opinatus est ita : " [a] Septem hebdo-
,, madas ante reditum populi supputat , C
,, & sexaginta duas post reditum , us-
,, que ad nativitatem Christi , quarum
,, tempora omnino non congruunt . Si-
,, quidem regni Persarum ducenti , &
,, triginta supputantur anni , & Mace-
,, donum trecenti , & post illos usque
,, ad Nativitatem Domini , anni tri-
,, ginta , hoc est , ab initio Cyri regis
,, Persarum usque ad adventum Salva-
,, toris , anni quingenti sexaginta . No-
,, vissimam quoque hebdomadam ponit D
,, in consummatione mundi , quam di-
,, vidit in Eliæ tempora , & antichri-
,, sti , ut tribus & semis annis ultimæ
,, hebdomadis , Dei notitia confirmetur .
,, De qua dictum est : *Confirmabit pa-*
Dan. 9. 27. ,, *ctum multis hebdomada una* : & tribus
,, aliis annis sub Antichristo deficiet ho-
,, stia , & sacrificium . Adveniente au-
,, tem Christo , & iniquum spiritu oris
,, sui interficiente , usque ad consumma-
,, tionem , & finem perseveret desola-
,, tio . " Apollinarius autem Laodice- E
nus omni præteritorum temporum se li-
berans quæstione , vota extendit in fu-
turum , & periculose de incertis profert
sententiam . Quæ si forte hi qui post
nos victuri sunt statuto tempore com-
pleta non viderint , aliam solutionem
quærere compellentur , & magistrum er-
roris arguere . Dicit ergo , ut verbum e
verbo interpreter , ne calumniam videar
facere non dicenti : " In quadringentis
,, nonaginta annis peccata , & omnia
,, quæ ex peccatis oriuntur vitia com-
,, primenda : post quæ ventura sint bo-
,, na , & reconciliandum Deo mundum
,, in adventu Christi Filii ejus . Ab e-
,, xitu enim Verbi , quando Christus
,, de Maria generatus est virgine , us-
,, que ad quadragesimum nonum an-
,, num , id est , finem septem hebdo-
,, madarum , Israelis exspectatam pœni-
,, tentiam . Postea vero ab octavo Clau-
,, dii Cæsaris anno , contra Judæos
,, Romana arma correpta . Tricesimo
,, enim juxta Evangelistam Lucam
,, anno ætatis suæ cæpit in carne Do- Luc. 3.
,, minus Evangelium prædicare , &
,, juxta Joannem Evangelistam , per Joan. 2.
,, tria paschata duos postea implevit & 11.
,, annos , & exinde sex Tiberii suppu-
,, tantur anni , & quattuor C. Cæsaris
,, cognomento Caligulæ , & octo Clau-
,, dii , id est , simul anni quadragin-
,, ta novem , qui faciunt hebdomadas
,, annorum septem . Quum autem qua-
,, dringenti triginta quattuor anni post
,, hoc fuerint evoluti , id est , sexa-
,, ginta duæ hebdomadæ , tunc ab E-
,, lia , qui venturus est juxta sermo-
,, nem Domini Salvatoris , ut resti- Luc. 1.
,, tuat cor patrum ad filios , in ulti-
,, ma hebdomade ædificandam Jerusa- 2. Thess. 2.
,, lem , & Templum , per annos tres
,, & semis : venturumque Antichri-
,, stum , & juxta Apostolum sessurum
,, in Templo Dei , & interficiendum
,, spiritu Domini Salvatoris , postquam
,, contra sanctos dimicaverit : atque
,, ita fieri , ut media hebdomas con-
,, firmet testamentum Dei cum san-
,, ctis , & rursum media cessationem
,, victimarum esse prænuntiet sub An-
,, tichristo , qui ponet abominationem
,, desolationis , id est , idolum & sta-
,, tuam proprii Dei in Templo , &
,, erit extrema vastitas , & condemna-
,, tio populi Judæorum , qui spreta ve-
,, ritate Christi , receperunt Antichri-
,, sti mendacium . " Asserit autem idem
Apollinarius hanc se temporum capere
conjecturam , quia Affricanus scriptor
temporum , cujus supra expositionem
posui ultimam hebdomadam in fine
mundi esse testetur : nec posse fieri ,
ut junctæ dividantur ætates ; sed om-
nia sibi juxta prophetiam Danielis
esse tempora copulanda . Clemens vir
eruditissimus , presbyter Alexandrinæ
Ecclesiæ , parvipendens annorum , nu-
me-

[a] In Commentariis in Danielem , sive Opere *de Susanna historia* .

merum, a Cyro rege Persarum, usque ad Vespasianum, & Titum imperatores Romanos, septuaginta annorum hebdomadas dicit esse completas, id est, annos quadringentos nonaginta, additis in ipso numero duobus millibus trecentis diebus, de quibus supra diximus: Persarumque, & Macedonum, & Cæsarum tempora in his hebdomadibus enumerare conatur, quum juxta diligentissimam supputationem, a primo anno Cyri regis Persarum atque Medorum, in quo imperavit & Darius, usque ad Vespasianum, & eversionem Templi, supputentur anni sexcenti triginta. Origenes quum proposuisset hoc idem capitulum, hortatus est nos, ut quæramus quod non intelligimus, & quia non habebat locum allegoria, in qua est libera disputatio, historiæ veritate conclusus, hæc in decimo Stromatum volumine breviter annotavit: " Studiosius requirenda sunt tempora a primo anno Darii filii Assueri usque ad adventum Christi, quot anni sint, & quæ in illis gesta dicantur, & videndum est an ea possimus adventui Domini coaptare. " Tertullianus quid dixerit, ex eo libro quem contra Judæos scripsit, nosse poterimus, cujus verba breviter ponenda sunt: " Unde igitur ostendemus, quia Christus venit intra sexaginta duas [a] hebdomadas? Numeremus a primo anno Darii, quoniam ipso tempore ostenditur Danieli visio ipsa. Dicit enim ei: *Intellige, & conjice a* [b] *prophetatione sermonis respondere me tibi hæc*. Unde a primo anno Darii debemus computare, quando hanc vidit visionem Daniel. Videamus igitur anni quomodo impleantur usque ad adventum Christi. Darius annis regnavit decem & novem. Artaxerxes annis quadraginta. Ochus qui & Cyrus, annis viginti quattuor. [c] Argus anno uno. Darius alius, qui & Melas nominatus est, annos viginti [d] unum. Alexander Macedo annis duodecim. Deinde post Alexandrum (qui & Medis, & Persis regnaverat, quos devicerat, & in Alexandria regnum suum firmaverat, quando & nomine suo eam appellavit) [e] regnavit illic in Alexandria Soter annis triginta quinque: cui successit Philadelphus, regnans annis triginta [f] octo. Post hunc Evergetes regnavit annis viginti quinque: deinde Philopator annis decem & septem, & post hunc Epiphanes annis viginti quattuor. Item alius Evergetes annis viginti [g] novem. Soter annis triginta octo. Ptolemæus annis triginta [h] septem. Cleopatra annis viginti, mensibus [i] quinque. Item Cleopatra conregnavit Augusto annis tredecim. Post Cleopatram Augustus aliis annis quadraginta tribus imperavit. Nam omnes anni Augusti imperii fuerunt * numero quinquaginta sex. * Videamus autem quoniam in quadragesimo primo anno imperii Augusti, qui post mortem [k] Cleopatræ imperavit

Reges Persarum.

* al. anni.
* al. Videamus.

a Penes Tertullianum *inter septuaginta duas & dimidiam hebdomadas*.

b Legit Pomerius a Pamelio laudatus, *Intellige prophetationes sermonis hujus*: sed placet, inquit Pamelius, vulgata lectio *a profectione sermonis* &c.

c Hunc plerique omnes appellant *Arsen*. Canon Mathematic. *Aregum* vocat.

d In Vulgatis Tertulliani *annos vigintidues*.

e Addunt nostri Mss. editique Tertulliani codd. *Post eum*, quas voces Victorius, utpote jam adposita parenthesi redundantes, expunxit.

f Huic quoque alterum annum largitur, sive annos ponit *triginta novem* vulgatus Tertullianus, cui Pomerius & Glossa consentiunt. Atque adeo est, inquit Pamelius, etiam apud B. Hieron. castigandus hic annorum numerus.

g Nostri mss. *viginti septem* dumtaxat numerant, quemadmodum & Pomerius.

h Pamelius *triginta octo* restituit, sicque emendandum contendit etiam apud Hieron. & Pomerium, ut constet numerus annorum 436. maxime, inquit, quum Eusebius Ptolemæo Cleopatræ filio (si mendosus non sit codex) octo, & Ptolemæo Dionysio triginta annos attribuat, quos duos pro uno & eodem alii connumerant.

i Idem restituit *sex* ex Glossa ordinaria tum hic tum postea, & ex tribus illis, de Augusto: *annis quadraginta tribus*, pro *quadraginta octo*: nam tredecim anni cum Cleopatra, & quadraginta tres post illam, *fuerunt anni quinquaginta sex*. Mox apud Tertullian. *Item adhuc Cleopatra conregnavit sub Augusto* &c.

k Pamelius ait: Quod hic & paulo post habet Auctor: *post mortem Cleopatræ*, certe ad lapsum memoriæ pertinet, & tamen genuinum esse vel inde patet, quod computatione sequenti ann. CCCCXXXVII. computet & annos Cleopatræ sub Augusto XIII. & præterea Augusti XLI. quum revera solum debuisset computare (uti Clemens Alexandrinus) annos Augusti post Cleopatram XXIX. Atque adeo rursum hallucinatur, quum dicit supervixisse Augustum post natum Christum annos XV. qui alioqui secundum priorem ejus computationem non potuit vixisse post Cleopatræ an. 13. & suos 41. quam annos duos; quippe quem fatetur juxta communem omnium sententiam imperasse dumtaxat annos numero LVI. ubi etiam hoc loco, additur vox: *numero*, ex lectione Pomerii, B. Hieronymi ac Glossæ ordinariæ, qui etiam legunt: *& erunt reliqua tempora annorum in diem nativitatis Christi & in annum Augusti XLI. post mortem Cleopatræ anni CCCCXXXVII. menses sex*: rectius meo judicio, quam vulgati codd. *in diem nativitatis Christi anni XLI. Efficiuntur autem anni CCCCXXXVII. menses quinque*. Sicuti etiam quod habet Pomerius: *remittuntur*, magis placet quam quod erat: *tribuuntur*, quia improprie dicerentur *tribui peccata*, pro *dimitti*. Item: *ipse*, pro *illo*; ex iisdem legimus, *ipse est signaculum*. Perinde est autem, sive legas: *neque Prophetes est qui*, sive: *neque prophetia est quæ*.

„ vit, nascitur Christus, & supervi- A
„ xit idem Augustus, ex quo natus
„ est Christus, annos numero quinde-
„ cim. Et erunt reliqua tempora an-
„ norum in diem Nativitatis Christi,
„ in annum Augusti quadragesimum
„ primum, post mortem Cleopatræ,
„ anni quadringenti triginta septem,
„ menses quinque. Unde adimplen-
„ tur sexaginta duæ hebdomades &
„ dimidia, quæ efficiunt annos qua-
„ dringentos triginta septem, menses B
„ sex in diem Nativitatis Christi. Et
„ manifestata est justitia æterna, &
„ unctus est Sanctus sanctorum, id
„ est, Christus, & signata est visio,
„ & prophetia, & dimissa sunt pec-
„ cata, quæ per fidem nominis
„ Christi omnibus in eum credentibus
„ tribuuntur. Quid est autem quod
„ dicit, *signari visum & prophetiam?*
„ quoniam omnes Prophetæ nuntia-
„ bant de ipso quod esset venturus,
„ & pati haberet. Igitur quoniam C
„ impleta est prophetia per adventum
„ ejus, propterea signari visionem, &
„ prophetiam dicebat, quoniam ipse
„ est signaculum omnium Propheta-
„ rum, adimplens omnia quæ retro
„ de eo Prophetæ nuntiabant. Post
(* al. *Christi*) „ adventum enim, & passionem * ejus,
(* al. *Prophetes*.) „ jam non est visio, neque * Prophetia
„ quæ Christum nuntiet esse ventu-
„ rum. Et post paululum: Videa-
(a) „ mus, inquit, [a] quid aliæ septem, D
„ & dimidia hebdomades quæ sunt
„ subdivisæ in abscissione priorum heb-
„ domadarum, in quo actu sint adim-
(b) „ pletæ. Post Augustum enim, [b] qui
„ supervixit post Nativitatem Chri-
„ sti, anni quindecim efficiuntur. Cui
„ successit Tiberius Cæsar, & impe-
„ rium habuit annis viginti duobus,
(c) „ mensibus septem, diebus [c] viginti
„ octo. Hujus imperii decimo quin-
(d) „ to anno [d] patitur Christus, annos E

„ habens quasi triginta tres quum pa-
„ teretur. Item Cajus Cæsar qui &
„ Caligula, annis tribus, mensibus
„ octo, diebus tredecim. Nero annis
„ novem, mensibus novem diebus
„ tredecim. Galba mensibus septem,
„ diebus [e] viginti octo. Otho men- (e)
„ sibus tribus, diebus quinque. Vi-
„ tellius mensibus octo, diebus [f] vi- (f)
„ ginti octo. Vespasianus anno primo
„ imperii sui debellavit Judæos, &
„ fiunt anni numero quinquaginta duo,
„ menses sex. Nam imperavit annis
„ undecim, atque ita in diem expu- (Tert. an. IX.)
„ gnationis suæ, Judæi impleverunt
„ hebdomadas septuaginta prædictas
„ a Daniele. Hebræi quid de hoc
loco sentiant brevi sermone * perstrin- (* al. *perstrinxi*.)
gam, fidem dictorum his a quibus
dicta sunt derelinquens. Dicamus igi-
tur παραφραστικῶς, ut sensus manifestior
fiat. O Daniel, scito quod a die hac
qua tibi nunc loquor (erat autem
annus primus Darii, qui occidit Bal-
thasar, & regnum Chaldæorum in
Persas Medosque transtulit) usque ad
septuagesimam annorum hebdomadam,
hoc est annos quadringentos nonagin-
ta, hæc populo tuo per partes ac-
cident. Primum propitiabitur tibi
Deus, quem nunc magnopere depre-
caris, & delebitur peccatum, & fi-
nem accipiet prævaricatio. Nunc
enim urbe deserta, & Templo usque
ad fundamenta destructo, in luctu est
populus constitutus: sed non post gran-
de tempus instaurabitur. Et non so-
lum hoc fiet in his septuaginta heb-
domadibus, ut ædificetur civitas, &
Templum instauretur, sed nascatur
Christus, id est, justitia sempiterna.
Et signabitur visio, & prophetia, ut
nequaquam Propheta inveniatur in I-
srael; & ungatur Sanctus sanctorum.
De quo in Psalterio legimus: *Propte-* (*Ps.* 44. 8.)
rea unxit te Deus, Deus tuus, oleo læti-

a Superfluum *quid* Pamelius expungit.

b Palat. ms. *quibus supervixit*: mox *anni quindecim* pro *annis quindecim* ex Vatic. aliisque mss. emendamus, interpunctione insuper castigata. Pamelius videtur, inquit, legi debere *primum Augusti* pro, *Post enim Augustum*: quia isti anni XV. ipsius sunt Augusti.

c Penes Tertullianum *viginti* dumtaxat, in quem locum Pamelius, tametsi, inquit. B. Hieronymus, Pomerius & Glossa ordinaria legunt *viginti octo*, placet tamen vulgata lectio, maxime quum dies Auctor non computet. Nan uti est in Fastis Consularibus Goltzii. ANNO AB URB. C. DCCLXXXIX. AD XVII. KAL. APRIL. TIB. CÆSAR DIVI AUG. F. DIVI JULII NEPOS AUGUSTUS MORTUUS EST. A mense autem Augusto supradicto, anni *V.* C. 766. ad mensem usque Martium anni 789. sunt dumtaxat anni XXII, menses VII.

d In Vatic. ms. *baptizatur* pro *patitur*, ferme cum Glossa ordinaria, omittens & illud paulo post, *quum pateretur*. Quin etiam juncto Palatino ipsiusque Tertulliani codicibus *non triginta tres*, sed *triginta* tantum Christi annos computat. Apparet innui Evangelii testimonium, quod anno XV. Tiberii baptizatus est Christus quasi annorum triginta.

e Prætulit Pamelius *sex* pro *viginti octo*: quia inquit imperavit dumtaxat VII. mensibus & diebus paucissimis, nempe a IIII. Idus Junias, usque ad XVIII. kal. Februarias.

f Iterum pro *viginti octo* penes Tertullian. *decem* legitur, quod Pamelius ex eo probat, quod A. Vitellius imperarit a die XII. kal. Majas usque ad IX. Kal. Januarias quo die occisus est, mensibus nempe octo & diebus aliquot.

tiæ præ consortibus tuis. Qui & in alio loco dicit de se: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum*. (Levi 19. 2.) Scito igitur quoniam a die hac qua nunc tibi loquor, & Dei sermone promitto, quod revertatur populus, & Jerusalem instauretur, usque ad Christum ducem, & perpetuam desolationem Templi, hebdomadæ numerentur sexaginta duæ, necnon & aliæ septem hebdomadæ, in quibus juxta ordinem suum duæ res fient, de quibus & ante jam dixi, quod revertatur populus, & ædificetur platea a Neemia & Esdra. In fine ergo hebdomadarum complebitur Dei sententia in angustia temporum, quando rursum destruetur Templum, & capietur civitas. Nam post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus, & non * erit ejus populus qui eum negaturus est, sive ut illi dicunt, non erit * illius imperium, quod putabant [a] se retenturos. (* al. erit; * al. illis; a) Et quid dico de Christo occidendo, & populo penitus deserendo auxilio Dei, quum civitatem, & sanctuarium dissipaturus sit populus Romanus, cum duce venturo Vespasiano? Quo mortuo, transactis septem hebdomadis, id est, annis quadraginta novem, Ælius Hadrianus, & quo postea de ruinis Jerusalem urbs Ælia condita est, rebellantes Judæos, Timo Ruffo magistro exercitus pugnante, [b] superavit. Et tunc deficiet hostia & sacrificium, & usque ad consummationem mundi, & finem perseverabit desolatio. Nec nos, inquiunt, moveat, quod primum numerentur septem hebdomadæ, & postea sexaginta duæ, & rursum una, quæ in duas partes dividitur. Est enim hoc idioma sermonis Hebraici, & antiquorum sermonis Latini, ut ante [c] minorem numerum supputent, & postea majorem. (Mos Hebræorum & Latinorum antiquorum in numeris.) Verbi gratia, nos juxta proprietatem linguæ nostræ nunc dicimus: Abraam vixit annis centum septuaginta quinque; illi e contrario loquuntur: vixit Abraam annis quinque, & septuaginta, & centum. Non igitur ut legitur ita impletur, sed ut totum pariter supputetur, ita finem accipit. Nec ignoramus quosdam illorum dicere, quod una hebdomada, de qua scriptum est: *Confirmabit pactum multis hebdomada una*: dividatur in Vespasiano & in Hadriano: quod juxta historiam Josephi, Vespasianus, & Titus tribus annis, & sex mensibus pacem cum Judæis fecerint. Tres autem anni, & sex menses sub Hadriano supputantur, quando Jerusalem omnino subversa est, & Judæorum gens catervatim cæsa: ita ut Judææ quoque finibus pellerentur. Hæc loquuntur Hebræi, non magnopere curantes a primo anno Darii regis Persarum, usque ad extremam subversionem Jerusalem, quæ sub Hadriano eis accidit, supputari Olympiades centum septuaginta quattuor, id est, annos sexcentos nonaginta sex, qui faciunt hebdomadas Hebraicas nonaginta novem, & annos tres: quando Cochebas dux Judæorum oppressus est, & Jerusalem usque ad solum diruta est.

Cap. X. *ANno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli, cognomento Balthasar, & verbum verum, & fortitudo magna: intellexitque sermonem. Intelligentia enim est opus in visione*. Et quomodo in fine primæ legimus Visionis: *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis*? Fuisse ergo eum apud Chaldæos in pristina dignitate purpura byssoque vestitum, usque ad annum primum Cyri regis intelligimus, quando subvertit Chaldæos, & postea cepit esse cum Dario filio Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum. Aut certe jam Dario mortuo, cujus anno primo septuaginta hebdomadarum sacramenta cognoverat: nunc tertio anno regis Cyri hæc vidisse narratur. *Et verum verbum, & fortitudo magna* Sive Dei, qui ista facturus est: sive Prophetæ qui hæc intellecturus est.

V. 2. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum; sed neque unguento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies*. Hoc docemur exemplo, tempore jejunii a cibis delicatioribus abstinere (quod ego puto nunc dici panem desiderabilem) nec carnem comedere, nec [d] vinum bibere: insu-

a Sic emendat. Vatic. mſ. Antea erat, *quod putabat se redempturum*.

b Fortasse *superabit*. Mox vero Vatic. *defecit* pro *deficiet*.

c Audito contemporaneum meum Card. Norisium de Epochis Syro-Macedonum Dissert. 3. cap. 4. qui plura ad hunc Hieronymi locum illustrandum ex Nummis confert. Sed & veteres Inscriptiones ejusmodi supputationis nonnullæ superant.

d Sic Epist. 100. ἀνε Theophili Paschalis III. n. 6. *Nequaquam diebus quadragesimæ, sicut luxuriosi divites solent, vini saeculum suspiremus*, Et num. 8. *jejuniorum tempore a vino & carnibus abstinendum*. Vid. quæ in eum locum observamus. Mox Palat. mf. *& unguento non ungere*.

Mos apud Persas & Indos. insuper & unguenta non quærere. Qui mos apud Persas, & Indos hodie quoque servatur, ut pro balneis utantur unguentis. Tres autem jungit hebdomadas affligens animam suam: ne transitoria, & fortuita videatur deprecatio. Secundum Anagogen vero hoc dicendum est quod qui in luctu est, & sponsi luget absentiam, non comedit panem desiderabilem, qui de cælo descendit; neque solidum capit cibum, qui intelligitur in carne, nec bibit vinum, quod B lætificat cor hominis, nec exhilarat faciem in oleo, juxta illud quod in Psalmis legimus: *Ut exhilaret faciem in oleo.* Ps. 103. 15.

a Hoc autem [a] jejunio sponsa impetrabiles facit lacrymas, quando sponsus fuerit ablatus ab ea. Recte quoque Daniel audet Dominum deprecari, quia jam ex parte primo anno regis Cyri, Judæorum fuerat laxata captivitas.

V. 4. *Die autem vicesima & quarta mensis primi, eram juxta fluvium magnum, qui C est Tigris.* Et Ezechiel juxta fluvium Chobar vidit visionem magnam. Et Domino Salvatori, & Baptistæ Joanni super fluenta Jordanis aperiuntur cæli. Ezech. 1. Mat. 3.

b [b] Unde eorum deliramenta conticescant, qui umbras & imagines in veritate quærentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut flumina & arbores, & paradisum putent allegoriæ legibus se debere subruere. Contra Origenem.

V. 5. *Et levavi oculos meos, & vidi.* Elevatione opus est oculorum, ut visionem mysticam cernere valeamus.

Et ecce vir unus vestitus lineis. Pro *lineis*, quod interpretatus est Aquila, Theodotio BADDIM posuit, Septuaginta, *byssina*, Symmachus [c] ἐξαίρετα, id est, *præcipua*. Pro eo autem, quod nos juxta Hebraicum vertimus: *ecce vir*, Symmachus posuit, *quasi vir*: non enim vir erat, sed viri habebat similitudinem.

Et renes ejus accincti auro obryso. Pro quo in Hebræo legitur [d] OPHAZ quod Aquila ita interpretatus est: *Et lumbi ejus accincti erant colore* ὠφάζ. אופז d

V. 6. *Et corpus ejus quasi chrysolithus.* Pro chrysolitho, qui unus est de duodecim lapidibus qui ponuntur in Logio Pontificis, in Hebræo habet THARSIS, תרשיש quod Theodotio & Symmachus eodem verbo interpretati sunt: Septuaginta vero *mare* appellaverunt, juxta illud quod in Psalmo legimus: *In spiritu violento confringes naves Tharsis*, id est, *maris*. Ps. 47. 8. Et Jonas fugere cupiebat non in *Tharsum* urbem Ciliciæ, ut plerique æstimant, literam ponentes pro litera, vel Indiæ regionem, ut [e] putat Josephus: sed absolute in pelagus. Jona. 1. e

V. 7. *Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri qui erant mecum non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.* Et Paulus Apostolus simile quid in Actibus Apostolorum passus est, ut, cæteris non cernentibus, visionem solus aspiceret. Act. 9. 22.

V. 10. *Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, &c.* In hominis figura videtur Angelus, & humanam ad Prophetam jacentem mittit manum: ut sui generis corpus aspiciens nequaquam paveat.

V. 11. *Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, &c.* Congruenter vir desideriorum vocatur, qui instantia precum & afflictione corporis, jejuniorumque duritia cupit scire ventura, & Dei secreta cognoscere. Pro *viro desideriorum* Symma- D chus interpretatus est, *virum desiderabilem*. Omnis enim sanctus habens in se animæ pulchritudinem, amatur a Domino. Omnis sanctus amatur a Deo.

V. 12. *Et dixit ad me: Noli metuere, Daniel: quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu* * *Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego* * *egressus sum ad verba tua.* Vicesima quarta die mensis primi, id est, Nisan, expletis tribus hebdomadibus, hoc est, viginti diebus & uno cernit E hanc visionem: & audit ab Angelo, quod ex die primo quo orare ceperit, & affligere se in conspectu Dei, exaudita sunt verba ejus. Quæritur, si statim exauditus est, cur non statim

*al. Domini
* Vulg. veni propter sermones tuos.

Y y 2 ad

[a] Duo Mss. *Hoc autem jejunium impetrabiles &c.* omisso *sponsæ* nomine.

[b] Tota subsequens periodus: *Unde eorum deliramenta &c.* contra Origenistas in nostris mss. non habetur.

[c] In aliis mss. ἐξαίρεταν, & Latinis literis *exeretan*. Aquilæ autem hanc interpretationem Palatin. ms. adscribit, non Symmacho.

[d] Palatin. cum Sangermanen. penes Montfaucon. n I. *Opaz*, & pro Græco ὠφάζ, quod subsequitur, Latine *ophaz* legunt.

[e] Quod Josephum laudat, inutile est, inquit Drusius. Libro enim 9. c. 11. Antiquit. diserte ait Jonam Prophetam navigare proposuisse Tarsum urbem Ciliciæ. Sed & lib. 1. c. 11. *Tharsis*, inquit, *est Tharsus. Sic antiquitus vocabatur Cilicia. Unde hodieque Tarsus apud eos maxima civitatum totius Provinciæ antiquum nomen retinuit, θ in T. mutato.* Quia ipse quoque Hier. ubi Jonæ locum enarrat, sic habet: *Unde incitatus Cain, & recedens a facie Domini, fugere voluit in Tharsis, quam Josephus interpretatur Tarsum Ciliciæ civitatem prima tantum litera commutata.* Proinde suspicatur hunc locum cubare in mendo, sicque fortasse restituendum: *Non in Tarsum Ciliciæ, ut putat Josephus, literam ponens pro litera, vel Indiæ regionem*[, *ut plerique existimant.*

ad eum missus sit Angelus. Data est ei per moram occasio amplius Deum deprecandi: ut ex eo quod plus desiderat, per laborem plus audire mereatur. Quod autem ait: *Et ego ingressus sum ad verba tua*, hunc habet sensum: Postquam tu cepisti bonis operibus, & lacrymis atque jejunio Dei invocare misericordiam, & ego accepi occasionem, ut ingrederer in conspectu Dei, & orarem pro te.

V. 13. *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus*. Videtur mihi hic esse Angelus cui Persis credita est, juxta illud quod in Deuteronomio legimus: *Quando dividebat altissimus gentes & disseminabat filios Adam: statuit terminos gentium juxta numerum Angelorum Dei*. Isti sunt principes de quibus & Paulus Apostolus loquitur: *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum sæculi hujus cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Restitit autem princeps, id est, Angelus Persarum, faciens pro credita sibi provincia, ne captivorum omnis populus dimitteretur. Et forsitan quum prima die ex quo posuit cor suum Propheta ad intelligendum, exauditus sit a Deo, idcirco non statim missus est Angelus qui ei Dei indulgentiam nuntiaret: quia viginti & uno diebus restitit ei princeps Persarum, enumerans peccata populi Judæorum, quod juste tenerentur captivi, & dimitti non deberent.

Deut. 32. 8.

1. Cor. 2. 6.

*Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium * mihi*. Resistente Persarum Angelo precibus tuis, & meæ legationi, qui orationes tuas Deo offerebam, venit in adjutorium mihi Angelus Michael qui præest populo Israel. Principes autem primos, Archangelos intelligimus.

* Vulg. meum

Et ego remansi ibi juxta regem Persarum. Regem Persarum Angelum, id est, principem vocat, & ostendit quod juxta Michaelem sit paululum moratus, qui contra principem Persarum loquebatur.

V. 14. *Veni autem ut docerem te quæ ventura sint populo tuo in novissimis diebus*. Quod Daniel deprecatus est, hoc a Deo meretur audire, quid futurum sit populo Israel non in vicino tempore, sed in novissimis diebus, id est, in consummatione sæculi.

[a] *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, &c.* Sic Theodotio interpretatus est, juxta illud quod in centesimo secundo Psalmo legimus: *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus*. Prius enim quam visionem Dei videre mereamur, interiora nostra foras aspiciunt, quum autem viderimus visionem Dei, convertentur in nos interiora nostra, toti in illis sumus de quibus & in alio Psalmo scribitur: *Omnis gloria ejus filiæ regum* [b] *abintus in fimbriis aureis*. V. 16. a

Ps. 44. 41. b

Quumque loqueretur mecum, convalui, & dixi: Loquere, Domine mi, quia confortasti me. Et ait. Nisi enim confortasset eum tactus quasi filii hominis, & pavor recessisset ex corde, sacramenta Dei audire non poterat, & idcirco nunc ait: Quia confortasti me, loquere, Domine. Tu enim fecisti ut possim & audire, & sentire quæ loqueris. V. 19.

Nunquid scis quare venerim ad te? Et nunc revertar ut prælier adversum principem Persarum. Quod dicit hoc est: Veni quidem ut docerem te exauditas preces tuas: sed reversurus sum rursum ut pugnem contra principem Persarum in conspectu Dei, qui non vult populum tuum de captivitate laxari. V. 20.

*Quum * enim egrederer, apparuit princeps Græcorum * ingrediens*. Ego, inquit, egrediebar de conspectu Dei, ut tibi nuntiarem quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus: licet adhuc non sim securus, stante Persarum principe, & contradicente tuis precibus ac meæ legationi. Et ecce princeps Græcorum, id est, Macedonum, veniebat, & ingressus est in conspectu Dei, ut accusaret Persarum principem atque Medorum: ut in locum eorum, regnum Macedonum succederet. Et revera mira sacramenta Dei; laxato enim de captivitate populo Judæorum, Persarum regnum atque Medorum, interfecto Dario, subvertit Alexander rex Macedonum, & princeps Græcorum vicit principem Persarum.

* Vulg. ergo * Vulg. veniens

Veruntamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis. Hic ordo lectionis est: Adhuc res in dubio est. Te enim precante Dominum, & me

[a] Nostri mss. *Domine in visione tua conversa sunt interiora mea in me*.

[b] Vatic. & Palatin. *intrinsecus*, tacentque præterea *in fimbriis aureis*. Victor. ex Vulgata editione & Græco *filia regis ab intus*. Paulo ante vocem *Psalmo*, quæ deerat, ex mss. suffecimus.

& me offerente orationes tuas, ſtat e regione princeps Perſarum, & non vult populum tuum de captivitate laxari. Ego autem, quia venit princeps Græcorum, & interim pugnat contra principem Perſarum, habens illic Michaelem in adjutorium, donec illi inter ſe dimicant, referam tibi quæ Deus mihi futura prædixerit, & tibi narranda præceperit. Nullique oriatur ſcrupulus quare pro principe Macedonum, principem Græcorum dixerit, hoc eſt, Ἑλλήνων. Alexander enim rex Macedonum, primum ſubverſa Græcia, & ſubjecta poteſtati ſuæ, in Perſas arma corripuit.

Et nemo eſt adjutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter. Ego ſum, inquit, Angelus ille qui offero Deo orationes tuas, & nullus eſt alius qui adjutor meus ſit rogandi pro vobis Deum, niſi Michael Archangelus, cui creditus eſt populus Judæorum. Et interim hoc tempore ego & princeps Græcorum communi labore adverſum Perſarum principem dimicamus. Revolvendæ ſunt veteres hiſtoriæ, & [a] conſiderandum, ne forte illud tempus ſignificet quando Perſæ a Græcis victi ſunt. Juxta Editionem Vulgatam uſque ad finem libri una putatur Viſio, quæ anno tertio Cyri Regis Perſarum apparuit Danieli. Porro juxta Hebraicam Veritatem, ſeparata ſunt quæ ſequuntur, & ſcripta ordine præpoſtero. De cujus cauſſis ſupra diximus: Non enim ſub Cyri anno tertio, ſed ſub Darii primo qui ſubvertit Balthaſar, narrantur iſta quæ ſcripta ſunt.

Cap. XI.

Ego autem ab anno primo Darii Medi ſtabam, ut confortaretur, & roboraretur. Ego, inquit Daniel, ab anno primo regis Darii qui ſubvertit Chaldæos; & me de manu inimicorum, quantum in ſe fuit, liberavit (ob cuſtodiam meam etiam lacum leonum ſuo ſignans annulo, ne me adverſarii interficerent) ſtabam in conſpectu Dei, & rogabam ejus clementiam, pro eo qui me diligebat, ut confortaretur, vel ipſe, vel regnum ejus, & roboraretur. Quumque in oratione perſiſterem, hæc Domino reſpondente cognovi. Conſuetudinis autem Prophetarum eſt, repente per- (Consuetudo Prophetarum.) ſonas introducere ſine ulla præfatione verborum: ut eſt illud in Pſalmo triceſimo primo; quum enim rogaſſet Dominum Propheta, & dixiſſet: *Tu es refugium meum a tribulatione [b] mea quæ circumdedit me; exultatio mea, erue me a circumdantibus me*, (v. 7. 8.) repente perſona Dei introducitur reſpondentis: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.* Ergo & nunc narrante Propheta: ab anno primo Darii Medi, ſtabam & deprecabar, ut conſortaretur, & roboraretur ejus imperium, Deus repente reſpondit:

Et nunc veritatem annuntiabo tibi. V. 2. Eſtque ſenſus: Quia vis noſſe de Perſarum regibus quid futurum ſit, audi ordinem rerum, & auſculta quod quæris.

Et ecce tres adhuc reges ſtabunt in Perſide: & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes: & quum invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnes adverſum regnum Græciæ. Quattuor reges poſt Cyrum dicit in Perſide ſurrecturos, (Perſidis reges.) Cambyſen filium Cyri, & Smerden Magum qui Pantapten filiam Cambyſis duxit uxorem. Qui quum a ſeptem Magis fuiſſet occiſus, & in locum ejus Darius (Darius Hyſtaſpides.) ſuſcepiſſet imperium, eadem Pantaptes nupſit Dario, & ex eo Xerxen genuit filium, qui potentiſſimus rex & ditiſſimus, adverſum Græciam innumerabilem duxit exercitum, & ea geſſit quæ Græcorum narrant hiſtoriæ. Succendit enim Athenas ſub principe Callia, bellumque eo tempore geſtum eſt in Thermopylis, & apud Salaminam navale certamen: quando Sophocles & Euripides clari habebantur, & Themiſtocles in Perſas fugiens, hauſto tauri ſanguine, periit. Fruſtra igitur quidam Darium regem quartum, qui ab Alexandro ſuperatus eſt ſcribit; qui non quartus, ſed quartus decimus poſt Cyrum Perſarum rex fuit: (Darius Codomanus Perſarum Regum ultimus) quem ſeptimo imperii ſui anno & ſuperavit, & occidit Alexander. Et notandum quod, quattuor poſt Cyrum regibus Perſarum enumeratis, novem [c] prætererit, & tranſierit ad Alexandrum. Non enim curæ fuit ſpiritui prophetali hiſtoriæ ordinem ſequi, ſed præclara quæque perſtringere.

Sur-

[a] Noſtri mſſ. ipſeque Victorius ex Florentinis ſic legunt. Antea *conſideranda*.

[b] Abeſt a noſtris mſs. *mea*, quævox neque in Græco eſt textu.

[c] Puta Artaxerſen Longimanum, Xerſen, Sogdianum, Darium nothum, Artaxerſen Memnonem, Artaxe ſen Ochum, Arſetem, Darium Codomanum qui ab Alexandro ſuperatus eſt.

V. 3. *Surget vero rex fortis, & dominabitur potestate multa: & faciet quod placuerit ei. Et quum steterit, conteretur regnum ejus.* Perspicue de magno Alexandro rege Macedonum loquitur, qui Philippi filius fuit: hic enim Illyricis, Thracibusque superatis, victa Græcia Thebisque subversis, transivit in Asiam: & fugatis Darii ducibus, urbem Sardis cepit: posteaque capta India, & urbe Alexandria condita, quum triginta & duos ætatis haberet annos, & duodecimum imperii annum, in Babylone veneno periit.

Alexander Magnus.

V. 4. *Et dividetur in quattuor ventos cæli; sed non in posteros ejus, neque secundum potentiam illius qua dominatus est.* Post Alexandrum in quattuor ventos cæli: Orientem videlicet, & Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, regnum illius divisum est. In Ægypto enim primus regnavit Ptolemæus Lagi filius, id est, ad Meridiem. In Macedonia Philippus, qui & Arideus, frater Alexandri, id est, ad Occidentem. Syriæ & Babylonis, & superiorum locorum, Seleucus Nicanor, id est, ad Orientem. Asiæ & Ponti cæterarumque in ipsa plaga provinciarum Antigonus, id est, ad Septentrionem. Hæc secundum totius orbis plagas dicimus. Cæterum qui in Judæa est, ad Aquilonem Syriam, & ad Meridiem Ægyptum habet. Quod autem ait: *sed non in posteros ejus*, hoc significat, quod liberos non habuerit: sed regnum ipsius in alienos laceratum sit: excepto fratre Philippo, qui Macedonas tenuit. Neque secundum potentiam illius qua dominatus est. Divisum enim in quattuor partes regnum imbecillius fuit: dum adversus se dimicant, & intestino furore bacchantur.

Alexandri Magni successores.

* *Lacerabitur enim ejus regnum etiam in externos: exceptis his.* Præter regna quattuor Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, & Ægypti, etiam in alios obscuriores, & minores reges Macedonum regnum laceratum est. Significat autem Perdiccam, & Crateron, & Lysimachum. Nam Cappadocia, & Armenia, Bithynia, & Heraclia, Bosphorusque & aliæ provinciæ de potestate Macedonum recedentes, diversos sibi reges constituerunt.

* al. evelletur.

V. 5. *Et confortabitur rex Austri.* Ptolemæum indicat filium Lagi, qui primus regnavit in Ægypto, & vir prudentissimus fortissimusque ac ditissimus fuit, & tantæ potentiæ, ut Pyrrhum regem Epirotarum expulsum * restituerit in regnum, Cyprumque obtinuerit & Phœnicen: & victo Demetrio filio Antigoni, Seleuco regni sui partem, quæ ab Antigono fuerat ablata, restituerit: Cariam quoque obtineret, & multas insulas urbesque & regiones, de quibus non est hujus temporis scribere. Idcirco autem cætera regna dimittens, Macedoniæ videlicet & Asiæ, tantum de Ægypti & Syriæ narrat regibus: quia in medio Judæa posita, nunc ab illis, nunc ab istis regibus tenebatur. Et Scripturæ sanctæ propositum est, non externam absque Judæis historiam texere, sed eam quæ Israeli populo copulata est.

Ptolemæus Lagi filius.

* al. restitueret.

Scripturæ sanctæ propositum.

Et de principibus ejus prævalebit super eum: & dominabitur ditione. Multa enim dominatio ejus. Iste est Ptolemæus Philadelphus secundus rex Ægypti, filius Ptolemæi superioris: sub quo LXX. Interpretes Alexandriæ Scripturam sanctam in Græcum dicuntur vertisse sermonem: qui & Eleazaro Pontifici multa Jerosolymam, & in Templi donaria vasa transmisit: cujus Bibliothecæ præfuit Demetrius Phalereus, idem apud Græcos Orator, & Philosophus: tantæque potentiæ fuisse narratur, ut Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ habuisse eum peditum ducenta millia, equitum viginti millia, curruum vero duo millia, elephantos quos primus eduxit ex Æthiopia, quadringentos. Naves longas, quas nunc Liburnas vocant, mille quingentas, alias ad cibaria militum deportanda, mille: auri quoque & argenti grande pondus: ita ut de Ægypto per singulos annos quattuordecim millia, & octingenta talenta argenti acceperit: & frumenti artabas (quæ mensura tres modios, & tertiam modii partem habet) quinquies & decies centena millia.

Ptolemæus Philadelphus.

Liburnæ naves.

Et post finem annorum fœderabuntur: (sive ut Theodotio interpretatus est: *Et post annos illius commiscentur.*) *Filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis, facere amicitiam: & non obtinebit fortitudinem brachii, nec stabit semen ejus: & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam * juvenes ejus: qui confortabant eam in temporibus.* Primum Syriæ regnavit, ut diximus, Seleucus, cognomento Nicanor. Secundus Antiochus, qui appellatus est Sother. Tertius & ipse Antiochus, V. 6.

* Vulg. adolescentes.

qui

qui vocabatur Θεὸς, id est, *Deus*. Iste adversus Ptolemæum Philadelphum, qui secundus imperabat Ægyptiis, gessit bella quam plurima, & totis Babylonis atque Orientis viribus dimicavit. Volens itaque Ptolemæus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam nomine Berenicen, Antiocho uxorem dedit, qui de priore uxore nomine Laodice, habebat duos filios, Seleucum, qui cognominatus est Callinicus, & alterum Antiochum. Deduxitque eam usque Pelusium: & infinita auri, & argenti millia dotis nomine dedit. Unde φορνοφόρος, id est, *dotalis* appellatus est. Antiochus autem Berenicen consortem regni habere se dicens, & Laodicen in concubinæ locum, post multum temporis amore superatus, Laodicen cum liberis suis reducit in regiam. Quæ metuens ambiguum viri animum, ne Berenicen reduceret, virum per ministros veneno interfecit. Berenicen autem cum filio qui ex Antiocho natus erat, Icadioni & Genneo Antiochiæ principibus occidendam tradidit: filiumque suum majorem Seleucum Callinicum in patris loco regem constituit. Et hoc est quod nunc dicitur: Post multos annos Ptolemæus Philadelphus & Antiochus Θεὸς facient amicitias: & filia Austri regis, hoc est, Ptolemæi veniet ad regem Aquilonis, id est, ad Antiochum, ut inter patrem ac virum jungat amicitias. Et non poterit, inquit, obtinere, nec semen illius stare in regno Syriæ; sed & ipsa Berenice, & qui eam adduxerunt interficientur. Rex quoque Antiochus qui confortabat eam, hoc est, per quem poterat prævalere, veneno uxoris occisus est.

℣. 7. 8. & 9. *Et stabit de germine radicum ejus plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur provinciam regis Aquilonis, & abutetur eis, & obtinebit. Insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa auri, & argenti captiva ducet in Ægyptum: ipse prævalebit adversus regem Aquilonis. Et intrabit in regnum rex Austri, & revertetur ad terram suam.* Occisa Berenice, & mortuo Ptolemæo Philadelpho patre ejus in Ægypto, frater illius, & ipse Ptolemæus cognomento Evergetes, tertius successit in regnum, de plantatione & de germine radicis ejus, eo quod esset germanus: & venit cum exercitu magno, & ingressus est provinciam regis Aquilonis, id est, Seleuci cognomento Callinici, qui cum matre Laodice regnabat in Syria, & abusus est eis, & obtinuit, intantum ut Syriam caperet, & Ciliciam, superioresque partes trans Euphraten, & propemodum universam Asiam. Quumque audisset in Ægypto seditionem moveri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & vasa pretiosa simulacraque deorum, duo millia quingenta: in quibus erant & illa quæ Cambyses capta Ægypto, & in Persas portaverat. Denique gens Ægyptiorum idololatriæ dedita: quia post multos annos deos eorum retulerat, *Evergeten* eum appellavit. Et Syriam quidem ipse obtinuit; Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit, & Xantippo, alteri duci, provincias trans Euphraten.

Filii autem ejus provocabuntur: & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: & veniet properans, & inundans, & revertetur, & concitabitur: & congredietur cum robore ejus. Post fugam & mortem Seleuci Callinici, duo filii ejus Seleucus cognomento Ceraunus, & Antiochus qui appellatus est Magnus, provocati spe victoriæ, & ultione parentis, exercitu congregato adversus Ptolemæum Philopatorem arma corripiunt. Quumque Seleucus major frater, tertio anno imperii esset occisus in Phrygia per dolum Nicanoris, & Apaturii: exercitus qui erat in Syria Antiochum fratrem ejus cognomento Magnum de Babylone vocavit ad regnum. Et propterea nunc infert, quod duo quidem filii provocati sunt, & congregaverunt multitudinem exercituum plurimorum. Sed quod unus Antiochus Magnus venerit de Babylone in Syriam, quæ eo tempore tenebatur a Ptolemæo Philopatore filio Evergetis; qui quartus regnavit in Ægypto. Quumque pugnasset adversum duces ejus, immo proditione Theodotii obtinuisset Syriam, quæ per successionem jam a regibus Ægypti tenebatur, in tantam venit audaciam, contemta luxuria Philopatoris, & magicis artibus, quibus inservire dicebatur, ut ultro Ægyptiis bellum conaretur inferre. ℣. 10.

Et provocatus rex Austri, egredietur, & pugnabit adversum regem Aquilonis: & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu ejus. Et capiet ℣. 12. & 12.

multi-

multitudinem, *& exaltabitur cor ejus*: * *quia dejiciet multa millia*: *sed non prævalebit*. Ptolemæus enim cognomento Philopator, amissa Syria, proditione Theodotii, congregavit plurimam multitudinem, & ingressus est adversus Antiochum Magnum, quem nunc regem Aquilonis vocat, juxta situm Ægypti & Judææ provinciæ, idem enim locus pro qualitate regionis, alteri ad Austrum, alteri ad Aquilonem situs est. Verbi gratia: Si de Judæa dicamus, Ægyptiis ad Aquilonem, Syriis ad Austrum est. Inito ergo certamine juxta oppidum Raphiæ, quod in foribus Ægypti est, omnem Antiochus amisit exercitum, & per deserta fugiens, pene captus est. Quumque cessisset Syria, ad extremum fœdere, & quibusdam conditionibus pugna finita est. Et hoc est quod Scriptura nunc dicit: *Dejiciet multa millia*, Ptolemæus Philopator; sed non prævalebit. Adversarium enim suum capere non potuit. Quodque sequitur.

* Vulg. &

V. 13. & 14. *Et convertetur rex Aquilonis*, *& præparabit multitudinem multo majorem quam prius*, *& in fine temporum annorumque veniet*, *properans cum exercitu magno*, *& opibus nimiis*. *Et in temporibus illis*, *multi consurgent adversum regem Austri*. Antiochum Magnum significat, qui contemta Ptolemæi Philopatoris ignavia, eo quod deperiret * Agathocleam psaltriam, fratremque ejus, & ipsum Agathoclen haberet concubinum, quem postea Ægypti ducem constituit, incredibilem de superioribus locis Babylonis exercitum congregavit. Et Ptolemæo Philopatore mortuo adversum filium ejus, qui tunc quattuor annorum erat, & vocabatur Ptolemæus Ἐπιφανής, rupto fœdere movit exercitum. Tantæ enim dissolutionis & superbiæ Agathocles fuit, ut subditæ prius Ægypto provinciæ rebellarent: ipsaque Ægyptus seditionibus vexaretur. Philippus quoque rex Macedonum, & Magnus Antiochus pace facta, adversum Agathoclen, & Ptolemæum Epiphanem dimicarent, sub hac conditione, ut proximas civitates regno suo singuli de regno Ptolemæi jungerent. Et hoc est quod nunc dicit, multos consurgere adversus regem Austri, Ptolemæum scilicet Epiphanem, qui erat ætate puerili.

* al. *Agathoclidam*

Filii quoque prævaricatorum populi tui extollentur, *ut impleant visionem*, *& * corruant*. Pugnantibus contra se Magno Antiocho, & ducibus Ptolemæi, in medio Judæa posita in contraria studia scindebatur: aliis Antiocho, aliis Ptolemæo faventibus. Denique Onias Sacerdos assumtis Judæorum plurimis fugit in Ægyptum, & a Ptolemæo honorifice susceptus, [a] accepit eam regionem quæ Heliopoleos vocabatur: & concedente rege, templum exstruxit in Ægypto simile Templi Judæorum, quod permansit usque ad imperium Vespasiani, annis ducentis [b] quinquaginta. Ipsa autem [c] urbs quæ vocabatur Oniæ, dimicantibus postea adversus Romanos Judæis, ad solum usque deleta est: & neque urbis, neque templi, ullum restat vestigium. Sub occasione ergo Oniæ Pontificis, infinita examina Judæorum Ægyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrenæorum multitudine repleta est. Afferebat enim [d] Onia se Isaiæ implere vaticinium scribentis: *Erit altare Domini in Ægypto*, *& titulus Domini in terminis ejus*. Et hoc est quod nunc dicit: *Filii prævaricatorum populi tui*, qui dereliquerunt legem Domini, volentes in alio loco præter quam jussum erat, Deo victimas immolare, extollentur in superbiam, & visionem, hoc est, Domini præceptum se implere jactabunt. Sed corruent: quia & Templum, & urbs postea destruentur. Quumque Antiochus teneret Judæam, missus Scopas [e] Ætholus, dux Ptolemæi partium, adversus Antiochum fortiter dimicavit, cepitque Judæam, & optimates Ptolemæi partium secum abducens, in Ægyptum reversus est.

* Vulg. corruent.

a Nomus Heliopolites.

b

c

d Isai. 19.19.

e

Et

[a] Tota hæc de Oniæ templo historia ex Josephi de Bello Jud. lib. VII. c. 10. translata est. Ille vero fusius regionem, quam a Ptolemæo accepit Onias, describens, δίδωσιν. ait, αὐτῷ χώραν ἑκατὸν ἐπὶ τοῖς ὀγδοήκοντα σταδίοις ἀπέχουσαν, Μέμφεως· νόμος δ᾽ οὗτος Ἡλιοπολίτης καλεῖται, ἔνθα φρούριον κατασκευασάμενος Ὀνίας, τὸν μὲν ναὸν οὐχ ὅμοιον ᾠκοδόμησε τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις, ἀλλὰ πύργῳ παραπλήσιον. Ubi vides abs Hieronymo, qui ait, *simile* exstructum Judaico Templo, Josephum dissentire, qui οὐχ ὅμοιον, idest, *dissimile* fuisse tradit.

[b] Immo *trecentos quadraginta tres* numerat Josephus: χρόνος ἐστὶν εἰς τὴν ἀπόκλεισιν τοῦ ναοῦ γεγονὼς ἀπὸ τῆς κατασκευῆς ἔτη τρία καὶ τεσσαράκοντα καὶ τριακόσια. Ruffinus vertit CCCXXXIII. legendum vero nuperus Josephi Editor monet, CCXXXIII. quod clausum fuerit templum illud Vespasiani jussu paulo post Jerosolymitanum circa annum V. C. 824. Vide Seldenum lib. 1. de Sucess. in Pontif. Hebr. c. VIII.

[c] Unde ait Josephus templum exstructum ἐν τῇ Ὀνίου καλουμένῃ.

[d] Hanc Isaiæ prædictionem alibi S. Doctor in Comment. in illum Isaiæ locum contra ipsum Oniam exagitat. Isaias quippe spiritale Christi regnum describens dixerat in Ægyptum usque propagatum iri.

[e] Nostri mss. *Ætholii*, sive *Eptoli filius* legunt. Vide Polybium lib. 4. cap. 26. &c.

V. 15. & 16. *Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet urbes munitissimas, & brachia Austri non sustinebunt: & consurgent electi ejus ad resistendum, & non erit fortitudo. Et faciet veniens super eum juxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem ejus: & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu ejus.* Antiochus enim volens Judæam recuperare, & Syriæ urbes plurimas, Scopam ducem Ptolemæi juxta fontes Jordanis, ubi nunc Paneas condita est, inito certamine fugavit, & cum decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone. Ob quem liberandum misit Ptolemæus duces inclytos Eropum, & Menoclem, & * Damoxenum. Sed obsidionem solvere non potuit: donec fame superatus Scopas manus dedit, & nudus cum sociis dimissus est. Quodque ait: *Comportabit aggerem*, illud significat, quod præsidium Scopæ in arce Jerosolymorum adnitentibus Judæis, multo tempore oppugnarit: & ceperit alias urbes, quæ prius a Ptolemæi partibus tenebantur, Syriæ, & Ciliciæ, & * Lyciæ. Eo enim tempore captæ sunt Aphrodisias, & Soloe, & Zephyrion, & Mallos, & * Anemurium, & Selenus, & Coracesium, & Coricus, & Andriace, & Limyra, & * Patara, & Xanthus, & ad extremum Ephesus: de quibus universis & Græca, & Romana narrat historia. Quodque intulit: *Et stabit in terra inclyta, & consumetur*, sive *perficietur in manu ejus*. Terram inclytam, sive ut Septuaginta interpretati sunt, *voluntatis*, hoc est, quæ complaceat Deo, Judæam significat, & proprie Jerusalem, in qua honorifice [a] susceptos eos qui partium Scopæ erant, prosequutus est. Pro *terra inclyta*, quod interpretatus est Aquila, quem nos in hoc loco sequuti sumus, Theodotio ipsum Hebraicum verbum posuit [b] σαβὶν, pro quo Symmachus vertit, *terram fortitudinis*.

* Vulg. Damoxeum

* al. Lydia

* al. Anemurum.

* al. Patra

a

צבי b

V. 17. *Et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum ejus, & recta faciet cum eo. Et filiam feminarum dabit ei, ut evertat * illum.* Ut evertat illum, hoc est, Ptolemæum, sive illud, hoc est, regnum ejus. Volens Antiochus non solum Syriam, & Ciliciam, & Lyciam, & alias provincias, quæ Ptolemæi fuerant partium, possidere: sed in Ægyptum quoque regnum suum extendere, filiam suam Cleopatram per Euclem Rhodium septimo anno regni adolescentis, despondit Ptolemæo, & tertiodecimo anno tradidit, data ei dotis nomine omni Cœlesyria, & Judæa. Filiam autem feminarum per πλεονασμὸν vocat, ut est illud Poeticum:

* Vulg. illud

Filia feminarum, pleonasmus.

Sic ore loquuta est. Vocemque his auribus hausi.

V 18 & 19. *Et non stabit, nec illius erit. Et convertet faciem suam ad insulas, & capiet multas: & cessare faciet principem opprobrii sui, & opprobrium ejus convertetur in eum. Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, & impinget, & corruet, & non invenietur.* Neque enim obtinere potuit Ægyptum: quia Ptolemæus Epiphanes, & duces ejus sentientes dolum, cautius se egerunt, & Cleopatra magis viri partes, quam parentis fovit. Unde vertit se ad Asiam, & navali certamine adversum plurimas insulas dimicans, cepit * Rhodum, & Samum, & * Colophonam, & Phoceam, & alias multas insulas. Sed occurrit ei L. Scipio Nasica cum fratre suo Publio Scipione Africano, qui Annibalem vicerat. Quum enim consul Nasica frater Africani hebetioris esset ingenii, & contra regem potentissimum Senatus ei bellum nollet credere, sponraneam legationem obtulit Africanus pro fratris injuria. Victus ergo Antiochus, intra Taurum regnare jussus est, & inde fugit ad Apamiam, ac Susam, & ultimas regni sui penetravit urbes. Quumque adversum Elimæos pugnaret, cum omni est deletus exercitu. Et hoc est, quod nunc Scriptura dicit, quod multas insulas ceperit: & vincente Romano, regnum Asiæ perdiderit: & opprobrium ejus conversum sit in caput ejus: & ad extremum de Asia fugiens, reversus sit ad imperium terræ suæ, & impegerit atque corruerit, & locus ejus non sit inventus.

* al. Hrodum.

* al. Colophoniam & Bocolam.

Scipiones fratres.

V. 20. *Et stabit in loco ejus vilissimus, & indignus decore regio: & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.* Seleucum dicit cognomento Philopatorem

[a] Rescribit Victorius ex ingenio; sive ad superioris contextus seriem, *susceptus*, scilicet Antiochus, & mox *persequutus* pro *prosequutus*.

[b] Verius, ut videtur, mss. Palatin. & penes Montfaucon. Sangerm. habent cum *r*, & Latinis literis *Sabir*. Sic Theodoritus: Τινὲς τῶν Ἑβραίων φωνὴν εἰς τὴν Ἑλλάδα μεταβεβληκέτων, γῆν τοῦ Σαβεὶρ κεκλήκασι. Videtur nihilosecius Theodotio posuisse Σαβεὶ, vel Σαβαείμ.

rem filium Magni Antiochi, qui nihil dignum Syriæ, & patris geſſit imperio, & abſque ullis præliis inglorius periit. Porro Porphyrius non vult hunc eſſe Seleucum, ſed Ptolemæum Epiphanen, qui Seleuco ſit molitus inſidias, & adverſum eum exercitum præpararit, & idcirco veneno ſit interfectus a ducibus ſuis. Quod quum unus ab illo quæreret, tantas res moliens ubi haberet pecuniam? reſpondit, ſibi amicos eſſe divitias. Quod quum divulgatum eſſet in populis, timuerunt duces ne auferret eorum ſubſtantiam, & idcirco eum maleficis artibus occiderunt. Sed quomodo poteſt in loco Magni Antiochi ſtare Ptolemæus, qui hoc omnino non fecit: maxime quum LXX. interpretati ſunt, *& ſtabit de radice ejus plantatio*, id eſt, *de germine ejus, & ſemine*, percutiens dignitatem imperii: *& in paucis diebus conteretur abſque ira & prælio*? Hebræi viliſſimum & indignum decore regio, Tryphonem intelligi volunt, qui tutor pueri arripuit tyrannidem.

V. 21. 22. & ſeqq. *Et ſtabit in loco ejus deſpectus: & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia. Et brachia pugnantis expugnabuntur a facie ejus, & conterentur inſuper & dux fœderis. Et poſt amicitias cum eo faciet dolum, & aſcendet, & ſuperabit in modico populo. Et abundantes, & uberes urbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum ejus: rapinas, & prædam, & divitias eorum diſſipabit, & contra firmiſſimas cogitationes inibit, & hoc uſque ad tempus.* Hucuſque ordo hiſtoriæ ſequitur, & inter Porphyrium ac * noſtros, nulla contentio eſt. Cætera quæ ſequuntur uſque ad finem voluminis, ille interpretatur ſuper perſona Antiochi qui cognominatus eſt *Epiphanes*, frater Seleuci, filius Antiochi Magni, qui poſt Seleucum undecim annis regnavit in Syria, obtinuitque Judæam, ſub quo Legis Dei perſequutio, & Machabæorum bella narrantur. Noſtri autem hæc omnia de Antichriſto prophetari arbitrantur qui ultimo tempore futurus eſt. Quumque eis videatur illud opponi: quare tantos in medio dereliquerit ſermo propheticus, a Seleuco uſque ad conſummationem mundi: reſpondent quod & in priori hiſtoria ubi de regibus Perſicis dicebatur, quattuor tantum reges poſt Cyrum Perſarum poſuerit, & multis in medio tranſilitis, repente venerit ad Alexandrum regem Macedonum: & hanc eſſe Scripturæ ſanctæ conſuetudinem, non univerſa narrare, ſed ea quæ majora videantur exponere. Quumque multa quæ poſtea lecturi & expoſituri ſumus, ſuper Antiochi perſona conveniant, typum eum volunt Antichriſti habere: & quæ in illo ex parte præceſſerint, in Antichriſto ex toto eſſe complenda. Et hunc eſſe morem Scripturæ ſanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis, juxta illud, quod de Domino Salvatore in ſeptuageſimo primo Pſalmo dicitur, qui prænotatur Salomonis, & omnia quæ de eo dicuntur, Salomoni non valent convenire: Neque enim permanſit ille *cum ſole & ante lunam generationis generationum*: neque dominatus eſt a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos orbis terrarum, nec omnes gentes ſervierunt ei, neque ante ſolem permanſit nomen ejus: nec benedictæ ſunt in ipſo omnes tribus terræ, neque omnes gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem & quaſi in umbra, & imagine veritatis in Salomone præmiſſa ſunt, ut in Domino Salvatore perfectius implerentur. Sicut igitur Salvator habet, & Salomonem, & cæteros Sanctos in typum adventus ſui: ſic & Antichriſtus peſſimum regem Antiochum, qui Sanctos perſequutus eſt, Templumque violavit, recte typum ſui habuiſſe credendus eſt. Sequamur igitur expoſitionis ordinem, & juxta utramque explanationem, quid adverſariis, quid noſtris videatur, breviter annotemus: *Stabit*, inquiunt, *in loco* Seleuci, frater ejus Antiochus Epiphanes, cui primum ab his qui in Syria Ptolemæo favebant non dabatur honor regius, ſed poſtea ſimulatione clementiæ obtinuit regnum Syriæ. Et brachia pugnantis Ptolemæi, & univerſa vaſtantis, expugnata ſunt a facie Antiochi atque contrita. Brachia autem fortitudinem vocat: unde & manus appellatur exercitus multitudo. Et non ſolum, ait, Ptolemæum vicit fraudulentia, ſed ducem quoque fœderis, hoc eſt, Judam Machabæum ſuperavit dolis. Sive quod dicit hoc eſt: Quum ipſe obtuliſſet pacem Ptolemæo, & fuiſſet dux fœderis, poſtea eſt ei molitus inſidias. Ptolemæum autem hic non Epiphanen ſignificat, qui quintus regnavit in Ægypto, ſed Ptolemæum

al. nos

Mos Scripturæ ſacræ.

Pſal. 71.

Typos Antichriſtus habet.

lemæum Philometorem, filium Cleopatræ sororis Antiochi, cujus hic avunculus fuit. Et quum post mortem Cleopatræ Eulaius eunuchus nutricius Philometoris, & Leneus Ægyptum regerent, & repeterent Syriam quam Antiochus fraude occupaverat, ortum est inter avunculum & puerum Ptolemæum prælium. Quumque inter Pelusium, & montem Casium prælium commisissent, victi sunt duces Ptolemæi. Porro Antiochus parcens puero, & amicitias simulans, ascendit Memphim, & ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se providere dicens, cum modico populo omnem Ægyptum subjugavit sibi, & abundantes atque uberrimas ingressus est civitates. Fecitque quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum illius. Nullus enim regum Syriæ ita vastavit Ægyptum, & omnes eorum divitias dissipavit, & tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant, sua fraude subverteret. Hæc Porphyrius sequens [a] Sutorium, sermone laciniosissimo prosequutus est, quæ nos brevi compendio diximus. Nostri autem & melius interpretantur, & rectius: quod in fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est, de populo Judæorum, & tam humilis erit atque despectus, ut ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat principatum, & brachia pugnantis populi Romani, expugnentur ab eo, & conterantur: & hoc faciet quia simulabit se ducem esse fœderis, hoc est, Legis & Testamenti Dei. Et ingredietur urbes ditissimas, & faciet quæ non fecerunt patres ejus, & patres patrum illius. Nullus enim Judæorum absque Antichristo in toto umquam orbe regnavit. Et contra firmissimas cogitationes Sanctorum inibit consilium, facietque universa usque ad tempus: donec eum Dei voluntas facere ista permiserit.

V. 25. & 26. *Et concitabitur fortitudo ejus, & cor ejus adversus regem Austri in exercitu magno. Et rex Austri provocabitur ad bellum multis auxiliis, & fortibus nimis: & non stabunt, quia inibunt adversum eum consilia. Et comedentes panem cum eo conterent eum: exercitusque ejus opprimetur, & cadent interfecti plurimi.* Hæc Porphyrius interpretatur de Antiocho, qui adversus Ptolemæum sororis suæ filium profectus est cum exercitu magno. Sed & rex Austri, id est, duces Ptolemæi provocati sunt ab bellum multis auxiliis, & fortibus nimis, & non potuerunt resistere Antiochi consiliis fraudulentis: qui simulavit pacem cum sororis filio, & comedit cum eo panem & postea occupavit Ægyptum. Nostri autem secundum superiorem sensum interpretantur omnia de Antichristo, qui nasciturus est de populo Judæorum, & de Babylone venturus, primum superaturus est regem Ægypti, qui est unus de tribus cornibus, de quibus antea jam diximus.

V. 27. & 28. *Duorum quoque regum cor erit ut male faciant, & ad mensam unam mendacium loquentur, & non proficient: quia adhuc finis in aliud tempus. Et revertetur in terram suam cum multis opibus.* Nulli dubium est quin Antiochus pacem cum Ptolemæo fecerit, & inierit cum eo convivium, & dolos machinatus sit, & nihil profecerit: quia regnum ejus non potuerit obtinere, sed a militibus Ptolemæi ejectus sit. Verum ex eo quia Scriptura nunc dicit duos fuisse reges, quorum cor fuerit fraudulentum, ut sibi mutuo malefacerent, hoc secundum historiam non potest demonstrari. Ptolemæus enim parvus ætate erat, & decebtus Antiochi fraude, illi malum cogitare quid potuit? Unde volunt nostri hæc omnia [b] referre ad Antichristum, & ad regem Ægypti, quem primum superatus est.

V. 29. & 30. *Et cor ejus adversum Testamentum sanctum, & faciet, & revertetur in terram suam. Statuto tempore revertetur, & veniet ad Austrum: & non erit priori simile novissimum. Et venient super eum trieres, & Romani, & percutietur.* Sive ut alius interpretatus est: *& comminabuntur ei.* Et Græca, & Romana narrat historia, post quam reversus est Antiochus expulsus ab Ægyptiis, venisse eum in Judæam, hoc est, adversus Testamentum sanctum, & spoliasse Templum, & auri tulisse quam plurimum: positoque in arce præsidio Macedonum, reversum in terram suam. Et post biennium rursum contra Ptolemæum exercitum

[a] Antea *Suctorium*, alii libri *Suturium*: tum *lacissime* pro *laciniosissime*. Vide superius Prologum hujusce Commentarii sub fin. nota *b*.

[b] Victorius ex Brixianis codd. *referri*, & mox *superaturus est*.

congregasse, & venisse ad Austrum. Quumque duo fratres Ptolemæi Cleopatræ filii, quorum avunculus erat, obsiderentur Alexandriæ, legatos venisse Romanos: quorum unus Marcus [a] Popilius Lenas, quum eum stantem invenisset in littore, & Senatus consultum dedisset, quo jubebatur ab amicis populi Romani recedere, & suo imperio esse contentus, & ille ad amicorum responsionem consilium distulisset, orbem dicitur fecisse in arenis baculo quem tenebat in manu, & circumscripsisse regem atque dixisse. Senatus & populus Romanus præcipiunt, ut in isto loco respondeas, quid consilii geras. Quibus dictis ille perterritus ait: Si hoc placet Senatui, & populo Romano, recedendum est, atque ita statim movit exercitum. Percussus autem dicitur esse, non quod interierit, sed quod omnem arrogantiæ perdiderit magnitudinem. De Antichristo nullus ambigit quin pugnaturus sit adversus Testamentum sanctum, & primum contra regem Ægypti dimicans, Romanorum [b] protinus auxilio terreatur. Hæc autem sub Antiocho Epiphane in imagine præcesserunt, ut rex sceleratissimus, qui persequutus est populum Dei, præfiguret Antichristum, qui Christi populum persequuturus est. Unde multi [c] nostrorum putant ob sævitiæ, & turpitudinis magnitudinem, Domitium Neronem Antichristum fore.

M. Popilii Leonæ factum.

*Et revertetur, & indignabitur contra testamentum sanctuarii, & faciet ac revertetur, & cogitabit * de his qui dereliquerunt Testamentum sanctuarii.* Hæc plenius in Machabæorum gestis legimus: quod postquam eum de Ægypto pepulerunt Romani, indignans venerit contra Testamentum sanctuarii, & ab his invitatus sit qui dereliquerant Legem Dei & se cæremonis miscuerant Ethnicorum. Quod plenius complendum est sub Antichristo, qui indignabitur contra Testamentum Dei, & cogitabit adversum illos quos vult Legem Dei derelinquere. Unde significantius interpretatus est Aquila: *Et cogitabit, ut deseratur pactum sanctuarii.*

*Vulg. adversum eos. 1. Mach. 1.

V. 31. *Et brachia ex eo stabunt, * & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Pro *brachiis*, [d] alius interpretatus est *semina*, ut significaret stirpem atque progeniem. Volunt autem eos significari qui ab Antiocho missi sunt post biennium quam Templum expoliaverat, ut tributa exigerent a Judæis, & auferrent cultum Dei, & in Templo Jerusalem, Jovis Olympii simulacrum, & Antiochi statuas ponerent, quas nunc *abominationem desolationis* vocat: quando ablatum est holocaustum, & juge sacrificium. Quæ universa in typo Antichristi, nostri præcessisse contendunt, qui se sessurus est in Templo Dei, & se facturus ut Deum. Judæi autem hoc nec de Antiocho Epiphane, nec de Antichristo, sed de Romanis intelligi volunt, de quibus supra dictum est: *Et venient trieres*, sive Itali atque Romani, & humiliabitur. Post multa, inquit, tempora de ipsis Romanis, qui Ptolemæo venere auxilio, & Antiocho comminati sunt, consurget rex Vespasianus, surgent brachia ejus, & semina, Titus filius cum exercitu, & polluent sanctuarium, auferentque juge sacrificium, & Templum tradent æternæ solitudini. SIIM quippe & CHETHIM, quos nos *trieres*, & *Romanos* interpretati sumus, Hebræi *Italos* volunt intelligi atque *Romanos*.

* Vulg. & polluant

כתים
ציים

V. 32. *Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter. Populus autem sciens Deum suum, obtinebit & faciet.* Et hoc in Machabæis legimus, quod quidem simulaverint se Legis Dei esse custodes, & postea cum gentibus pactum fecerint: alii vero permanserint in religione; quod & Antichristi temporibus futurum arbitror, quando refrigescet caritas multorum. De quibus Dominus loquitur in Evangelio: *Putas filius hominis veniens inveniet fidem super terram?* Luc. 18. 8.

Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent

[a] Nostri Mss. *Pompilius*: solenne autem est has voces confundi: unde & *Pompilia* lex & *Popilia* dicitur & *Pomphilius Ruffus* & *Popilius Ruffus*.

[b] Concinnior hæc lectio est Vatic. ms. *Romanorum protinus auxilio* &c. Nec male Palat. *Romanorum timore pro ejus* &c. Nullo autem sensu antea erat, *Romanorum pro ejus auxilio*.

[c] Ita sane arbitratus est, ut aliquem de nomine proferam, Victorinus in Apocalypsin: quam Sententiam probe refutat Lactantius de mortibus Persequutorum cap. 2. in fine; sed & Augustinus de Civitate Dei lib. XX. cap. 19. Ambrosiaster in primam ad Corinthios 4. 9. Severus Sulpicius Hist. lib. 2. c. 29. & Dialog. 2. cap. ultimo: denique e Græcis Chrysostomus Homil. 4. in secundam ad Thessalonicenses. Vid. Epist. 121. ad Algasiam Quæst. ultima. Porro mss. *Domitianum* pro *Domitium* legunt: Vatic. *Domitianum vel Neronem*.

[d] Pro *alius* maluisset Victorius *Aquila*, prout duos, quos laudat, Mss. præferebant.

ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum. Quanta Judæi ab Antiocho passi sunt, Machabæorum libri referunt, & triumphi eorum testimonio sunt: qui pro custodia Legis Dei, flammas, & gladios, & servitutem, & rapinas, & pœnas ultimas sustinuerunt. Quæ futura nemo dubitet sub Antichristo, multis resistentibus potentiæ ejus, & in diversa fugientibus. Quæ Hebræi in ultima eversione Templi, quæ sub Vespasiano & Tito accidit, interpretantur, fuisse plurimos de populo qui scirent Dominum suum, & pro custodia Legis ejus inter- * al. sint fecti * sunt.

V. 34. & 35. *Quumque corruerint sublevabuntur auxilio parvulo, & applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent, ut conflentur, & eligantur, & dealbentur usque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit.* Parvulum auxilium, 1. Mach. 2. Matthathiam significari arbitratur Porphyrius, de * vico Modin; [* al. monte] qui adversum duces Antiochi rebellavit, & cultum veri Dei servare conatus est. Parvum autem, inquit, auxilium vocat, quia occisus est in prælio Mattathias, & postea Judas filius ejus qui vocabatur Machabæus, pugnans cecidit, & cæteri fratres ejus adversariorum fraude decepti sunt. Lege Machabæorum libros. Hæc, ait, omnia idcirco sunt facta, ut probentur, & eligantur Sancti. & dealbentur usque ad tempus præfinitum, quia in aliud tempus erat dilata victoria. Sub Antichristo parvum auxilium nostri intelligi volunt, quia congregati Sancti resistent ei, & utentur auxilio parvulo, & postea de eruditis corruent plurimi. Et hoc fiet, ut quasi conflentur in fornace, & dealbentur, & eligantur donec veniat tempus præfinitum, quia vera victoria in adventu Christi erit. Hebræorum quidam hæc de Severo, & Antonino principibus intelligunt, qui Judæos plurimum dilexerunt. Alii vero de Juliano imperatore: quod quando oppressi fuerint a Cajo Cæsare, & in captivitatis angustiis multa perpessi, ille consurgat, Judæos amare se simulans, & in Templo eorum immolaturum se esse promittens: in quo parvam spem auxilii habebunt, & applicabuntur illis gentilium plurimi, non in veritate, sed in mendacio. Pro idolorum enim cultu, ejus simulabunt amicitias. Et hoc facient, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Tempus enim veræ salutis eorum, & auxilii futurum esse Christum, quem falso [a] putant esse venturum: quum sint recepturi Antichristum. 1. Cor. xi. a

V. 36. *Et faciet juxta voluntatem suam rex, & elevabitur, & magnificabitur adversum omnem Deum, & adversum Deum deorum loquetur magnifica: & * diriget donec compleatur * ira, perpetrata quippe definitio est.* [* Vulg. dirigetur. * Vulg. iracundia.] Sive ut alius interpretatus est: *in ipso enim erit consummatio.* Ab hoc loco Judæi dici de Antichristo putant, quod post Juliani parvum auxilium surrecturus sit rex qui faciat juxta voluntatem suam, & elevetur contra omne quod dicitur Deus, & adversum Deum deorum loquatur [b] magnifica: ita ut sedeat in Templo Dei, & seipsum faciat Deum, & dirigatur voluntas ejus donec compleatur ira Dei, quia in ipso erit consummatio. Quod quidem & nos de Antichristo intelligimus. Porphyrius autem & cæteri qui sequuntur eum, de Antiocho Epiphane dici arbitrantur quod erectus sit contra cultum Dei, & in tantam superbiam venerit, ut in Templo Jerosolymis simulacrum suum poni jusserit. Quodque sequitur: *& diriget, donec compleatur ira, quia in ipso erit consummatio*, sic intelligunt, tam diu eum posse, donec irascatur ei Deus, & ipsum interfici jubeat. Siquidem Polybius & Diodorus qui (1) Bibliothecarum scribunt historias, narrant eum non solum contra Deum fecisse Judææ; sed avaritiæ facibus accensum, etiam templum [c] Dianæ in Elimaide, quod erat ditissimum, spoliare conatum: oppressumque a custodibus templi & vicinis circum gentibus, & quibusdam phantasiis atque terroribus versum in amentiam, ac postremum morbo interiisse, & hoc ei accidisse commemorant, quia templum Dianæ violare conatus sit. Nos autem dicimus etiam si acciderit ei, ideo accidisse, quia in Sanctos Dei multam exercuerit crudelitatem, & polluerit Templum ejus. Non enim pro eo quod cona-

[a] Palat. & Vatic. mss. *quem falso sperant esse* &c.
[b] Victorius ad Vulgatæ exemplum *loquetur* & paulo post *dirigetur*.
(1) Est qui valde velit, rescribi & corrigi, *Bibliothecas scribunt historiarum* ex ipso Diodoriani operis titulo, atque Eusebii loco Præpar. Evang. l. 1. c. 6. ὑπὸ μίαν συνταγματος πραγματείαν ἅπασαν τὴν ἱστορικὴν Βιβλιοθήκην.
[c] Confer & Machabæorum l. 1. cap. 7. & Appianum in Syriac. qui templum istud non Dianæ, sed Veneris appellat, Dianæ vero præter Polybium ac Diodorum, Josephus.

Antiochus propter quid punitus. conatus est facere, & acta pœnitentia, desivit implere, sed pro eo quod fecit punitus esse credendus est.

℣. 37. 38. & 39. *Et Deum patrum suorum non reputabit, & erit in concupiscentiis feminarum: nec quemquam deorum curabit, quia adversum universa consurget. Deum autem* MAOZIM *in loco suo venerabitur; & Deum quem ignoraverunt patres ejus, colet auro & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis. Et faciet ut muniat* MAOZIM *cum Deo alieno quem* [a] *cognovit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram dividet gratuito.* Pro eo quod nos interpretati sumus, *& erit in concupiscentiis feminarum*, LXX. transtulerunt, *& concupiscentiis mulierum non subjacebit.* Rursum pro Deo מעזים MAOZIM, quod habetur in Hebraico, Aquila transtulit, *Deum fortitudinum*, LXX. *Deum fortissimum*. Quia vero in Hebraico pro eo, quod nos diximus: *& erit in concupiscentiis feminarum*, ambigue positum est, dicente Aquila, qui verbum expressit e verbo: καὶ ἐπὶ Θεὸν πατέρων αὐτοῦ οὐ συνήσει, καὶ [b] ἐπὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, καὶ ἐπὶ πάντα Θεὸν οὐ συνήσει, id est, *& super Deum patrum suorum non intelliget, & super concupiscentiam feminarum, & super omnem Deum non intelliget.* Quibus verbis intelligitur habere eum concupiscentiam feminarum, & non habere. Si legerimus, & intellexerimus ἀπὸ κοινοῦ, *& super concupiscentiam feminarum non intelliget*, de Antichristo facilior interpretatio est: quod ideo simulet castitatem, ut plurimos decipiat. Sin autem ita legerimus, *& super concupiscentiam feminarum*, ut Luxuria Antiochi. subaudiatur *erit*, Antiochi personæ magis coaptabitur, qui luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra & corruptelas venisse regiæ dignitatis, ut mimis quoque & scortis publice jungeretur, & libidinem suam, populo præsente, compleret. Deum MAOZIM ridicule Porphyrius interpretatus est, ut diceret in vico Modin, unde fuit Matthathias, & filii ejus, Antiochi duces, Jovis posuisse statuam: & compulisse Judæos, ut ei victimas immolarent, id est, deo Modin. Quod autem sequitur, *& Deum quem ignoraverunt patres ejus, colet*, hoc magis Antichristo quam Antiocho convenit. Legimus enim Antiochum ido-

A lorum Græciæ habuisse cultum, & Judæos atque Samaritas ad venerationem suorum deorum compulisse. Necnon & hoc quod infert, *& faciet ut muniat* MAOZIM *cum deo alieno quem cognovit: & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram dividet gratuito*, Theodotio interpretatus est: *Et aget hæc ut muniat præsidia cum deo alieno: & quum eis ostenderit, multiplicabit honorem, & dominari eos multis faciet, & terram dividet gratis.* Pro *præ-* B *sidiis*, *confugia* interpretatus est Symmachus: quod Porphyrius ita edisseruit: faciet hæc omnia ut muniat arcem Jerusalem, & in cæteris urbibus ponat præsidia, & Judæos doceat adorare Deum alienum: haud dubium quin Jovem significet. Quem quum illis ostenderit, & adorandum esse persuaserit: tunc dabit deceptis honorem, & gloriam plurimam, & faciet cæteris, qui in Judæa fuerint dominari, & C pro prævaricatione possessiones dividet, & dona distribuet. Antichristus quoque multa deceptis munera largietur, & terram suo exercitui dividet: quosque terrore non quiverit, subjugabit avaritia.

Et in tempore præfinito præliabitur adversum eum rex Austri: & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in classe magna: & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet. Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent. ℣. 40. & 41. D Pro quo interpretatus est Symmachus: *& multa millia corruent*: Theodotio, *& multi infirmabuntur*. Multas autem corruere juxta Aquilam, vel urbes, vel regiones, vel provincias intellige. Et hæc Porphyrius ad Antiochum refert: quod undecimo anno regni sui rursus contra sororis filium Ptolemæum Philometorem dimicaverit. Qui audiens E venire Antiochum, congregavit multa populorum millia. Sed Antiochus quasi tempestas valida in curribus, & in equitibus, & in classe magna ingressus sit terras plurimas, & transeundo universa vastaverit: veneritque ad terram inclytam, id est, Judæam, quam Symmachus *terram fortitudinis* interpretatus est: pro qua Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit * SABAI: & צבי arcem munierit de ruinis murorum civita-

* al. *Sabam* & *Saba*.

[a] Heic atque inferius ubi locus iste recurrit, cum negandi particula, *quem non cognovit*, in Palat. ms. effertur.

[b] Supplevimus heic vocem ἐπὶ ex ms. Vaticano, quæ antea ob earumdem literarum in subsequenti verbo recursum, fuerat prætermissa.

vitatis, & sic perrexerit in Ægyptum. Nostri autem ad Antichristum & ista referentes, dicunt quod primum pugnaturus sit contra regem Austri, id est, Ægypti, & postea Libyas, & Æthiopas superaturus: quæ de decem cornibus tria contrita cornua supra legimus; & quia venturus sit in terram Israel, & multæ ei vel urbes, vel provinciæ daturæ manus.

Hæ autem solæ salvabuntur de manibus ejus, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon. Antiochus, ajunt, festinans contra Ptolemæum regem Austri, Idumæos, & Moabitas, & Ammonitas qui ex latere * Judææ erant, non tetigit: ne occupatus alio prælio, Ptolemæum redderet fortiorem. Antichristus quoque Idumæam, & Moabitas, ac filios Ammon, id est, Arabiam relinquet intactam: quia illuc Sancti ad deserta confugient.

* al. Idumææ.

V. 42. & 43. *Et mittet manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet: & dominabitur thesaurorum auri atque argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti. Per * Libyas quoque & Æthiopias transibit.* Hæc Antiochum ex parte fecisse legimus. Sed quod sequitur, *per Libyas, & Æthiopias transibit*, magis nostri asserunt Antichristo convenire. Antiochus enim Libyam quam plerique Africam intelligunt, Æthiopiamque non tenuit: nisi forte quia in ipso climate sunt provinciæ Ægypti, & longe per deserta vicinæ, captis Ægyptiis, etiam istæ provinciæ conturbatæ sunt. Unde non dicit, quod ceperit eas: sed per Libyas Æthiopiasque transierit.

* Vulg. Libyam & Æthiopiam.

V. 44. & 45. *Et fama turbabit * eum ab Oriente, & ab Aquilone. Et veniet in multitudine magna, ut conterat & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum suum in Apedno: inter* [a] *duo maria super montem inclytum & sanctum, & veniet usque ad summitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.* Et in hoc loco Porphyrius tale nescio quid de Antiocho somniat: Pugnans, inquit, contra Ægyptios, & Libyas Æthiopiasque pertransiens, audiet sibi ab Aquilone, & ab Oriente prælia concitari, unde & regrediens capiet Aradios resistentes, & omnem in littore Phœnicis vastabit provinciam.

* Vulg. ...m.

A Confestimque perget ad Artaxiam regem Armeniæ, qui de Orientis partibus movebitur, & interfectis plurimis de ejus exercitu, ponet tabernaculum suum in loco *Apedno*, qui inter duo latissima situs est flumina, Tigrim, & Euphratem. Quumque hucusque processerit, in quo monte inclyto sederit & sancto, dicere non potest: quamquam inter duo maria eum sedisse, probare non potest, & stultum sit duo Mesopotamiæ flumina, duo maria interpretari. Montem autem inclytum idcirco præteriit, quia sequutus est Theodotionis interpretationem, qui ait: *inter media maria super montem Saba sanctum*. Quumque Saba nomen montis, vel Armeniæ, vel Mesopotamiæ putet, quare sit sanctus dicere non potest: etiam hac licentia mentiendi, possumus nos addere quod ille conticuit: *sanctum* dici *montem*, quia juxta errorem Armeniorum sit idolis consecratus. *Et veniet*, inquit, *usque ad summitatem ipsius montis*, in Elimaide provincia, quæ est ultima Persarum ad Orientem regio, ibique volens templum Dianæ spoliare, quod infinita donaria habebat, fugatus a barbaris est, qui mira veneratione phanum illud suspiciebant, & mortuus est mœrore consumtus in Tabes, oppido Persidis. Hæc ille in sugillationem nostri artificiosissimo sermone composuit, quæ etiam si potuerit approbare, non de Antichristo dicta, sed de Antiocho, quid ad nos, qui non ex omnibus Scripturarum locis Christi probamus adventum, & Antichristi mendacium? Pone enim hæc dici de Antiocho, quid nocet religioni nostræ? Numquid & in superiori Visione, ubi in Antiocho prophetia consummata est, aliquid de Antichristo dicitur? Dimittat itaque dubia, & in manifestis hæreat: dicatque quis sit ille lapis, qui de monte abscissus sine manibus, creverit in montem magnum, & orbem impleverit, & quadriformem imaginem contriverit: qui sit ille filius hominis, qui cum nubibus venturus sit, & staturus ante vetustum dierum, & dandum ei regnum quod nullo fine claudatur: omnesque populi, tribus ac linguæ, ipsi servituri

[a] Expungit Victorius *duo*, quæ vox tametsi in expositione subintelligitur, in nulla tamen Editione sacri Textus habetur.

turi sint. Hæc quæ manifesta sunt præterit, & de Judæis asserit prophetari, quos usque hodie servire cognoscimus. Et dicit eum qui sub nomine Danielis scripsit librum, ad refocillandam spem suorum fuisse mentitum. Non quo omnem historiam futuram nosse potuerit, sed quo jam facta memoraret, & in ultimæ visionis calumniis immoratur, flumina ponens pro mari, & montem inclytum & sanctum *Apedno* [a], quem ubi legerit, nullam potest proferre historiam. Nostri autem extremum Visionis hujus capitulum super Antichristo sic exponunt, quod pugnans contra Ægyptios Libyasque, & Æthiopias, & tria cornua de decem cornibus conterens, auditurus sit de Aquilonis & de Orientis partibus adversum se bella consurgere, quod veniens cum magna multitudine, ut conterat & interficiat plurimos, figat tabernaculum suum in *Apedno* juxta Nicopolim, quæ prius Emmaus vocabatur: ubi incipiunt Judææ provinciæ montana consurgere. Denique inde se erigens usque ad montem Oliveti, Jerosolymorum regio ascenditur; & hoc esse quod nunc Scriptura dicit: *Et quum fixerit tabernaculum suum* in montanæ provinciæ radicibus inter duo maria, mare videlicet quod nunc appellatur Mortuum ab Oriente, & mare Magnum in cujus littore Cæsarea, Joppe, Ascalon, & [b] Gazæ sitæ sunt. Tunc veniet usque ad summitatem montis ejus, hoc est, montanæ provinciæ, id est, verticem montis Oliveti, qui inclytus vocatur, quia ex eo Dominus atque Salvator ascendit ad Patrem, & nullus Antichristo poterit auxiliari, contra se Domino sæviente. Et asserunt ibi Antichristum esse periturum, unde Dominus ascendit ad cælos. *Apedno* verbum compositum est, quod si dividas, intelligi potest, θρόνυ αὐτῦ, id est, *solii sui*. Et est sensus: Et figet tabernaculum [c] suum, & thronum suum inter maria super montem inclytum, & sanctum. Hunc locum Symmachus ita interpretatus est: καὶ ἐκτενεῖ τὰς σκηνὰς τῦ ἱπποςασίυ αὐτῦ μεταξὺ τῶν θαλασσῶν εἰς τὸ ὄρος τῆς δυνάμεως τὸ ἅγιον, καὶ ἥξει ἕως ἄρχυ αὐτῦ, quod in Latino sonat: *& * extendet papiliones equitatus sui inter maria, super montem fortitudinis sanctum, & veniet usque ad verticem montis.*

* al. extendit.

Theodotio: *Et figet tabernaculum suum in* [d] *Aphedano inter maria in monte Saba sancto, & veniet usque ad partem ejus.* Aquila: *Et plantabit tabernaculum prætorii sui in* Ἀφαδανῶ *inter maria, in monte glorioso & sancto, & veniet usque ad finem ejus.* Soli Septuaginta omni se nominis quæstione liberantes interpretati sunt: *Et statuet tabernaculum suum tunc inter maria, & montem voluntatis sanctum, & veniet hora consummationis ejus.* Quos Apollinarius sequutus, de nomine *Apedno* omnino conticuit. Hoc ideo prolixius posui, ut & Porphyrii ostendam calumniam qui hæc omnia ignoravit, aut nescire se finxit, & Scripturæ sanctæ difficultatem: cujus intelligentiam absque Dei gratia, & doctrina majorum sibi imperitissimi vel maxime vendicant.

Scripturæ sanctæ intelligentiam sibi promittunt imperitissimi &c.

Notandum autem, quod P literam Hebræus sermo non habeat, sed pro ipsa utatur PHE, cujus vim Græcum φ sonat. In isto tantum loco apud Hebræos scribatur quidem [e] PHE, sed legatur P. Quod autem Antichristus veniat usque ad summitatem montis sancti & inclyti, & ibi pereat, Isaias plenius loquitur: *Præcipitabit Dominus in monte sancto faciem dominatoris tenebrarum super omnes gentes, & eum qui dominatur cunctis populis, &* [f] *unctionem * quæ uncta est contra universas nationes.*

* alias, quæ unctus.

Caput XII.

*IN tempore autem illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit * ex eo quo gentes esse ceperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus: omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium,*

* Vulg. ab eo ex quo.

a Heic vero ad superioris contextus seriem addit Victorius voces *Sabin vocans.*

b Duo mss. *Gazæ*, minori numero. Sed quod Gazas plurali dicat S. Doctor, ex eo videtur, quod urbem utramque Majumam scilicet, & Gazam proprie dictam intelligit, quæ tamen aliquo spatio a mari aberat. Sozomenus Hist. lib. 7. cap. 21. proprio nomine etiam illam Gazam vocat, & maritimam dicit, ἐν Γάζῃ πρὸς θάλασσαν, ὅπερ καὶ Μαϊυμᾶν ὀνομάζυσιν.

c Palatin. *tabernaculum throni sui inter duo maria*, quæ postrema verba in Vat. penitus desiderantur.

d Nostri mss. *Ephadano*, vel *Epadno*, rectius absque *in* præpositione. Ms. quoque Sangerm. EPAΔANO, secunda manu EPEΔNO, sicque mox ad Aquilam, *Prætorii sui*, APEΔNO. Lectiones autem per P probat ipse Hieronymus paulo post.

e Plerique mss. absque aspiratione *fe* constanter habent.

f Palatin. *& junctionem, qua juncta est.*

brium, ut videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Hactenus Porphyrius utquumque se tenuit, & tam nostrorum imperitis, quam suorum male eruditis imposuit: de hoc capitulo quid dicturus est, in quo mortuorum describitur resurrectio: aliis suscitatis in vitam æternam, & aliis in opprobrium sempiternum? Nec potest dicere qui fuerint sub Antiocho fulgentes quasi splendor firmamenti, & alii quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed quid non facit pertinacia? Quasi contritus coluber elevat caput, & moriturus in eos qui morituri sunt venena diffundit. Et hoc inquit, de Antiocho scriptum est, qui vadens in Persidem, Lysiæ qui Antiochiæ, & * Phœniciæ præerat, reliquit exercitum, ut adversum Judæos pugnaret, urbemque eorum Jerusalem subverteret, quæ omnia narrat Josephus historiæ auctor Hebræus, quod talis fuerit tribulatio, qualis numquam, & tempus advenerit quale non fuit ex quo gentes esse ceperunt usque ad illud tempus. Reddita autem victoria, & cæsis Antiochi ducibus, ipsoque Antiocho in Perside mortuo, salvatus est populus Israel: omnes qui scripti erant in libro Dei, hoc est, qui Legem fortissime defenderunt, & econtrario qui deleti sunt de libro, hoc est, qui prævaricatores exstiterunt Legis, & Antiochi fuerunt partium. Tunc, ait, hi qui quasi in terræ pulvere dormiebant, & operti erant malorum pondere, & quasi in sepulcris miseriarum reconditi, ad insperatam Victoriam de terræ pulvere surrexerunt, & de humo elevaverunt caput, custodes Legis resurgentes in vitam æternam, & prævaricatores in opprobrium sempiternum. Magistri autem & doctores qui Legis notitiam habuerunt, fulgebunt quasi cælum, & qui inferiores populos exhortati sunt ad custodiendas cæremonias Dei, ad instar astrorum splendebunt in perpetuas æternitates. Ponit quoque historiam de Machabæis, in qua dicitur multos Judæorum sub Matthathia & Juda Machabæo ad eremum confugisse, & latuisse in speluncis, & in cavernis petrarum, ac post victoriam processisse. & hec μεταφορικῶς quasi de resurrectione mortuorum esse prædicta. Tempore autem Antichristi talem tribulationem fore, qualis numquam fuit ex eo quo gentes esse ceperunt, verius intelligitur. Ponamus enim vicisse Lysiam qui victus est, & penitus oppressos Judæos esse qui vicerunt: numquid fuit talis tribulatio qualis eo tempore quo Jerusalem capta est a Babyloniis, Templumque subversum, & omnis populus ductus in captivitatem? Oppresso igitur Antichristo, & spiritu Salvatoris extincto, salvabitur populus qui scriptus fuerit in libro Dei, & pro diversitate meritorum, alii resurgent in vitam æternam, & alii in opprobrium sempiternum. Magistri autem habebunt similitudinem cæli, & qui alios erudierunt, stellarum fulgori comparabuntur. Non enim sufficit scire sapientiam, nisi & alios erudias: tacitusque sermo doctrinæ, alium non ædificans, mercedem * operis recipere non potest. Quem locum Theodotio & Vulgata Editio ita expressit: *Et intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti, & de justis * plurimi quasi stellæ in æternum & ultra.* Solent nonnulli quærere, utrum doctus sanctus, & simplex sanctus eamdem mercedem habeant, & unam in Cælestibus mansionem. Unde nunc juxta Theodotionem dicitur, quod docti similitudinem cæli habeant, & absque doctrina justi, stellarum fulgori comparentur: tantumque sit inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem, quantum cælum distat & stellæ.

V. 4. *Tu autem, Daniel, claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia.* Qui Danieli multiplicem revelaverat veritatem, ipsa occulta esse significans quæ loquutus est, præcepit ut involvat sermones, & signet librum, ut legant plurimi, & quærant historiæ veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem diversa opinentur. Quod autem ait: *Pertransibunt*, id est, *percurrent plurimi*, multorum significat lectionem. Solemus enim dicere: percurri librum, pertransivi historiam. Quod quidem & Isaias de obscuritate sui voluminis loquitur: *Et erunt sermones libri istius, quasi verba voluminis signati, quod si dederint homini nescienti literas, dicentes ei, lege: respon-* Isa. 29. 11.

Marginal notes: Quibus imponant calumniatores. — * al. Phœnici. — 1. Mach. 2. — Alios erudire debemus. — * al. otii. — * al. plurimis. — Distantia inter doctum sanctum & simplicem sanctum.

debit , nescio literas . Sin autem dederint illud homini scienti literas , & dixerint : Lege librum : Respondebit , non possum legere : signatus est enim . Et in Apocalypsi Joannis liber videtur signatus sigillis septem intus & foris . Quumque nullus posset signacula illius solvere , ait Joannes : *Flebam nimis . Et venit ad me vox dicens : Ne plores : Ecce vicit leo de tribu Juda radix David , aperire librum , & solvere signacula ejus .* Librum autem illum potest solvere qui Scripturarum sacramenta cognovit , & intelligit ænigmata , & verba tenebrosa propter mysteriorum magnitudinem , & interpretatur parabolas , & occidentem literam transfert in spiritum vivificantem .

Apoc. 5. 4.

℣ 5 & 6 *Et vidi ego Daniel , & ecce quasi duo alii stabant : unus hinc super ripam fluminis , & alius inde ex altera ripa fluminis . Et dixi viro qui indutus erat lineis , qui stabat super aquas fluminis : usquequo finis istorum mirabilium ?* Vidit Daniel duos Angelos stantes ex utraque parte super ripam Babylonii fluminis , qui quum hic ponatur absque nomine , secundum præteritam visionem puto eum esse Tigrim , qui Hebraice dicitur EDDECEL , & tamen non interrogat eos , qui stabant super utramque ripam , sed eum quem in principio viderat , qui indutus erat vestibus lineis sive byssinis , quod Hebraice dicitur BADDIM . Et hic ipse Angelus stabat super aquas fluminis Babylonii , suo eas calcans pede . Ex quo intelligimus superiores duos Angelos , quos vidit stantes super ripam , & non interrogat , nec putat scifcitatione condignos , Angelos esse Persarum atque Græcorum . Hunc autem esse Angelum clementissimum , qui orationes Danielis in conspectu Dei * obtulerat , quando ei viginti & uno diebus Persarum Angelus resistebat . * Interrogabat autem hæc mirabilia quæ in præsenti Visione dicuntur , quo complenda sint tempore , quod Porphyrius more suo de Antiocho , nos de Antichristo interpretamur .

חדקל

בדים

* al. obtulerit.

* al. interrogat.

℣. 7. *Et audivi virum qui indutus erat lineis , qui stabat super aquas fluminis , quum elevasset dexteram , & sinistram suam in cælum , & jurasset per viventem in æternum , quia in tempus , & tempora , & dimidium temporis .* Tempus , & tempora , & dimidium temporis , tres & semis annos interpretatur Porphyrius , quod & nos juxta Scripturarum sanctarum idioma , non negamus . Nam & supra legimus , quod septem tempora transierint super Nabuchodonosor , id est , septem anni efferationis ejus , & in visione quattuor bestiarum scriptum est , leonis , & ursi , pardi , & alterius bestiæ , cujus nomen tacetur , quæ regnum significat Romanorum , & postea de Antichristo , quod a reges humiliet , & sermones contra excelsum loquatur , & Sanctos Altissimi conterat , & putabit , ait , quod possit mutare tempora & leges . Et tradentur in manu ejus usque ad tempus , & tempora , & dimidium temporis . Et judicium sedebit , ut auferatur potentia & conteratur , & dispereat usque in finem . Et manifeste de adventu Christi atque Sanctorum dicit : Regnum autem & potestas , & magnitudo regni quæ est subter omne cælum , detur populo Sanctorum Altissimi , cujus regnum , regnum sempiternum est , & omnes reges servient ei , & obedient . Si itaque superiora quæ perspicue de Antichristo scripta sunt , refert Porphyrius ad Antiochum , & ad tres & semis annos , quibus Templum dicit fuisse desertum : ergo & hoc sequitur : *Regnum ejus sempiternum , & omnes reges servient ei , & obedient* , debet probare super Antiocho , vel ut ipse putat , super populo Judæorum : quod nequaquam stare manifestum est . Legimus in Machabæorum libris , Josephus quoque in eamdem consentit opinionem , quod tribus annis Templum pollutum fuerit in Jerusalem , & in b eo Jovis idolum steterit sub Antiocho Epiphane , centesimo quadragesimo quinto anno regni Macedonum , a Casleu mense ejusdem anni nono , usque ad mensem nonum centesimi quadragesimi octavi anni , qui faciunt annos tres . Sub Antichristo autem non tres anni ; sed tres & semis , hoc est , mille ducenti nonaginta dies , desolationis Templi sancti , & eversionis * futuræ esse dicuntur .

Supra 7.

Joseph. lib. 12. cap. 14.

* al. futuri

Et quum completa fuerit dispersio manus

a Reponit Victor. *quod tres reges* , quod sic legatur supra cap. 7. atque ita ibi interpretetur Hieron. denique mss. aliquot suffragentur .

b Victorius *& in eo loco idolum* &c.

nus populi sancti, complebuntur universa hæc: Quando, inquit, populus Dei dispersus fuerit: vel Antiocho persequente, ut vult Porphyrius, vel Antichristo, ut nostri verius probant, tunc hæc omnia complebuntur.

V. 8. 9. & 10. *Et ego audivi, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade, Daniel, quia clausi signatique sunt sermones usque ad tempus* [a] *consummationis. Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, & impie agent impii: neque intelligent omnes impii: porro docti intelligent.* Vult Propheta intelligere quod viderat, immo quod audierat, & futurorum cupit cognoscere veritatem. Audierat enim regum bella diversa, & inter se prælia, & multiplicem historiam: sed nomina non audierat singulorum. Si autem Propheta audivit, & non intellexit, quid facient hi qui signatum librum, & usque ad tempus consummationis, multis obscuritatibus involutum, præsumtione mentis edisserunt? Quum autem, inquit, finis advenerit, impii non intelligent, & qui docti fuerint disciplina Dei, intelligere poterunt. *In perversam enim animam non introibit sapientia: nec potest se infundere corpori, quod peccatis subditum est.*

V. 11. *Et a tempore* * *quo ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Hos mille ducentos nonaginta dies Porphyrius in tempore Antiochi, & in desolatione Templi dicit completos, quam & Josephus & Machabæorum (ut diximus) liber, tribus tantum annis fuisse commemorant. Ex quo perspicuum est tres istos, & semis annos de Antichristi dici temporibus, qui tribus & semis annis, hoc est mille ducentis nonaginta diebus, sanctos persequuturus est, & postea corruiturus in monte inclyto & sancto. A tempore igitur ἐνδελεχισμοῦ, quod nos interpretati sumus *juge sacrificium*, quando Antichristus * orbem obtinens, Dei cultum [b] interdixerit, usque ad internecionem ejus, tres & semis anni, id est, mille ducenti & nonaginta complebuntur.

(* Vulg. quo. — * al. urbem.)

V. 12. *Beatus qui exspectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Beatus, inquit, qui, interfecto Antichristo, dies supra numerum præfinitum quadraginta quinque præstolatur: quibus est Dominus atque Salvator in sua majestate venturus. Quare autem post interfectionem Antichristi, quadraginta quinque dierum silentium sit, divinæ scientiæ est: nisi forte dicamus: Dilatio regni Sanctorum, patientiæ comprobatio est. Porphyrius hunc locum ita edisserit, ut quadraginta quinque dies qui super mille ducentos nonaginta sunt victoriæ contra duces Antiochi tempus significent: quando Judas Machabæus fortiter dimicavit, & emundavit Templum, idolumque contrivit, & victimas obtulit in Templo Dei. Quod recte diceret, si Machabæorum liber, tribus & semis annis Templum scriberet fuisse pollutum & non tribus. 1. Mach. 4.

V. 13. *Tu autem,* [c] *Daniel, vade ad præfinitum, &* * *requiesce, & stabis in sorte tua in finem dierum.* Pro quo Theodotio ita interpretatus est: *Tu autem vade & requiesce, & resurges in ordine tuo in consummatione dierum.* Quo verbo ostenditur omnem prophetiam vicinam esse resurrectioni omnium mortuorum: quando & Propheta surrecturus est. Et frustra Porphyrius, quæ in typo Antiochi de Antichristo dicta sunt, vult omnia referre ad Antiochum. Cujus calumniæ (ut diximus) plenius responderunt Eusebius Cæsariensis, & Apollinarius Laodicenus, & ex parte disertissimus vir martyr Methodius, quæ qui scire voluerit, in ipsorum libris poterit invenire. [d] Hucusque Danielem in Hebræo volumine legimus: cætera quæ sequuntur usque in finem libri, de Theodotionis Editione translata sunt.

(* Vulg. requiesce. — * al. resurrectionis.)

Cap. XIII. *ET erat vir habitans in Babylone, & nomen ejus Joacim, & accepit uxorem nomine Susannam filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem* * *Dominum.* Expositis, ut * potui, quæ in Danielis libro juxta Hebraicum continentur, ponam breviter quid Origenes in decimo Stromatum suorum libro de Susannæ & Belis.

(* Vulg. Deum. — * al. potuimus.)

[a] Victorius ad Vulgatæ lectionem *præfinitum* pro *consummationis*.

[b] Duo Mss. *Dei cultui interdixerit, usque ad interfectionem ejus.*

[c] Nomen *Daniel*, quod in sacro Textu non sit, Victorius expungit.

[d] Subsequens postrema periodus, subnexusque capitis XIII. e sacro Textu versiculus, in Palat. ms. non habentur; in Vatic. autem eorum loco istæc habetur Epigraphe ex minio: *Incipit historia Susannæ secundum Beatum Hieronymum.*

Belis fabulis dixerit. Cujus hæc verba sunt], [a] quæ locis suis subnotabis.

[a] ℣. 3. *Vulg. cum essent justi erudierunt &c. Docendi filii & filiæ juxta Legem Dei. *Et parentes ejus * justi edocuerunt filiam suam juxta legem Moysi*. Hoc utendum est testimonio ad exortationem parentum, ut doceant juxta Legem Dei, sermonemque divinum non solum filios, sed & filias suas.

℣. 4. [b] * Vulg. tacet *de populo*. *al. *Achiam & Sedechiam*. Jerem. 29. * al. *adulterabant*. *Et [b] constituti sunt duo senes * de populo judices in anno illo*. Referebat Hebræus istos esse * Ahab & Sedeciam, de quibus scribit Jeremias: *Faciat te Dominus sicut Ahab & Sedeciam, quos frixit rex Babylonis in igne, propter iniquitatem quam fecerant in Israel, & * adulterarant uxores civium suorum*.

℣. 5. *De quibus loquutus est Dominus: quia egressa est iniquitas de Babylone a senibus judicibus, qui videbantur regere populum. Isti frequentabant domum Joacim*, &c. Pulchre de presbyteris peccatoribus non ait: *Qui regebant populum*: sed, *qui videbantur regere*. Qui enim bene præsunt populo, regunt populum: qui autem tantum nomen habent, judicum, & injuste præsunt populo, regere videntur populum, magis quam regant.

℣. 8. [c] *Et exarserunt in concupiscentiam [c] ejus, & everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque meminissent judiciorum justorum*, Quod Græci vocant πάθος, nos *perturbationem* magis quam *passionem* rectius interpretamur. Hæc igitur perturbatio, & cupido libidinis titillavit, immo percussit corda seniorum. Sed ut in animis eorum jaceret fundamentum, & cogitarent desiderata complere, ipsi everterunt sensum suum: quo subverso, oculi eorum inclinati sunt, ut cælestia non viderent, nec recordarentur judiciorum justorum, sive Dei, sive honestatis, sive naturæ: quæ omnibus ad bonum insita est.

In Vulgata non est. *Et ecce Susanna inambulabat, juxta consuetudinem*. Ante jam dictum est quod facto mane inambularet Susanna. Nec incongruum est ad placandos eos qui omnium quæ gerimus de Scripturis sanctis quærunt exempla, hunc inambulandi locum assumere: quod recte quis ad vegetandum corpusculum deambulet. Quem locum, inquit, de Septuaginta Editione nunc posui: quo dicto Origenes ostendit cætera se non juxta Septuaginta Interpretes disseruisse.

Ingemuitque Susanna & ait, Angustiæ mihi sunt undique. Qui ad summitatem perfectæ virtutis venerit, numquam dicit sibi imminere discrimen, si adulterorum manus non effugerit, dicentium: *Assentire nobis, & commiscere nobiscum. Alioquin, & si nolueris, dicemus testimonium contra te, quod fuerit tecum juvenis, & hac de caussa dimiseris puellas a te*. Humanæ quippe fragilitatis est, mortem timere, quæ infertur pro justitia: nisi forte angustiam interpretabimur, non imminentis mortis, sed opprobrii & ignominiæ, qua persundenda erat illis accusantibus atque dicentibus: *Fuit cum illa juvenis, & idcirco dimisit puellas*. ℣. 19.

Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non, &c. Peccatum mortem vocat. Sicut ergo ei qui facit adulterium, mors est adulterium: sic omne peccatum quod dicit ad mortem, mors appellandum est. Et toties mori credimur, quoties peccamus ad mortem. Unde econtrario toties resurgimus & vivificamur, quoties vitæ digna opera facimus. ℣. 21

Sed melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. In Græco non habet, αἱρετώτερον, id est, *melius*, sed αἱρετόν, quod *bonum* interpretari possumus. Unde eleganter non dixit: *Melius mihi est incidere in manus iniquorum presbyterorum, quam peccare in conspectu Domini*: ne videretur comparatione peccati, quod non erat bonum, hoc appellare melius. Sed bonum est, inquit, mihi non facere malum, & incidere in manus vestras, ne peccem in conspectu Domi- ℣. 23. a

[a] Neque isti xe verba, *quæ locis suis subnotabis*, norunt mss. nostri. Porro nec Hieronymus totidem videtur Origenem verbis Latine expressisse.

[b] Pro hoc versiculo, quem Mss. nostri substituunt, alius proponebatur: *Erat autem Joacim dives valde, & erat ei pomarium vicinum domui suæ*: qui nihil ad subnexam expositionem pertinet. Cæterum eadem Origenis sunt pene verba in Epistola ad Africanum de Susannæ historia num. 7. Μέμνημαι μὲν τοίγε φιλομαθεῖ Ἑβραίῳ, καὶ χρηματίζοντι παρ' αὐτοῖς σοφοῦ υἱῷ .... συμμίξας περὶ πλειόνων· ἀφ' οὗ ὡς μὴ ἀθετουμένης τῆς περὶ Σωσάννης ἱστορίας, ἐμάνθανον, καὶ τὰ τῶν πρεσβυτέρων ὀνόματα, ὡς παρὰ τῷ Ἱερεμίᾳ κείμενα τοῦτον ἔχοντα τὸν τρόπον· ποιήσαι σε κύριος &c. *Memini certe me cum studioso Hebræo, vocatique apud illos viri sapientis filio .... colloquutum ab ipso perinde ac si Susannæ historia vera sit, didicisse etiam seniorum nomina pro ut exstant in Jeremia, & hoc modo se habent: Te faciat Dominus ut Sedeciam & ut Achiab, quos &c.*

[c] Heic denuo ut & sæpe alibi propositum Scripturæ textum ex mss. fide ad subnexam expositionem supplemus.

mini. Non ergo per comparationem legendum est: *Melius mihi est incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini:* sed absolute: *Bonum mihi est non facere malum, & incidere in manus vestras, ne peccem in conspectu Domini.*

V. 24. *Et exclamavit voce magna Susanna*, &c. Magna vox erat, non aeris percussione, & clamore faucium, sed pudicitiæ magnitudine, per quam clamabat ad Dominum. Unde & sancta Scriptura in exclamatione seniorum non apposuit magnam vocem. Sequitur enim: *Clamaverunt & senes adversum eam.*

V. 42. *Exclamavit autem Susanna voce magna*, &c. Cordis affectus, & mentis pura confessio, & bonum conscientiæ, vocem ejus fecerant clariorem. Unde magna erat exclamatio ejus Deo, quæ ab hominibus non audiebatur.

V. 44. *Cumque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris.* Quo sermone ostenditur, non intrasse in Danielem Spiritum Sanctum: sed eum qui erat in illo, & quiescebat propter ætatis infirmitatem, nec sua poterat opera demonstrare, data occasione pro sancta femina a Domino suscitatum.

V. 46. *Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum a sanguine hujus*, &c. Suscitato in se Spiritu Sancto, & quæ puer deberet dicere suggerente, vox ejus magna erat. Et notandum sicubi in Scripturis sanctis, peccatoris vox magna * vocatur.

* al. dicatur.

V. 58. & 59. *Dic sub qua arbore videris eos loquentes sibi, qui ait sub schino, dixitque ei Daniel: Recte mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo scindet te medium. Et post modicum alter senior ait, sub prino, dixitque ad eum Daniel: Recte mentitus & tu in caput tuum. Manet autem Angelus Dei gladium habens ut secet te medium.* Quia Hebræi reprobant historiam Susannæ, dicentes eam in Danielis volumine non haberi, debemus diligenter inquirere nomina, χίνε ϗ πρίνε, quæ Latini *ilicem*, & *lentiscum* interpretantur, si sint apud Hebræos, & quam habeant etymologiam, ut a χίνω, *scissio*, & a πρίνω, *sectio*, sive *serratio* dicatur lingua eorum. Quod si non fuerit inventum, necessitate cogemur & nos eorum acquiescere sententiæ, qui Græci tantum sermonis hanc volunt esse πρινοπτὴν, quæ Græcam habeat tantum etymologiam, & Hebraicam non habeat. Quod si quis ostenderit [a] duarum istarum arborum scissionis & sectionis in Hebræo stare etymologiam: tunc poterimus etiam hanc Scripturam recipere.

V. 60. *Exclamavit autem omnis * synagoga voce magna, & benedixerunt Deum qui salvat sperantes in se, &c.* Si interfecit eos omnis synagoga, videtur illa opinio refutari [b], de qua supra diximus, secundum Jeremiam, quod ipsi essent presbyteri Ahab & Sedecias: nisi forte hoc, quod scriptum est: *Interfecerunt eos*, sic interpretemur pro eo, quod est, regi Babylonis occidendos tradiderunt. Jerem. 29.

* Vulg. cœtus

a Rectius multo colligit in laudata ad Africanum Epistola num. 6. & 7. ubi ita propositæ objectioni respondet, ut quamquam in Hebræo qui interciderat textu illa etymologia duarum arborum scissionis & sectionis exhiberi nequeat, nihil tamen dubitari velit, quin esse potuerit, cum id genus alii in Scripturis occurrant verborum lusus. Et vero libet quædam ejus responsi saltem ex Latina interpretatione describere. *Videamus*, inquit, *quæ in oratione ipsa criminaris. Et primum incipiamus ab eo quod deterrere queat, ne admittatur historia, nempe ab ea quam* ἀπὸ τȣ̃ πρίνε πρίσις, & ἀπὸ τȣ̃ χίνε χίσις *habet, derivatione, de qua tu pronuntiasti, ac si compertum haberes, quo modo Græce quidem hæc consonare contingat; Hebraice autem distent penitus. Ego vero etiamnum dubito. Nam & ego de hoc loco sollicitus, cum & ipse dubius hærerem, non paucos Hebræos consului, sciscitans quomodo apud ipsos nominetur* πρῖνος, *& quomodo dicant* πρίζειν, *item qua voce reddant* χῖνον *arborem, & quomodo dicatur eis* χίζειν. *Illi autem dicebant ignorare se Græcas voces* πρῖνε *&* χῖνε, *& ipsas sibi poscebant ostendi arbores, ut scirent quasnam eis tribuant voces. Ego vero non dubitavi (amica enim veritas) ipsa ligna in eorum conspectum adducere. Alius autem dicebat quæ nusquam nominata sunt in Scripturis, se non posse affirmare quemadmodum dicantur Hebraice; in promptu autem esse, ut qui dubitat, Syriaca utatur voce loco Hebraica. Item dicebat etiam a sapientissimis dictiones nonnullas aliquando quæri. Si ergo, inquiebat, alicubi potes ostendere nominatam in aliqua Scriptura* Prinum, *vel* Schinum, *ibi certe invenietur quod quærimus, & ea quæ inde oritur, nominum derivatio. Si vero nullibi nominata sunt, id quoque nos latet. Hæc igitur cum ab Hebræis quibuscum consuetudinem habui, historiam non agnoscentibus dicta sint, religio mihi est pronuntiare utrum apud Hebræos similis nominum derivatio servetur necne. Tu vero cur non esse affirmaris, fortasse nosti.*

b Hanc ex Hebræorum sensu difficultatem urget impendio magis Hieronymus in Commentariis in Jeremiæ cap. 29. ad illud Prophetæ, *Faciat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab &c. Ajunt*, inquit, *Hebræi hos esse presbyteros, qui fecerunt stultitiam in Israel, & mœchati sunt uxores civium suorum, quorum uni loquitur Daniel:* Inveterate dierum malorum: *Et alteri:* Semen Chanaam, & non Juda, species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum..... *Sed illud quod in præsentiarum dicitur:* quos frixit rex Babylonis in igne, *videtur Danielis historiæ contraire. Ille enim asserit eos ad sententiam Danielis a populo esse lapidatos: hic vero scriptum est, quod frixerit eos rex Babylonis in igne. Unde & a plerisque ac pene omnibus Hebræis, ipsa quasi fabula non recipitur, nec legitur in synagogis eorum. Qui enim, inquiunt, fieri poterat, ut captivi lapidandi principes & Prophetas suos haberent potestatem? Et magis hoc esse verum affirmant, quod scribit Jeremias, convinctos quidem esse presbyteros a Daniele, sed latam in eos sententiam a rege Babylonis, qui in captivos, ut victor & dominus, habebat imperium.*

runt. Sicut & nos dicimus, quod Judæi A interfecerint Salvatorem: non quo ipsi percusserint, sed quo tradiderint occidendum, & succlamantes dixerint: *Cru-*
Joan.19.15. *cifige, crucifige eum.*

Helcias autem & uxor ejus laudaverunt
V. 63. *Deum pro filia sua Susanna*, &c. * Di-
* al. digni. gne quasi sancti laudant Deum: non quia liberata est de manu Presbyterorum Susanna, hoc enim non satis laudabile est, nec magni discriminis, si non esset liberata, sed quia non est inventa B in ea res turpis.

Cap. XIV. * Vulg. ostium in- *Statimque quum aperuisset * ostia, aspiciens rex super mensam, exclamavit voce magna: Magnus es, Bel, & non est apud te ullus dolus.* tuitus rex mensam. Hoc quod Scriptura nunc dicit: *Exclamavit voce magna*, quia de idololatra, & ignorante Deum, dicitur, videtur observationem nostram subvertere, qua dudum asseruimus vocem magnam in sanctis tantum reperiri. Quod solvet facile qui hanc historiam in libro Danielis apud Hebræos dixerit non haberi. Si quis autem potuerit eam approbare esse [a] de Canone, tunc quærendum est, quid ei respondere debeamus.

a Recole Epist. ad African. num. 4. & 5.

Explicit in Danielem.



ORIGE-

ORIGENIS
HOMILIÆ XXVIII.
IN PROPHETAS
JEREMIAM
ET
EZECHIELEM
A SANCTO
HIERONYMO
LATINE REDDITÆ
EJUSQUE OPERUM COLLECTIONI
Juxta interpretationis ejus ordinem
NUNC PRIMUM SUBJUNCTÆ.

INCIPIT

PROLOGUS S. HIERONYMI IN TRANSLATIONEM HOMILIARUM ORIGENIS IN JEREMIAM ET EZECHIELEM

AD [a] VINCENTIUM PRESBYTERUM.

* al. *Apostolos.*

Oculorum dolore Hier. laborabat.

Triplicia Origeni; Opuscula.

MAgnum est quidem, amice, quod postulas, ut Origenem faciam Latinum, & hominem juxta Didymi videntis sententiam, alterum post *Apostolum, Ecclesiarum magistrum etiam Romanis auribus donem. Sed oculorum, ut ipse nosti, dolore cruciatus, quem nimia impatiens lectione contraxi, & notariorum penuria, quia tenuitas hoc quoque subsidium abstulit, quod recte cupis, tam ardenter ut cupis, implere non valeo. Itaque post quattuordecim Homilias in Jeremiam, quas jampridem confuso ordine interpretatus sum, & has quattuordecim in Ezechielem per intervalla dictavi, id magnopere curans, ut idioma supradicti viri a simplicitate sermonis, quæ sola Ecclesiis prodest, etiam translatio conservaret, omni Rhetoricæ artis splendore contemto: res quippe volumus non verba laudare; & illud breviter admonens, ut scias Origenis opuscula in omnem Scripturam esse triplicia. Primum ejus opus Excerpta, quæ Græce χόλια nuncupantur, in quibus ea quæ sibi videbantur obscura, atque habere aliquid difficultatis, summatim breviterque perstrinxit. Secundum Homileticum genus, de quo & præsens interpretatio ejus est. Tertium quod ipse inscripsit Τόμους nos *volumina* possumus nuncupare, in quo opere tota ingenii sui vela spirantibus ventis dedit, & recedens a terra in medium pelagus aufugit. Scio te cupere, ut omne genus transferam dictionis: præmisi caussam, cur facere non possim. Hoc tamen spondeo, quia si, orante te, Jesus reddiderit sanitatem, non dicam cuncta, quia hoc dixisse temerarium est, sed permulta sum translaturus, ea lege qua tibi sæpe constitui, ut ego vocem præbeam, tu notarium.

[a] Hic idem ille Vincentius est, cui & interpretationem Eusebiani Chronici S. Pater inscripsit, & quem laudat Epist. LXI. ad Vigilantium num. 3.

ORIGENIS IN PROPHETAM JEREMIAM *HOMILIÆ XIV.* A S. HIERONYMO IN LATINUM CONVERSÆ

Juxta ejus interpretationis seriem.

HOMILIA PRIMA

Verbum Dei quod factum est ad Jeremiam filium Chelciæ, &c. Jerem. 1. 1.

DEus ad beneficiendum promtus est: ad puniendos autem eos qui pœna digni sunt, dissimulat. Cum possit quippe tacens sine contestatione venturi punire eos quos semel dignos supplicio judicavit, nunquam hoc facit: sed etiam si condemnaverit, [a] dicit quod sibi semper dicere propositum est, ut liberentur a condemnatione per pœnitentiam, qui condemnati fuerant per delictum. Horum exempla cum de Scripturis multa possimus accipere, sufficiunt ad præsens incidentia, ut veniamus ad eorum quæ lecta sunt, contemplationem. Ninivitæ peccatores condemnati erant a Deo: *Adhuc enim* [b] *tres dies, & futurum ut Ninive subvertatur*. (Jon. 3, 4.) Noluit Deus cum silentio punire damnatos, sed dans eis locum pœnitentiæ & conversionis, misit ad gentes Hebræorum Prophetam, ut dicente illo: *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur*, qui condemnati fuerant, non perirent: sed agentes pœnitentiam, impetrarent misericordiam Dei, qui in Sodomis & Gomorris jam erant exitio destinati, ut manifestum est ex sermonibus Dei, quos loquutus est ad Abraam: attamen quod erat suum, fecerunt Angeli, volentes eos salvare qui se indignos salute judicaverunt, hæc dicentes ad Loth: *Est tibi hic aliquis gener, aut filii, aut filiæ?* (Gen. 19. 14.) Neque enim ignorabant non esse eos secuturos Loth, sed ostenderunt suam pariter, & ejus qui eos miserat, benignitatem in homines & amorem. Horum quiddam simile invenimus & in Jeremia scriptum esse: est enim annotatum tempus prophetiæ ejus quando cœpit prophetare, & quousque. Ergo qui Scripturas legit, si lectioni diligenter [c] intendat, & requirat eorum quæ scripta sunt voluntatem, dicere potest [d] ex historiæ superscriptione, quo tempore Jeremias exorsus sit, & quod consummaverit prophetiam. Quid igitur ad me tempus historiæ? Legens didici, quia cœperit prophetare in diebus Josiæ filii Amos regis Juda, usque ad annum tertium decimum regni ejus, deinde prophetàverit in diebus Joachim filii Josiæ, regis Juda, usque ad consumma-

a Verti jubet Huetius, *prædicit ei, quod sibi propositum est*, cum in Greco sit, *προλέγῃ αὐτῷ τὸ προκείμενον*.

b Ita LXX & Arabs: at Hebræus, & Jonathan, & Syrus & Vulgata habent *quadraginta*, quæ sequutus est Hieronymus in suis ad Jonam Commentariis. HUETIUS.

c In Græco sub negandi forma est *ἐὰν μὴ προσέχῃ τῇ ἀναγνώσει, μηδὲ ἐξετάζῃ τὸ βούλημα*: quam negativam particulam non agnoscit Hieronymus, & sic legit: *ἐὰν προσέχῃ τῇ ἀναγνώσει, καὶ ἐξετάζει*: optime; sic enim in fine periochæ hujus: *ἐὰν προσέχωμεν τῇ ἀναγνώσει*. Legendum quoque in Hieronymo: *dicere potest*, non *discere*. HUETIUS.

d Ms. Reg. apud Huetium, *historia super scripta est, quo*.

mationem undecimi anni Sedeciæ filii Josiæ, regis Juda. Et legens didici quia per tres reges prophetia ejus contemta sit, usque ad captivitatem Jerusalem in quinto mense. Quid ergo docemur per hæc, si lectioni simus intenti? Condemnaverat Deus Jerusalem propter peccata quæ fecerat, & hæc erat extrema sententia, ut captivitati [a] relinqueretur. Verumtamen cum hominum sit amator, nec quemquam velit perire, antequam depopu- B lationis tempus instaret, misit & hunc Prophetam, ut per sermones ejus ad pœnitentiam [b] converteretur; misit eundem & sub secundo rege post primum, misit quoque sub tertio. Quid plura? jam captivitas imminebat, & adhuc adhortabatur Deus tribuens (ut ita dicam) & ante unam diem locum pœnitentiæ: unde scriptum est, usque ad captivitatem Jerusalem, & usque ad quintum mensem prophetasse Je- C remiam. Jam hostium vincula restrinxerant manus, & nihilominus hæc quodammodo dicebat Deus: Ecce captivi facti estis: agite, licet sero, pœnitentiam: rogate me, & parcam vobis: possum eruere de captivitate, qui tradidi. Habemus itaque [c] quædam necessaria ex superscriptione ista, quæ continet tempora prophetiæ, quia juxta suam clementiam exhortatur Deus semper homines ad salutem, ut, cessante delicto, etiam captivitas conquiescat. Hæc autem & de nobis possu-
1. Cor. 5. 5. mus intelligere: si peccaverimus, & nos captivi futuri sumus. Etenim tradi peccatorem Satanæ, nihil distat ab eo quod Judæi sunt traditi Nabuchodonosor. Utque illos Deus concessit adversario, propter frequentes impietates; sic nos propter peccata quæ fecimus, tradimur spiritali Nabuchodonosor: & *quos tradidi*, inquit, *Sa-*
1. Tim. 1. 20. *tanæ, ut discant non blasphemare*, Apostolus de aliis peccatoribus. Puta quantum malum est peccare, ut [d] tradamur Satanæ captivanti animos eorum qui relinquuntur a Deo. Non

A sine causa autem, neque sine judicio [e] Deus relinquit quos deserit. Cum enim miserit pluviam super vineam, & vinea pro uva attulerit spinas, quid faciet, nisi ut mandet nubibus, ne pluant super eam imbrem? Quapropter in proximo est propter delicta nostra, quorum nobis conscii sumus, & nos captivari. Futurum est enim, ut tradamur, si non egerimus pœnitentiam, Nabuchodonosor, atque Ba- B byloniis, qui nos sensibiliter excrucient. Istis jam adjacentibus, sermones Prophetarum, sermones Legis, sermones Apostolorum, sermones etiam Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi hortantur ad pœnitentiam, provocant ad salutem. Si autem audierimus, credimus ei qui dixit: *Et ego pœnitentiam agam de omnibus malis, quæ locutus* Jer. 18. 8.
sum facere eis. Et hæc quidem in Procemium. Post Procemium autem ita C scriptum est: *Factus est Domini sermo ad eum*: certum est quia ad Jeremiam. Quid dicit sermo Domini ad eum? præcipuum ab omnibus quæ Prophetis dicta sunt ceteris. Hoc enim numquam ad ullum Prophetarum dictum invenimus. Abraam [f] Propheta nuncupatus est, in eo quod dicitur: *Propheta est, & orabit pro te*: & tamen Gen. 20. 7.
non dixit ad eum Deus: *Priusquam te* Jer. 1. 5.
plasmarem in utero, novi te: & priusquam D *exires de vulva, sanctificavi te*. Sed po- Gen. 12. 1.
stea in extremo jam tempore sanctificatus est Abraam, quando egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui. Ex repromissione natus est Isaac, & tamen neque ad eum reperimus hunc dictum esse sermonem. Et quid me necesse est per singulos currere? Jeremias præcipuum, inter cunctos consequutus est donum, dicente Domino: *Priusquam te plasmarem* E *in utero, novi te: & priusquam exires de vulva, sanctificavi te*. Neque vero ignoramus quosdam esse qui ita referant, quasi [g] majora Jeremia, super Salvatore nostro & Domino Jesu Christo: sciendumque plurima ex his esse quæ

a Mss. Regii penes Huetium, *relinquerentur*.
b Unus Ms. R. penes eumdem, *converterentur*.
c Idem Ms. *quiddam necessarium*.
d Rursum idem Ms *tradar*. al. *tradat*.
e Ms. R. *Dei relinquentis*. al. *Deo relinquente*.
f Quin & Adamo ipsi locum inter Prophetas tribuit Origenes Commentar. in Cantic. *Inter Prophetas autem numeratur & Adam, quia magnum mysterium prophetavit in Christo, & in Ecclesia, dicens Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carne una. Evidenter enim de his dictis ejus dicit Apostolus, quia mysterium hoc magnum sit, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* HUETIUS.
g Locum nos emaculavimus, cum antea blasphemo fere sensu esset, *quasi major sit Jeremia*. Monuit vero, qui hæc monimenta in pervetustis magisque emendatis codd. olim legit, Rabanus, ac totidem verbis describens suis in Jeremiam Commentariis inseruit: ex quo & nos reposuimus, *quasi maiora Jeremia*. Sed & Græcus Origenis textus sic præfert ὡς μείζονα Ἱερεμίᾳ, non ὡς μείζων Ἱερεμίας.

possunt Salvatori convenire, quæ etiam nos interponemus. Pauca autem eorum quæ ad Jeremiam dicta sunt, coarctant intellectum, quasi non possint, ut plures existimant, ad Dominum referri. Quæ sunt ergo quæ possunt convenire Domino? (Jer. 1. 7. 8.) *Ad omnes ad quoscumque mittam te, ibis: & omnia quæ mando tibi, loqueris. Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, ut eruam te: dicit Dominus.* Nec dum ista otiose videntur ad Salvatorem referri: ea vero quæ sequuntur: (Jer. 1. 9. 10.) *Extendit Dominus manum suam ad me, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi sermones meos in os tuum; ecce constitui te hodie super gentes & regna, eradicare, & disperdere*: de Jeremia difficilem faciunt interpretationem: (a) [a] quas enim gentes eradicavit Jeremias? quæ regna subvertit, ut merito ei dictum sit: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna eradicare, & suffodere?* quam habuit potestatem ad disperdendum, ut audierit: (b) *& disperdere?* Quos vero ædificavit, ut consequenter addatur, *ædificare?* Jeremias dixit: *Non profui, neque profuit mihi aliquis;* & quomodo data est ei ædificatio atque plantatio? Hæc, ut diximus, ad Salvatorem relata non coarctant interpretantem. Jeremias enim in istis Salvatoris figura est. Sed & ea quæ sequuntur, (* al. etiam) * & doctissimo homini difficultatem expositionis important, quomodo possint congruere Domino: (c) *Et dixi:* [c] (Jer. 1. 6.) *Quis es dominator Domine, ecce nescio loqui.* Qui est sapientia, qui est virtus Dei, in quo plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter, (Colos. 2. 9.) quomodo huic aptari potest: *Nescio loqui?* Sed & illud: (d) *Quia juvenis ego sum:* interciditur [d] ei, quasi non bene responderit. Si etenim ei dicit Dominus: *Noli dicere, quia juvenis sum*, manifestum est quasi non bene dicentem fuisse reprehensum. Hæc sunt quæ Salvatori videntur non convenire. Superiora autem facili intellectu ad eum referuntur. Dicere vero alia super Jeremia, alia super Salvatore interpretanda esse, non pessimum est. Sed qui bene Scripturas nosse conatur, vehementer in isto instabit loco, videns sub uno textu sermonis dividi intellectum, & dici hæc, quoniam minora sunt, non conveniunt Salvatori, sed Jeremiæ: illa vero, quoniam majora sunt, non Jeremiæ, sed Christo. Ob id cuncta nos ad Jeremiam referre tentabimus: hoc est, & ea, quæ quum majora sint, videntur conditionem ejus excedere. Quicunque a Deo accepit verba, sumens gratiam cælestis eloquii, idcirco ea accipit, ut regna, gentesque eradicet atque subvertat. Sed quum nominentur gentes, & regna, omnis qui divina verba suscipit, nolo eum corporaliter intelligere regna, & gentes, sed considerans animas hominum [e] regnatas a peccato, juxta id quod in Apostolo scriptum est: (e) (Rom. 6. 12.) *Non regnet ergo peccatum in vestro mortali corpore*: videns quoque multas species delictorum allegorizet regna & gentes per [f] varia delicta, (f) quæ humanas animas possederunt: & hæc erunt quæ evellentur atque suffodientur a sermonibus Dei, qui dati sunt sive Jeremiæ, sive cæteris sanctis. Ita fiet, ut prima quæ non videbantur congruere Salvatori, ad Jeremiam referantur: & secunda ab eo qui scit [g] figurate dicta quæ dicta sunt, (g) Jeremiæ deputentur. Dicet mihi aliquis auditorum, etiam alium pande sermonem, & cuncta quæ scripta sunt super Salvatore, quasi de [h] eo sint scripta, constitue: (h) de secundis noli esse sollicitus. Apparet enim quia Salvator eradicaverit regna Diaboli, & nationes subverterit, gentilem destruens vitam. In istis quod intellectum difficilem facit, hoc est, quomodo possit Salvator dicere: *Nescio loqui, quia juvenis ego sum*, & cætera. In hoc sermone interpretantes [i] coangustantur. (i) Jesum Christum scimus Deum: quærimus verba quæ dicta sunt juxta personæ exponere dignitatem: quapropter necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare: sensus quippe

a Interserit Rabanus quasi Hieronymi verba, *Nisi forte accipiamus eo modo, quo supra diximus, ut acceperit in manu calicem meri plenum, & jussus sit propinare cunctis in circuitu nationibus*, quæ tamen nec in Græco sonant.

b Huetius, *Quanam vero*, quum & mss. Reg. penes eumdem, & Rabanus *quos vero legant*: quemadmodum, & Græco textu suffragante, nos reposuimus.

c Idem retinuit, *quis es*: monuit vero reponendum *qui es*, ut & Rabanus restituit.

d Antea erat *interdicitur enim quasi &c.* Nos cum Reg. mss. & Rabano legimus *ei* pro *enim*. Rabanus præterea *qui* pro *quasi* habet; sed est in Græco: ὡς λέγοντα.

e Rabanus *gubernatas* pro *regnatas*; contra est in Græco βασιλευομένας. Quædam levioris momenti inferius castigamus.

f Hinc recte monet Huetius, emendandum in Græco κατὰ τὰ φῦλα, prout Hieronymus legerat, pro καὶ τὰ φαῦλα, quod Librarii est mendum.

g Mss. Reg. apud Huetium, *figurate quæ dicta sunt*.

h Iidem Mss. *de Deo*.

i Penes Rabanum, *sermo interpretantis coangustatur*, pressius ad Græcum ὁ λόγος στενοχωρεῖται.

pe nostri & enarrationes sine iis testibus non habent fidem : & hoc quod
Mat. 18. 16. dictum est : *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* , magis convenit ad interpretantis probationem , quam ad quorumquunque hominum numerum : ut firmem verbum intellectus mei, accipiens duos testes de Novo & Veteri Testamento , accipiens tres testes de Evangelio , de Propheta , de Apostolo . Sic enim stabit omne verbum . Quomodo igitur valebimus ista
Isai. 7. 16. conjungere Salvatori ? Det mihi testimonium Vetus Testamentum : *Quia priusquam agnoscat puer bonum aut ma-*
Isai. 7. 14. *lum* , & cætera . Det etiam Isaias : *Ecce Virgo concipiet in utero , & pariet filium , & vocabitur nomen ejus Emanuel :* ibique additur : *Priusquam cognoscat puer* . Si autem & de Evangelio accipere oportet testimonium , Jesus necdum vir , sed adhuc infans , quia se exinaniverat formam servi accipiens ,
Luc. 2. 52. proficiebat . Nemo autem proficit , qui est perfectus ; sed ille proficit , qui indiget profectu . Ergo proficiebat ætate , proficiebat sapientia , proficiebat gratia , & apud Deum , & apud homines . Nam si evacuaverat seipsum ad nos descendens , & evacuans seipsum resumpsit iterum ea de quibus se prius evacuaverat , quid indignum est profecisse eum sapientia , profecisse ætate , profecisse gratia apud Deum , & apud homines , & vera de eo esse
Isai. 7. 16. ista quæ dicta sunt : *Priusquam cognoscat puer bonum aut [illegible]* , & ea quæ de eodem inter[illegible] ? Sed dicet mihi aliquis : [illegible] est de Salvatore intel[illegible] qua nesciat , & cæter[illegible] ma[illegible]ra sunt , & si [illegible] nonne offen[illegible] de unigenito , & prim[illegible] creaturæ , de eo
Luc. 1. 37. qui [illegible]peretur , annuntiatus e[illegible] Gabriele : *Spiritus sanctus [illegible] , & virtus altissimi obrum[illegible]* & [illegible]audes dicere quia nescia[illegible] : Quamobrem videbo si potero [illegible] dig[illegible]m de Salvatore in
* al. quomodo hoc loco afferre * quod quædam nesciens maj[illegible] ea ignoraverit , quam si scier[illegible]mur voce ejus , quomodo sint [illegible] quæ nesciat . Respondit

A eis , qui sibi dicebant : *Nonne in nomine tuo comedimus , & in nomine tuo bibimus & in nomine tuo dæmonia ejecimus , & virtutes multas fecimus ? Discedite a me , non novi vos* . Putasne hoc quod ait : *Non novi vos* , minorem ejus virtutem approbat , an majorem atque mirabilem , quia malos periturosque nesciat ? Scit enim [b] ab his differentias , scit meliora , scit Dominus eos qui ejus sunt , & si quis ignorat , ignoratur . Igitur Mat. 7. 22.
B (ut constat) peccator ignoratur a Deo . Dicet mihi aliquis de auditoribus : ostendisti quia nesciat peccatores Deus , ostendisti quia ignoret eos qui operantur iniquitatem , neque enim digni sunt agnitione ejus : quomodo approbabis magnum & gloriosum esse quod ab eo dictum est : *Nescio loqui ?* Loqui [c] humanum est , & eloquio semper utimur , verbi caussa , Hebræorum voce , sive Græcorum , sive reliquorum sermo-
C ne . Ergo si ascenderis ad Salvatorem , & scieris eum in principio apud Deum Verbum , inspice quia nesciat loqui , quum humanum sit hoc quod dicitur loqui , * si ideo nesciat , quia sint * al. sed majora quæ noverit . Si autem & Angelorum linguas humanis comparaveris linguis , & scieris quia iste major sit [d] Angelis (sicut testatus est de eo Apostolus in Epistola sua quam scribit ad Hebræos) intelligens majorem Hebr. 1. 4. 5
D eum & Angelorum linguis fuisse , quando tantum * Deus Verbum erat apud Patrem . Dicit ergo , & quodammodo accipit disciplinam non magnorum , sed inferiorum ac minorum . Sicut & ego balbutire disco , violentiam mihimet ipsi faciens , quando cum parvulis loquor , neque enim scio (ut ita dicam) infantiliter loqui , & infractis verbis jam grandævus cum pueris sermocinari : eodem modo Salvator in * al. Dei
E magnificentia quidem gloriæ Dei , & in Patre consistens , non loquitur humana , nescit affari eos qui deorsum sunt . Quando autem venit in corpus humanum , dicit in exordio : *Nescio loqui , quia juvenis ego sum :* juvenis , propter dispensationem : senex , juxta hoc Col. 1. 15. quod primogenitus omnis creaturæ : juvenis , quia in consummatione jam sæculorum , & in extremum hujus vitæ tem-

[a] R[illegible] etiamsi potes , illud de Salvatore intellig[illegible] paulo post , *quæ minora sunt* .

[b] In Græc[illegible] est ἐγὼ γὰρ τὰ διαφέροντα καὶ κρείττονα [illegible] est Hieronymus : *Scit enim ab his diff[illegible] meliora , scit Dominus eos , qui ejus sunt* . [illegible] *Novi enim præstantiora & meliora* . HUETIUS.

[c] Pro *Loqui* , quod juxta Græcum τὸ λαλεῖν ex Rabano reposuimus , erat *quod* , & *sæpe* pro *semper* . Sed & illud paulo post , *sive reliquorum sermone* , longius a Græco distat , quam quod legit Rabanus , *Quorumquumque ergo sermone si ascenderis &c.*

[d] Rabanus *major sit & ab Angelis* .

tempus advenit. Dicit itaque: *Nescio loqui*; scio enim quædam majora loqui, scio quædam [a] majora isto sermone mortali. Vis me loqui terrestribus? nec dum assumpsi humanam fragilitatem, habeo eloquium tuum, Verbum tuum sum, tibi scio loqui, hominibus nescio loqui, juvenis sum. *Noli dicere: Juvenis ego sum, quoniam ad* [b] *omnes quosquunque mittam te, ibis*. Deinde commovit manum ad tangendum os ejus, ut ei det verba, quibus eradicet imperia. Neque vero indigebat Salvator verbis, ut ea acciperet, quando erat in Patre, nullis in cælo dignis, quæ mererentur everti. Sed nunc accipit parva, [c] differens majora paulisper. Atque ita ex hoc approbatur, sicuti alibi gloriose dixerat:

Luc. 13. 27. *Nescio vos, quia operarii estis iniquitatis*, & nunc verba gloriose accepisse, cum Deus sit, & juxta magnificentiam suæ dixisse gloriæ: *Nescio loqui*, id est, humana non novi. Sive autem ad Jeremiam, sive ad Salvatorem dicitur: *Priusquam te plasmarem in utero, novi te*; legens Genesim & observans ea, quæ ibi de conditione mundi scripta sunt, invenies quia Scriptura divina multum in sermonibus cauta, non dixerit: *Priusquam te facerem in utero, novi te*: quando enim juxta imaginem conditio est, dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & non dicit, plasmemus. Quando autem accepit lutum de terra, non est scriptum: Fecit hominem, sed: *Plasmavit hominem*, & posuit in Paradiso hominem quem plasmavit, operari, & servare eum. Si potes intelligere differentiam facturæ & plasmationis, quum dicens sive ad Jeremiam, sive ad Salvatorem, non dixerit: *Priusquam te facerem in utero*. Quod enim fit, non fit in utero, sed quod creatur de terræ pulvere, hoc plasmatur in utero. *Priusquam te plasmarem in utero, scio te*. Si omnes novit Deus, quomodo quasi * præcipuo a cæteris Jeremiæ dicit: *Novi te?* An eos tantum scit Deus qui scientia ejus digni sunt, & cognoscit eos qui ejus sunt; indignos vero nescit neque Pater, neque Filius, dicens: *Non novi vos?* Nos cum simus homines, si aliqua fuerimus præditi dignitate, alios nostra notitia dignos, alios * judicamus indignos: & quos scire nolumus, neque audire volumus, eos nescimus. Quid arbitraris de universitatis Deo? Vult scire Pharaonem, vult Ægyptios nosse, sed indigni sunt notitia ejus; sed ipsi faciunt ut ignorentur. Scit autem Moysen, scit Prophetas, & si quis similis eorum est. Multum te oportet laborare, ut nosci incipiaris a Domino. Jeremiam quidem, priusquam plasmaverit in ventre, cognovit: alium vero de Prophetis triginta annorum cepit nosse, alium quadraginta. Sermones sunt ineffabiles de Salvatore, & non magnopere quærendi: de Jeremia vero, eorum qui scientiam Scripturarum habent, auribus [d] indigemus, quomodo dicat: *Priusquam te plasmarem in utero, novi te: & priusquam exires de vulva matris tuæ, sanctificavi te:* Deus sibi ipse sanctificat aliquos. Istum non exspectat, ut sanctificet genitum, sed prius sanctificat quam de vulva egrediatur. Si ad Salvatorem (ut dixi) referas, non est malum dicere prius eum sanctificatum esse, quam natum. Sic de Domino intelligas [e], qui antequam de vulva exierit, sanctificatus est, sed infinito ante tempore semper sanctus fuit: hic vero antequam de utero exiret, sanctificatus est. *Prophetam in gentibus posui te*. Si [f] de Jeremia quæris, quomodo sit Propheta in gentibus positus, observa in consequentibus cum jubetur prophetare ad omnes gentes: nam istiusmodi * scriptio est, quod prophetavit Jeremias super omnes gentes Elam, Damasci, Moab: & habebis quia prophetaverit ad omnes gentes, juxta id quod dictum est: *Prophetam in gentibus posui te*, si tamen volueris hæc de Jeremia dicta sentire. Si autem intelligentiam ad Deum transferas, iste vere in universas gentes prædicavit. Est quippe sicut [g] alia multa, sic & Propheta. Ut est princeps Sacerdotum, ut est Salvator, ut est medi-

Marginal references: Jerem. 1. 5. — Gen. 1. 26. — Gen. 2. 7. — Matt. 7. 23.

* al. præcipuum. — * al. judicavimus. — * al. superscriptio est qua.

[a] Penes Rab. *meliora*. Et pridem luxata valde erat Hieronymi scriptura, *scio quædam isto sermone mortali vix eloqui terrestribus &c.* quæ Huetius restituit.

[b] Reposuimus *ad omnes quosquunque mittam &c.* pro quo erat antea *ad omnia, ad quæcumque mittam &c.* Rabanus, tum Reg. penes Huetium mss. denique Græcus textus, πρὸς πάντας, οὓς ἐὰν ἐξαποστείλω σε, & Latinus quoque non semel supra laudatus monuerunt.

[c] Laudatus ms. & Rabanus *deferens* al. *differens*.

[d] Apud Raban. *indigentes* ad Græc. δεόμενοι.

[e] Idem *de Domino intelligas non solum antequam de vulva exiret*.

[f] Antea erat, *Si Jeremias quæris*. Raban. castigat.

[g] Ms. Reg. teste Huetio, *Est quippe sicut princeps Prophetarum, sic & Propheta*. Raban. *alia similis* pro *multa*.

medicus; similiter & Propheta est. Moyses annuntians de eo, non solum Prophetam, sed admirabilem inter cunctos nominavit Prophetam, dicens: [Deuter. 18. 15.] *Prophetam ex fratribus vestris suscitabit vobis*, [a] *Dominus Deus, quasi me audite eum. Et erit, quiquunque non audierit Prophetam illum, interibit de populo suo*. Iste est Prophetes constitutus in gentibus, & accepit gratiam a Deo effusam in labiis suis, ut non solum cum præsens aderat corpore, sed etiam nunc cum adest virtute, & spiritu, prophetet ad omnes gentes, & prophetia sua ex toto orbe attrahat homines ad salutem. [Jer. 1. 6.] *Et* [b] *dixit: Quis est dominator, Domine? Ecce nescio loqui, quia juvenis ego sum. Et dixit Dominus ad eum: Noli dicere quia juvenis ego sum, quoniam ad omnes ad quosquunque te mittam, ibis*. Sæpe diximus solere esse aliquem puerum, juxta eum qui intus est hominem, licet etiam senili corporis sit ætate: & econtrario frequenter inveniri parvulum secundum eum hominem qui extrinsecus est, & esse interius perfectum virum. Talis erat Jeremias habens jam sibi concessam a Deo gratiam in ætate corporis adhuc puerili, propter quod ait ei Dominus: *Noli dicere quia juvenis sum*. Signumque hujus rei, quia non sit juvenis, sed vir consummatus, [c] ostendit dicens: *Quoniam ad omnes ad quosquunque mittam te, ibis: & juxta quæquunque mando tibi, loqueris: nec timeas a facie eorum*. Scit enim eos sermo Dei, qui verbi legatione funguntur, incurrere ab iis periculum qui audire contemnunt. Increpati enim oderunt increpationes, coarguti insequuntur arguentes. Omne quodquunque malum est, [Marc. 6. 4.] semper patiuntur Prophetæ: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua & domo sua*. Cujus rei [d] nuper quoque fecimus mentionem. Scit ergo (ut dicere cepimus) Deus mittens Prophetam, quanta discrimina perpessurus sit, ideo exhortatur eum dicens: [Jer. 1. 8.] *Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, ut eruam te, dicit Dominus*. Quæquunque Jeremias passus est, scripta sunt: in lacum missus est luti, mansit ibi comedens panem diei, & aquam tantum bibens, aliaque multa quæ pertulit, in libro ejus continentur. *Quem autem Prophetarum non persequuti sunt patres vestri?* [Act. 7. 52.] dicit Dominus ad Judæos. Et necesse est eos qui vivere religiose in Christo cupiunt, omni genere a contrariis virtutibus, per ea quæ reperiuntur vasa, persequutionem pati. Qua de caussa nihil novum aut peregrinum videatur his, [e] qui in tribulationibus affliguntur: omnia quæ præcepta sunt faciant, tantum orent ut persequutionis caussa Christus sit: ne propter injustitiam, ne propter delicta, ne propter avaritiam deprimantur. Si quando autem propter justitiam aliquis exagitatur, audiat: *Beati estis cum exprobrant vobis, & persequuntur, & dicunt omne malum adversum vos, mei caussa: gaudete & exultate, quia merces vestra magna est in cælis. Sic enim persequuti sunt Prophetas, qui fuerant ante vos*. [Matt. 5. 11.] *Quoniam tecum sum ut eruam te, dicit Dominus. Et extendit manum suam ad me Dominus, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me*. [Jer. 1. 8. 9.] Observa differentias Jeremiæ & Isaiæ. Isaias ait: [Isa. 6. 5.] *Immunda labia habens in medio populi immunda labia habentis ego habito, & regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis*. Et quoniam confessus est non habere facta immunda, sed verba tantum (usque ad hunc enim finem peccata commiserat) non extendit Dominus manum suam, neque [f] unum ex Seraphim manu sua labia ejus tetigit, sed forcipe solum tangens ait: *Ecce abstuli iniquitates tuas*. Jeremiæ autem, quia sanctificatus fuerat in vulva, non forceps mittitur, neque de altari carbo succensus; nihil quippe habebat igne dignum, sed ipsa manus Domini tetigit

[a] Expunximus heic verbum *dixit*, tum *noster* post *Deus*: suffecimus vero, *Et erit, quiquumque* juxta Græcum textum, & Rabani lectionem.

[b] Rescribendum videtur juxta Græcum, καὶ εἶπα, ὁ ὤν. *Et dixi: qui es*. Hebraic. habet, *Et dixi A, a, a, Domine Deus &c.*

[c] Msf. Reg. penes Huetium, *ostenditur: Quoniam*.

[d] In Græco tantum est καὶ πρώην ἐμνημονεύσαμεν: legit vero Hieronymus ὃ καὶ πρώην ἐμνημονεύσαμεν, quod verum est. Non absurde crediderit aliquis Commentaria Origenis in Matthæum hic significari, in quorum XL. Tomo locus hic, qui habetur Matth. 13. 57. prolixe explanatur. Quamvis enim in Matthæum Tomos elucubrare jam sexagenario major Origenes inceperit: non prius tamen Homilias illas ad populum habuit; nam ex eo Homiliarum genere sunt, quas cum ex tempore funderet, post sexagesimum annum a Notariis in literas referri permisit, quod ante semper vetuerat. Vide Eusebium libro 6. Hist. cap. 36. Fidem quoque huic conjecturæ facit vocula, πρώην, quæ non *pridem*, ut a Corderio, sed *nuper* vertenda est, ita ut vertit Hieronymus: circa idem quippe tempus in Matthæum scripsit, & Homilias suas ex ore concionantis excipi passus est. HUETIUS.

[e] Mf. Reg, *quod his tribulationibus*: alter *qui his &c.* Idem.

[f] Græc. τὸ δὲ ἓν τῶν σεραφίμ. Legit Hieron. μηδὲ ἓν &c. *neque unum ex Seraphim*, quod verum est, & ex Isaiæ 6. 6. satis extat. Idem.

Jer. 1. 9. 10. git eum, propter quod dicit: *Extendit Dominus manum suam ad me, & tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me: Ecce dedi sermones meos in os tuum, ecce constitui te* [a] *hodie super gentes, & regna eradicare.* Qui sic beatus est, ut regna multa quæ Christo diabolus ostendit, regna dæmonum, regna peccati eradicet, [b] opus habet iis qui ei dati sunt a Deo sermonibus. Scriptum est

Jer. 1. 10. enim: *Ecce dedi sermones meos in os tuum. Ecce constitui te hodie super gentes, & regna eradicare.* Quomodo autem regna sunt plurima, plures similiter & gentes. Nec potest aliquod regnum dici, nisi quod sub se continet nationes. Verbi gratia dictum sit: regnat fornicatio (in homine peccatore) necesse est ut regnum fornicationis habeat gentes suas. Ipsum illud generale delictum avaritiæ & fraudis, quo vix aliquis immunis est, habet regnum suum, & sub regno uno multas possidet gentes, per plurimas scilicet species avaritiæ, & ob id opus est sermonibus Dei, ut istiusmodi regna cum suis gentibus evellantur. Salvator in Evan-

Matt. 15. 13. gelio ostendit dicens: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Sunt quædam intrinsecus in * animabus vestris insita, quæ non plantavit cælestis Pater. Omnes quippe cogitationes pessimæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, plantationes sunt, quas non plantavit cælestis Pater. Si autem vis scire cujus sit plantatio istiusmodi cogitatus, audi quia

Matt. 13. 25. *inimicus homo hoc fecit, qui superseminavit zizania in medio tritici.* Instat ecce Deus, instat & Zabulus habentes semina sua. Si dederimus locum Zabulo, inimicus homo superserit plantationem, * quam non plantavit cælestis Pater, utique eradicandam. Sin autem repulso Zabulo, locum dederimus Deo, gaudens Deus * super principale cordis nostri sparget semen suum. Nec aliquis existimet [c] triste quiddam Jeremiam recepisse, quia constitutus sit ad eradicationem regnorum & gentium. Bonitatis Dei istud est indicium, eradicare vitia per sermones, inimica cælestis regni regna destruere, & bellantes cum sua gente evertere nationes, eradicare, & subvertere. Est quædam ædificatio Zabuli, & est quædam ædificatio Dei: quod super arenam exstruitur, hoc Zabuli est, super nullo enim stabili, [d] robustoque solidatur. Quod autem super petram ædificatur, hoc Dei est. Unde & his qui ejus sunt, dicitur: *Dei agricultura, Dei ædificatio estis.* [e] *Super gentes & regna eradicare, & subvertere, & disperdere.* Si eradicatur aliquid, & eradicatio ipsa [f] non disperiit: adhuc permanet quod evulsum est. Si subruitur domus, & lapides in ruina sunt integri: dissipata est domus, non tamen perdita. Opus est igitur benignitate Dei, ut eradicatio ipsa & subversio tota dispereat. Diligentius lege quomodo eradicata perdantur: [g] *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et: *Ligate manipulos zizaniorum, & tradite eos igni.* Sic ea quæ sunt eradicata [h] disperduntur. Si autem vis scire quomodo dispersio redigatur in nihilum, quomodo ædificationis * pessima materia in pulverem comminuatur, domus ea quæ propter lepram destrui jubetur, cum fuerit pulvis effecta, extra civitatem projicitur, ut ne lapis quidem ex ea residuus sit, juxta quod scriptum est: *Similiter* [i] *ut lutum platearum delebo eos.* Oportet quippe penitus interire malitiam. Subversum est aliquid, lapides quoque ipsi qui destructi sunt, conterantur, ne ad * aliquam ædificationem, quam Diabolus concinnare potest, assumi valeant. Eradicatum est quippiam, invenit adversarius etiam inter ea, quæ eradicata sunt, aliquam sementem, quam iterum seminet. Propter quod jubet Dominus: *Colligite*, dicens, *& comburite ea igni*, scilicet ut eradicatio quoque Zabuli, & ipsa subversio consumma-

Marginalia: * al. *animis nostris* — 1. Cor. 3. — Matt. 3. 30. — Levit. 14. — * al. ... ma — Ps. 17. 43. — * al. *quoniam* — * al. *sub principali* — * al. ...

[a] Deerat vox *hodie*, quam Raban. & Græc. σήμερον supplent.

[b] Verba *opus habet* Rabanus ignorat, neque in Græco sunt textu, nec denique, quod Huetius opinatur, erat cur Hieronymus suppleret in Græco.

[c] Rabanus, *existimet Deum triste quiddam Jeremia præcepisse, qui constitutus &c.* Græco textu refragante.

[d] Vitiose antea erat, *super nullo enim stabilitur, abortumque non solidatur*: & in R. mss. penes Huetium, *ab istoque solidatur*, vel *ab isto quod solidetur*. Optime Rabanus lectionem monuit restituendam, *super nullo enim stabili robustoque solidatur*. Sic habet & Græcus ἐπ' οὐδενὶ γὰρ ἑστηκυίᾳ ἑδραίῳ καὶ βεβαίῳ καὶ λύομένῳ.

[e] Interserit Græcus οἱ λόγοι τοίνυν τοῦ Θεοῦ: *sermones itaque Dei*, quæ aut Hieronymus prætериit, aut, quod Huetius putat, ex ejus interpretatione temporis diuturnitas erasit. Mox voces *& regna* suffecimus ex Rabano & Græco καὶ βασιλείας.

[f] Placuit legi cum Rabano *disperiit* ad Græcum ἀπόληται, & Reg. ms. *disperiit* pro illo quod antea obtinebat *dispergitur*.

[g] Vitiose erat, *plateas* pro *paleas*.

[h] Penes Rabanum, *dispereunt*; & mox, *quomodo & subversio redigatur &c.* utrobique rectius ad Græcum.

[i] Illud *similiter* suffecimus ex Rabano & Græco ὁμοίως.

ſumatur. Verum non tantum in hoc A ſtat ſermo divinus, ut eradicet, & deſtruat, & diſperdat: eſto enim, eradicata ſint omnia in me mala, deſtructa & diſperſa ſint peſſima, quid mihi prodeſt, ſi non pro eis quæ eradicata & ſuffoſſa ſunt, meliora in me plantentur atque ædificentur? Propterea Dei verba primum faciunt, quod neceſſe eſt, eradicant, deſtruunt, perdunt, & poſt hæc ædificant, atque plantant. Obſervavimus ſemper in B Scripturis ſanctis, primum ea quæ videntur triſtia nominari, deinde ea quæ hilariora ſunt, ſecundo dici: *Ego occidam, & ego vivificabo.* [a] Non dixit (Deuter. 32. 39.) prius, Ego vivificabo, & poſtea, occidam. Impoſſibile [b] eſt enim, quod ſemel vivificavit Deus, aut ab eo ipſo, aut ab alio occidi. Sed: *Ego interficiam & ego vivificabo.* [c] Quem interficiam? Paulum proditorem, Paulum perſequutorem; & vivificabo, ut fiat Paulus C Apoſtolus Chriſti Jeſu. Hæc ſi intelligerent miſerrimi [d] hæretici, numquam ed nos deferrent, crebro iſta dicentes: Videſne Deum Legis & Prophetarum, quomodo ferus eſt & inhumanus? quomodo dicit: *Ego occidam, & ego vivificabo?* non advertentes in Scripturis annuntiationem ſuſcitationis mortuorum, non conſiderantes reſurrectionem jam cepiſſe per ſingulos: (Rom. 6. 4.) *Conſepelimur enim Chriſto per baptiſmum, & conſurgemus cum eo.* (Coloſſ. 2. 12.) A triſtibus ſemper, ſed neceſſariis D inchoat Deus, veluti: *Ego occidam, & ego vivificabo: ego percutiam, & ego ſanabo. Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit;* (Heb. 12. 6.) & poſt hæc curat. Ipſe dolorem facit, & iterum reſtituit lætitiam. Similiter & in præſenti Dominus ait: *Conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna eradicare, & ſuffodere, & diſperdere, & ædificare, & plantare.* Veruntamen primum eſt, ut mala auferantur a nobis. Non poteſt in loco ædificationis malæ ædificare Deus: *Quæ enim participatio juſtitiæ & iniquitatis? aut quæ communicatio luci ad tenebras?* (2. Cor. 6. 14.) Oportet malitiam ex imis ſedibus eradicari: oportet & ædificationem peſſimam ab * animabus noſtris penitus auferri (*al. animis), ut poſtea ſermones [e] Dei ædificent atque plantent. Poſſumus ſiquidem & aliter intelligere quæ ſcripta ſunt: *Ecce dedi ſermones meos in os tuum.* Et quid faciant ſermones dicit: *Eradicare, & ſuffodere, & diſperdere.* Sermones eradicant nationes, ſermones regna ſuffodiunt; ſed non regna iſta carnis & ſæculi, [f] digna deſtruentibus, digna eradicantibus verbis. Ea quæ eradicata & ſubverſa ſunt ſenti, putas in his quæ dicimus modo non eſt virtus quam Dominus tribuit, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Dominus dabit verba evangelizanti virtute multa?* (Pſal. 67. 12.) virtus eradicans atque ſuffodiens, ſi qua infidelitas, ſi quod mendacium, ſi qua malitia, ſi qua luxuria, ſi qua diſcordia non eſt ſuffoſſa. Sicuti idolum in corde conſtructum eſt, illo depoſito, ædificetur Templum Dei, & inve-

a Græcus ſubdit continuo, τίνα ἀποκτενῶ; παῦλον τὸν προδότην, παῦλον τὸν διώκτην. καὶ ζῆν ποιήσω, ἵνα γένηται παῦλος ἀπόστολος &c. ideſt, *quem occidam? Paulum proditorem, Paulum perſequutorem: & vivere faciam, ut fiat Paulus Apoſtolus &c.* Ut plane videas, non longius recedere arbitratu ſuo Hieronymum; ſed ab eo, qui nunc ſuperat, Græco textu, eorumdem verborum καὶ ζῆν ποιήσω occurſu, intermedia, quæ S. Doctor interpretatus eſt, excidiſſe.

b Quod hic habet Hieronymus: *Impoſſibile eſſe quod ſemel vivificavit Deus, aut ab eo ipſo, aut ab alio occidi*, ſic interpretator, eum qui vitæ æternæ particeps a Deo factus eſt, tam firmis a Deo foveri auxiliis, ut eam nequaquam poſſit amittere. Interptetationem noſtram ſequentia confirmant, in quibus ad reſurrectionem mortuorum iſta referuntur. Quomodo autem in futura vita Beati a lapſu contineantur, ſic tradit ipſe Origenes lib. 5. in Epiſt. ad Rom. *Quid autem ſit quod in futuris ſæculis teneat arbitrii libertatem, ne rurſum corruat in peccatum, brevi nos ſermone Apoſtolus docet dicens: Caritas numquam cadit. Idcirco enim & fide, & ſpe major caritas dicitur, quia ſola erit, per quam delinqui ultra non poterit. Si enim in id anima perfectionis aſcenderit, ut ex toto corde ſuo, & ex tota anima ſua, & ex totis viribus ſuis diligat Deum, & proximum ſuum tamquam ſeipſam, ubi erit peccati locus?* Et paulo poſt: *Et ideo merito caritas, quæ ſola omnium maxima eſt, omnem creaturam continebit a lapſu, tunc cum erit Deus omnia in omnibus.* HUETIUS.

c Tota iſtæc pericope, *quem interficiam? Paulum proditorem, Paulum perſequutorem, & vivificabo*, cum magno ſenſus diſpendio deerat, noſque primum ex Rabano ſuffecimus. Oſtendimus autem ſupetiori nota a totidem haberi in Græco verbis. τίνα ἀποκτενῶ; παῦλον τὸν προδότην, παῦλον τὸν διώκτην, καὶ ζῆν ποιήσω: quæ cum in Latinis Hieronymi codd. Huetius non inveniſſet, ab Origeniano exemplari Hieronymum longius exſpatiari dixit.

d Baſilidianos, Valentinianos, Cerdonianos, Marcioniſtas, alioſque ejus farinæ hæreticos ſuggillat. Origenes in Matth. 19. ζητήσεις δὲ πῶς τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ πνεῖ καὶ τὰ μὴ νοούμενα ὑπὸ τῶν τὸ ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς συκοφαντούντων τὸν τοῦ νόμου θεὸν καὶ κατηγορούντων αὐτοῦ. ἃ οὐδὲ περὶ ἀνθρώπου τάχα λέγειν εὔκολόν ἐστι. πείθομαι γὰρ θεοῦ ἀγαθότητος πνεῖν καὶ τό. ἐγὼ ἀποκτενῶ, οὐκ ἔλαττον τοῦ. καὶ ζῆν ποιήσω. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ πατάξω, οὐκ ἧττον τοῦ. κἀγὼ ἰάσομαι: *Quæres autem quomodo bonitatem illius ea etiam ſpirent, quæ ab iis minime intelliguntur, qui Deum Legis, quantum in ſe eſt, calumniantur, eumque hoc criminantur nomine, quo ne hominem quidem reprehendere promtum foret. Sic enim animum meum induco, non minus id Dei bonitatem ſignificare: Ego occidam; atque illud: Et ego vivere faciam: item & hoc: Percutiam, haud ſecus ac: Et ego ſanabo.* Idem Homil. 17. in Luc. *Ajunt enim* (Valentiniani) *Ecce Deus legis & Prophetarum, videte qualis ſit. Ego, inquit, occidam, vivere faciam; percutiam, & ego ſanabo; & non eſt qui eruat de manibus meis. Audiunt: Occidam, & non audiunt: Vivificabo. Audiunt: Percutiam, & audire contemnunt: Et ego ſanabo. Iſtiuſmodi occaſionibus Creatorem calumniantur.* HUETIUS.

e Vitioſe aberat vox *Dei*, quam ex Rabano Græcoque textu, οἱ λόγοι τοῦ θεοῦ οἰκοδομηθῶσιν, ſuffecimus.

f Regii mſs. penes Huetium, *digne deſtruentibus. digne eradicantibus.*

niatur gloria ejus in eo, & fiat non infertilis, sive locus exsurgens, sed plantatio Paradisi, ubi Templum Dei sit in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA SECUNDA

De eo quod scriptum est: *Fugite de medio Babylonis.* Jerem. LI. 6.

QUomodo corpus nostrum in aliquo terræ loco consistit, eodem modo & anima secundum statum suum in aliquo [a] nuncupativo terræ loco est. Quod dico, sic fiet manifestius. Corpus nostrum aut in Ægypto est, aut in Babylone, aut in Palæstina, aut in Syria, aut certe ubiquumque. Similiter & anima in aliquo ejusdem [b] terræ nominis loco est, alia in Babylone, alia in Ægypto, alia in Ammanitarum regione: & sic * segregatim secundum sententiam Scripturarum, pro qualitate vitæ locorum diversitate [c] distinguitur. In Babylone est, quando confunditur, quando turbatur, quando, pace deserta, bella * sustinet passionum, quando tumultus malitiæ circa eam fremit, tunc ut diximus, in Babylone est. Et ad istam animam prophetalis sermo dirigitur, dicens: *Fugite de medio Babylonis, & resalvate unusquisque animam suam.* Donec enim quis in Babylone est, salvari non potest. Quod [d] etsi recordatus ibi fuerit Jerusalem, ingemiscit & dicit: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Et quia impossibile est in Babylone constitutos Deo organis canere, otiosa quippe ibi sunt organa hymnorum Dei, * propterea dicitur per Prophetam: *Super flumina Babylonis * illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui, Sion: in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Suspensa sunt organa nostra, quamdiu in Babylone sumus in salicibus fluminum Babylonum. Si autem venerimus in Jerusalem, in locum visionis & pacis, organa, quæ ante otiosa pendebant, tunc assumuntur in manibus, tunc jugiter [e] citharizamus, & non est tempus, quando non laudemus Deum per organa, quæ habemus in manibus. Igitur ut dicere ceperamus, semper anima in aliquo nuncupativo terræ loco est: & sicut peccatores in Babylone, sic econtrario justi in Judæa. Veruntamen juxta qualitatem vitæ & fidei, & in ipsa Judæa locis inter se variis separantur. Sive enim in Dan est, quæ extremæ Judææ partes sunt, sive in superioribus paululum locis, melioribusque quam Dan, sive in mediis finibus Judææ, sive circa Jerusalem: & est omnium beatissima, quæ in media Jerusalem urbe consistit. Qui vero peccator est, & * nimiis sceleribus oppressus, hic in Babylone est. Hoc autem modico minor, & necdum usque ad summum peccatorum culmen ascendens, in Ægypto & in partibus Ægypti commoratur. Et sicut qui in Judæa sunt non æqualia cuncti possident loca: alius quippe in Jerusalem est, & alius in Dan, alius in Nephtalim, alius in finibus Gad: sic [f] omnes, qui in Ægypto sunt, non æquales Ægypti partes incolunt; alius in Taphni, alius in Memphi, alius in Syene, alius in Bubasti habitat. Quæ loca Propheta Ezechiel plena mysteriis voce testatur, nomina quoque partium Ægypti exponens, de quibus si quis lector fuerat spiritualis dijudicans omnia, & ipse a nemine dijudicatus, non solum majores regiones allegorizabit, veluti Judæam, & Ægyptum & Babylonem, sed particulas quoque terræ. Et quomodo in Judæa Jerusalem, & Bethlehem, cæterasque civitates: ita in Ægypto legens Diospolim, Bubastim, Taphnim, Memphim, Syenem, pro intellectu rerum figurabit. Quis sa-

* al. *sacrata.* * al. *sustinent* Psal. 136. * al. *propter eam* * al. *ibi* * al. [illegible]

[a] Hoc vocabulo & paulo post utitur. Quare quod diximus in Præfatione Tomi quarti, ubi de Interprete Homiliarum in Isaiam, nusquam illud in Hieronymi scriptis inveniri, rescindi uno atque altero exemplo cupimus.

[b] Elegantius penes Raban. *ejusdem cum terra nominis.*

[c] Antea erat *locorum diversitates distinguuntur.* Melior quam reponimus Rabani est lectio, *diversitate distinguitur*: idest *anima*, ad quam sensum referri liquet.

[d] Apud Raban. *Qui etiam recordatus ubi fuerit Jerusalem.*

[e] Idem, *tunc jugiter psallimus, tunc continuatim citharizamus.*

[f] Idem, *sic cum in Ægypto omnes sint, non &c.*

sapiens & intelligit ista? aut quis intelligens & cognoscit ea? Quis saltem in tenuiori sensu constitutus cognoscere poterit voluntatem quam Spiritus sanctus habet literæ? Verum nunc aliud propositum est, quid his, qui in Babylone sunt, Dei * sermone præcipiatur: *Fugite de medio Babylonis*. Nec gradatim, non pedetentim, sed cum velocitate, cum cursu fugite; hoc est enim fugere: *Fugite de medio Babylonis*. Quicumque confusam habetis animam a variorum passione vitiorum, ad vos dirigitur sermo: & mihi quoque idipsum jubetur, siquidem adhuc sum in confusione [a] inveteratus, & ideo in Babylone sum. Quid ergo præcipit Deus? Non dixit, exite de medio Babylonis; hoc enim potest fieri & gradatim; sed: *Fugite de medio Babylonis*. Ego [b] quidem & in eo, quod dicitur *de medio*, rationem quæro sermonis. Potest quippe evenire, ut aliquis in Babylone sit; sed cum in extremis ejus finibus commoretur, quodammodo extra Babylonem esse videatur. Aliud autem est in medietate Babylonis consistere, ut ex omni parte æquale sit spatium, & ita in umbilico ejus, quasi in medio cordis animalis, habitet. Sicuti enim animalis medietas cor est, & in Evangelio secundum Lucam, *cor terræ* medietas terræ nominatur: sic mihi videtur, & in Ezechiele dictum, in corde maris posita Tyrus, & nunc peccatores de medio Babylonis, hoc est de corde ejus fugere debere. Fugite ergo de medio Babylonis, ut [c] medietatem Babylonis deserentes, in finibus ejus incipiatis esse, non in medio. Quod si cui videtur obscurum; sic fiet manifestius: quia qui valde demersus est in vitiis, hic medius [d] habitator est. Qui vero paulatim relinquens malum, & naturam suam ad meliora convertens, non tam ceperit virtutes possidere, quam cupere, iste licet ex medio fugerit Babylonis, tamen necdum de Babylone discessit. Secundum istiusmodi expositiones * decet sacras Literas credere, ne unum quidem apicem habere vacuum sapientia Dei. Qui enim mihi homini * præcipit, dicens: *Non apparebis ante conspectum meum vacuus*, multo plus hoc ipse agit, ne aliquid vacuum loquatur. Ex plenitudine ejus accipientes Prophetæ ea, quæ erant de plenitudine sumta, cecinerunt, & idcirco [e] sacra Volumina spiritus plenitudine spirant, nihilque est, sive in Prophetis, sive in Lege, sive in Evangelio, sive in Apostolo, quod non a plenitudine divinæ majestatis descendat. Quamobrem [f] spirant in Scripturis sanctis hodieque plenitudinis verba. Spirant autem his, qui habent & oculos ad videnda cælestia, & aures ad audienda divina, & nares ad ea, quæ sunt plenitudinis sentienda. Hæc dixi, quia non sit simpliciter positum: Fugite de Babylone, sed cum additamento necessario: *Fugite de medio Babylonis, & resalvate unusquisque animam suam*. Primum oportet fugere de medio Babylonis, deinde singulos animas suas resalvare, cum fugerint. Neque vero dixit salvate, sed resalvate. Appositio syllabæ significat sacramentum. Quia quondam gustantes salutem, & de ea propter peccata postea corruentes, * venerunt ad Babylonem. Cujus rei caussa oportet [g] resalvare animam suam, ut incipiat recuperare quod perdidit, secundum Apostolum Petrum dicentem ita: [h] *Reportabimus finem fidei salutem, de qua salute exquisierunt, & scrutati sunt Prophetæ, qui propter nostram prophetaverunt gratiam*. Veruntamen in nobis est fugere de Babylone, & in nostra positum est potestate, si velimus resuscitare quod corruit. Tertium mandatum est: *Et neque projiciamini in iniquitatem ejus*. Cum quis [i] fugerit injustitiam Babylonis, & non egerit pœnitentiam, tunc consequens est ut projiciatur. Observa vero Scripturam, quomodo licet ex Hebræa lingua, in Græcam sit translata, nihilominus quantum recipere potest differentias verborum, significanter expresserit. Dicit quippe in alio loco: *Elegi abjectus esse in domo Domini*, & non ait projectus. In præsenti autem non posuit, & ne abjiciamini in injustitiam ejus, sed, *Ne projiciamini in injustitiam ejus*. Aliud

Marginal notes: * al. sermo præcipiat. — Luc. 17. — Ezech. 26. — * al. docere — * al. præcepit. — Deut. 16. Exod. 23. — * al. venimus in — 1. Pet. 1. — Psal. 83.

[a] Raban. in confusione sum mentis.
[b] Idem, Ergo & in eo &c.
[c] Raban. ut in medietate Babylonis &c. scilicet esse.
[d] Interserit Rabanus Babylonis nomen, rectius.
[e] Idem idcirco semper sacra volumina spiritum plenitudinis spirantia.
[f] Idem, Quamobrem spirant hodie, quæ in sanctis Scripturis sunt, plenitudinis verba.
[g] Idem, oportet unumquemque salvare &c.
[h] Vitiose erat, dicentem. Ista reportavimus finem &c.
[i] Raban. Cum quis fuerit injustitia Babylonis &c.

est enim projici, aliud abjici. Quod enim in despectione est, & neglectu, hoc non projicitur, sed abjicitur. Quod vero foris [a] est a salute, & beatitudine alienum, hoc projicitur. Quod & in alio loco declarat Scriptura divina dicens: *Duces populi mei projicientur ex* [b] *domo deliciarum suarum, propter pessimas voluntates suas. Cleri enim eorum non proderunt eis.* Sed & tu ipse poteris congregare, sicubi in Scripturis projectionis, & abjectionis nomen inveneris, ut ex comparatione verborum, magis possis confidens ferre sententiam. Quia dispensatio providentiæ etiamsi non magnopere curavit, ut disertitudinem, quæ in Græco sermone laudatur, Græce interpretando sequeretur: curavit tamen ea quæ significantia sunt exhibere, & differentiam eorum explanare dilucide his, qui Scripturas diligentissime perscrutantur. *Ne projiciamini in iniquitatem Babylonis, quia tempus vindictæ ejus est a Domino.* Miro sensu supplicia dicit irrogari propter ejus qui ea patitur ultionem. Quando enim quis non vindicatur, & relinquitur impunitus, frequenter me dixisse memini id quod in duodecim Prophetis scriptum est: *Et non visitabo super filias vestras, quando fornicantur, & super nurus vestras, quando* * *adulterantur.* Non ergo ut quidam existimant, Deus peccatores punit iratus; sed si sic expedit loqui, magna ira est, a Deo tormenta non perpeti. Qui enim punitur, etiamsi ab ea quæ vocatur ira Dei corripitur, ad hoc punitur, ut emendetur. *Domine*, ait David, *ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Sed etiamsi argues, argue nos in judicio, & non in furore, dixit Jeremias. Invenies autem etiam ex repromissione Dei in quosdam correptionem dari. Ideo cum peccantibus Christi filiis, pœna promittitur, * misericordia non denegatur, ut scriptum est: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint: si justitias meas prophanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* Ista considerans, vide quomodo necdum pœna dignus sit, qui usque ad præsens tempus committit scelera, nec punitur. Visitatio quippe Dei per visitati tormenta monstratur; qui autem peccans corripitur, nescio quid ei excurrat * pro pœna. Hæc propter hoc, quod dictum est, *Quia tempus vindictæ ejus a Domino est.* Sequitur: *Retributionem ipse retribuet ei.* Non per ministros retribuet Babyloni Deus, sed ipse retribuet, quod meretur. Volo quiddam dicere in additamento pronominis in eo, quod scribitur, *ipse*; ait enim: *Retributionem ipse retribuet ei.* Non omnibus Deus ipse retribuet quod merentur, sed sunt quidam, quibus per alios restituit, sive puniens, sive medicans per dolorem, ut in Psalmis continetur: *Misit in eos iram indignationis suæ, furorem, & iram, & angustiam, immissionem per angelos pessimos.* His enim non ipse restituit, sed ad retributionem illorum ministris usus est angelis pessimis: & aliis forsitan non per malos reddit, sed per bonos, ut in eis, qui pro sceleribus puniuntur. Multaque [c] istiusmodi, si Scripturas scruteris, invenies. Est autem quando, ministrorum [d] officio refutato, retributionem Deus ipse restituit, ut nunc Babyloni. Timeo quiddam obscuri in loco manifesto interponere, quod mihi videtur latere si taceam. Veruntamen audendum est saltem pauca perstringere. Quando sunt vulnera facilia, & promta * curatio, medicus mittit servum suum, mittit discipulum, * ut per eum languentem * medicetur: neque enim magna sunt vulnera. Evenit quoque aliquoties, ut sectionis, & ferri indigeat, qui sanatur: attamen non ipse medicus pergit ad * eum; sed eligens unum ex discipulis, qui curare valeat, eo utitur ministro. Quando vero insanabiles plagæ sunt, ut, & [e] emortua carne, putredo contabuerit, & intantum mala valetudo est, ut non servi, vel discipuli, qui jam prope eum per scientiam artis * accesserunt, sed ipsius magistri manibus indigeat, tunc ipse [f] magnus me-

Mich. 2. 9.
Osea 6.
* al. adulterant,
Psal. 9.
Jer. 2.
* al. cum in eo.
* al. ne misericordia denegetur.
Psal. 89.
al. ex.
Psal. 77.
* al. curationi.
* al. &
* al. medicatur.
* al. cursum.
* al. accessit.

a Raban. *foris penitus a salute.*

b Sic ex eodem restituimus & Græco textu ἐκ τῶν οἰκιῶν τρυφῆς αὐτῶν. Antea corrupte legebatur *ex domicilio rerum suarum.*

c Antea *Multaque similia istiusmodi per Scripturas si scruteris &c.*

d Erat, *officium refutatur.*

e Raban. *& in emortua carne alta putredo contabuit.*

f Idem *ipse manibus medicus.*

medicus præcinctus lumbos, ad sectionem teterrimi vulneris concitatur. Similiter itaque quando sunt minora peccata, non restituit Deus ipse peccantibus, sed aliis utitur ministris. Quando vero per merita sua ingens hominem ægritudo comprehendit, ut nunc Babylonem, quæ gravibus propriæ malitiæ est [a] confossa vulneribus: tunc ad retributionem Deus ipse festinat. Similia quædam huic si requiris invenies & de Jerusalem, quæ ei acciderunt post Prophetas, ob id, quia insidiata sit Christo. Sic finita est primi capituli continentia. Videamus & cætera: *Calix aureus Babylon in manu* * *Dei inebrians omnem terram. De vino ejus biberunt* * *gentes, propter hoc commotæ sunt gentes, & subito cecidit Babylon, & contrita est.* Nabuchodonosor volens decipere homines, per calicem Babylonis dolosum, non miscuit in vase fictili, [b] quod parabat potari, sed neque in paulo meliore, & æreo vase, vel stanneo, & quod ista præcellit argenteo: verum eligens vas aureum, in eo poculum temperavit, ut quis videns decorem auri, dum radiantis metalli pulchritudine delectatur, & totus oculis hæret in specie, non consideret quid intrinsecus latitet, & accipiens calicem, bibat nesciens calicem Nabuchodonosor. [c] Intelliges autem calicem aureum in præsenti nominatum, si animadvertas pessimorum dogmatum verba mortifera qualem habeant compositionem sermonum, qualem decorem eloquentiæ, qualem rerum divisionem: & cognosces quomodo unusquisque Poetarum, qui putantur apud vos disertissimi, calicem aureum temperaverit, & in calicem aureum venenum injecerit idololatriæ, & venenum turpiloquii, venenum eorum, quæ animam hominis interimunt dogmatum, venenum falsi nominis scientiæ. Sed meus Jesus contra fecit, sciens aureum calicem Zabuli, & præcavens ne aliquis ad fidem suam veniens, suspicaretur etiam Christi talem esse calicem, qualem esse [d] requirat, & per similitudinem materiæ formidaret errorem: ideo curavit, ut haberemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Sæpe vidi aureum calicem in pulchro sermonis ornatu, & dogmatum venena considerans, deprehendi calicem Babylonis. *Calix aureus Babylon in manu Dei.* Non semper calix aureus Babylon. Cum autem venerit ad vindictam, & in manu Dei posita fuerit, tunc efficitur terra, quæ quondam tacta est in * Jubath. Neque vero jugiter in manu Dei continetur, sed ultionis tantum tempore, cum cœperit Dominus ei restituere quod meretur: tunc in manu ejus [e] inebrians omnem terram iste calix aureus Babylon inebriabit. Quomodo autem universam terram * inebriabit, facile scies, si consideraveris omnes homines ebrios. Inebriamur ira, inebriamur tristitia, inebriamur [f] mente, excedimus amore, concupiscentiis, & vanagloria. Quanta pocula temperaverit, quot [g] inebriantes porrexerit calices calix iste, quid necesse est dicere? *Calix aureus, Babylon, inebrians omnem terram.* Animadverte omnem terram plenam esse peccatis, & non quæres quomodo Babylon omnem terram inebriaverit. Sed si forte [h] videris justum, ebrium non esse de calice peccatorum, noli putare Scripturam esse mentitam, quæ dixerit: inebrians omnem terram, cum iste non inebrietur a Babylone, & tamen consistat in terra. Audi quia justus non sit * terra: Omnem terram inebriat calix iste aureus. Justus vero cum sit super terram, conversationem in cælis habet. Et propter hoc non convenit ulterius justo dici: *Terra es, & in terram ibis.* Sed [i] si necesse est audenter loqui, dicit justo Deus adhuc consistenti super terram: Cælum es, & in cælum ibis. Portat enim imaginem cælestis. Igitur ut concludam, calix aureus inebriat omnem terram, id est, omnes ab eo inebriamur quandiu terra sumus. * *De vino ejus biberunt gentes, propter hoc commotæ sunt.* Sicut in his, qui bibunt istum, qui in usu est, vini liquorem, si super sitim, & super mensuram biberint, videmus ebrii [k] corporis motum, vacillantes pedes, caput ac tempora

Jerem. 15.
* al. Domini.
* al. omnes gentes
* al. Job
* al. inebriaverit
* al. in terra.
Gen. 3.
* al. A

a Corrupte antea legebatur *confusa*.
b Rab. *quam parabat potionem*: tum rectius & plenius, in *paululum meliore, ferreo scilicet & æreo vase &c.*
c Subsequentem periodum pluribus locis misere deformatam, sensuque laborantem ad Rabanicam lectionem exegimus, ac restituimus.
d Penes Raban. *qualem reliquerit*, sed neutra satis arridet lectio.
e Plenius apud Raban. *in manu ejus fiet inebrians omnem terram. Iste calix aureus Babylon inebriavit omnem terram.*
f Apud eumdem, *inebriamur, & mente excidimus amore, concupiscentiis &c.*
g Item, *quot ebrietatis porrexerit calices.*
h Perperam Vulgati addunt *te*.
i *Si* voculam Rabanus sufficit. Sunt vero ejusmodi multa, quæ, Lectore non admonito, restituimus.
k Lectum antea *corpus motum*.

pora prægravata, os dissolutum, linguam significantem sermones ebrii, & hærentibus labiis verba præcisa: similiter est videre eos, qui de calice aureo biberint Babylonis, quomodo moveantur, quomodo instabiles gressu sint, quomodo debilitata mente, & fluctuante * cogitatu nihil * firme teneant, sed semper in turbationibus agantur incerti. Quamobrem Scriptura divina de istiusmodi hominibus in alio loco ita ait: *Propterea commoti sunt*. Interponamus aliquid mysterii, quid de peccatore dicatur Cain. Cum egressus est a facie Dei, habitavit in terra Naid, contra Edem. Naid in Græca lingua interpretatur *commotio*. Qui enim derelinquit Deum, qui deserit sensum de eo jugiter cogitandi, iste in terra Naid hodieque habitat, id est, in tribulatione mali cordis, & mentis commotione consistit. *Biberunt gentes, propterea commotæ sunt, & subito cecidit Babylon, & contrita est*. Quando dicit repente cecidit Babylon, videtur mihi prophetizare consummationem mundi subito futuram. * Quomodo enim diebus diluvii comedebant, & bibebant, emebant, & vendebant, plantabant, & ædificabant, donec * venit diluvium, & tulit omnes, & subito venit inundatio: similiter autem, & in diebus Loth, sic & consummatio mundi non per partes fiet, sed repente. Huic conferendum * existimato, id quod scriptum est in Jesu Nave, quando a voce sola tubæ, Jerico civitas corruens subito disperiit: & juxta hanc similitudinem Babylonem quoque in consummatione sæculi casuram esse, & subito conterendam, & hæc quidem de consummatione dicta sunt. Si vero veneris ad adventum Domini mei Jesu Christi, & videris ejus magnum opus, quomodo subverterit omnia gentium de idolis dogmata, ut credentes de erroris eximeret jugo, intelliges quia in tempore passionis ejus Babylon extemplo corruit, & contrita est. Unusquisque nostrum consideret seipsum, & animadvertat Babylonem in suo pectore corruisse. Si autem & in alicujus corde non cecidit civitas confusionis, huic Christus necdum advenit. Veniente quippe eo, Babylon ruere consuevit. Propter hoc ad orationum præsidia confugientes, petite ut veniat Jesus in corda vestra, & conterat Babylonem & faciat ruere omnem malitiam ejus, & reædificet pro his, quæ subversa sunt, & pro Babylone, quæ fuerat ante constructa, in ipso principali cordis * vestri Jerusalem civitatem sanctam Dei. *Plangite eam, & accipite resinam correptionis ejus, si quo modo sanabitur*. Plangite ait Babylonem. Deinde quia omnis anima recipere potest salutem, & neque una apud Deum est insanabilis, idcirco consilium dat his, qui possunt * transmigrare in Jerusalem * ad testimonium habere resinam ad emplastra facienda, ut assumant medicamina, & quanto valent studio, sanitati restituant Babylonem. Hoc experiamur & nos facere, deprecantes Deum, ut de nobis resinam * rationabilem, & de rationabili resina discamus ei malagma imponere, & oleum, & alligaturas, & imponentes alligemus vulnera Babylonis imitantes Samaritanum, * & sanetur misera civitas, & curata desinat esse quod fuerat. Istud est, quod ait * accipere resinam correptionis ejus si quomodo sanabitur. Ubi sunt hæretici? ubi sunt, qui naturas quasdam introducentes, asserunt esse * naturam desperabilem, quæ penitus non recipiat salutem? si est natura, quæ pereat, quæ alia talis erit ut Babylon? Attamen neque istam despicit Deus. Præcipit enim medicis Deus, ut recipiant resinam super Babylonem, si quomodo sanetur. Quidam igitur eorum, qui mandatum acceperant, accipientes resinam * correptioni Babylonis, si quomodo sanetur, fecerunt quod fuerat imperatum, * repererunt resinam ad * correptionem ejus, audientes posse fieri, ut Babylon reciperet sanitatem. Et quia quod putaverunt non * effecerunt, Babylon quippe in * pristina malitia perseverans, noluit se curari, satisfaciunt boni medici, & dicunt: *Curavimus Babylonem, & non est sanata. Relinquamus eam*. Vide autem, homo, ne quando angelis præcipiat Deus, ut ad languorem animæ tuæ medicaminum emplastra conficiant, si quomodo possis ab ægrotatione sanari, & respondeant angeli: Curavimus Babylonem, istam ostendentes a passionibus confusam animam * suam, & non est sanata. Non scientiam artis suæ, neque resinæ vim criminantur: sed te, qui præceptis eorum obsequi noluisti, dicentes: *Curavimus Babylonem, & non est sanata. Relinquamus eam*. Steterunt medici sub magno

Marginal notes: * al. conatu. * al. firmiter. Gen. 4. Luc. 17. * al. Quando. * al. veniret. * al. æstimo. Josue 7. * al. nostri * al. transmigrationis * al. & testimonii. * al. rationalem. * al. ut * al. accipe * al. materiam. * al. correptioni. * al. acceperunt. * al. correptionem. * al. reperierunt. * al. proposita. * al. suam

magno medico angeli Dei, volentes curare imbecillitates nostras, volentes animam liberare de vitiis, sed nos ipsi repellimus eos, dum consiliis eorum non aquiescimus. Vident se operam perdere, cum loquuntur invicem, & dicunt: *Relinquamus eam, & abeamus unusquisque in terram suam.* Hoc est, credita nobis est a Deo medicina, ut animam curaremus humanam: adhibuimus adjutorium, * medicinam imposuimus: multum contumax est, non vult observare, quod dicimus, studium nostrum non sequitur effectus. *Relinquamus eam, & abeamus unusquisque in terram suam*, id est, [a] domesticum locum, & proprium. Cave, homo, nequando relinquat te medicus, sive angelus Dei, sive quiquumque hominum, cui credita est cura sermonum ad salutis * medicinam deferendam. Si enim te dereliquerint & dixerint: *Abeamus unusquisque in terram suam, quia appropinquavit in cælum judicium ejus.* Manifestum est quia abscessio eorum condemnatio tua sit, ut irremediabilis, nolentisque curari. Cum autem te * deseruerint, quid tibi aliud eventurum est, nisi quod solet his accidere, qui a medicis desperantur, utentes voluntate morbi sui, ut ad pejora demergantur? [b] Fiunt his similia & in consuetudine istius vitæ a prudentibus medicis. Accedit aliquis eorum ad languentem, quantum ars patitur, & industria [c] medicinæ non cessat: sed si aut ægritudo tanta sit, ut repugnet curationi, aut ipse invalidus per impatientiam doloris contra faciat quam jubetur, relinquit medicus, * desperans hujusmodi hominem, & recedit ne inter manus suas exspirans, caussam interitus ejus ad se retorqueat. Si ergo & nos, ne in Sanctorum angelorum manibus, qui ad nos curandos a Domino destinati sunt, moriamur, relinquunt nos desperantes animam nostram, & ajunt: *Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas, quia appropinquavit in cælum judicium ejus. Et elevatum est usque ad astra.* Qui parvum habet peccatum, non usque ad cælum & sidera judicium * suum effert. Pusillum enim & humile est. Qui vero crescit in scelere, crescit & in judicio, simulque cum vitiis augetur & pœna: & quia intantum * delinquit, ut judicium ejus usque ad cælestia sublevetur, & per impietatem suam resistens Deo ad superiora conscendat, profert Deus judicium suum in [d] humiliationem ejus judicii, quod celatum est a peccatore, & proferens judicium suum, humiliat quidem peccatorem, retribuit autem justo digna vitæ ejus in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

* al. medicamina.

* al. medicamina deferenda.

* al. deseruerunt.

* al. desperat.

* al. ejus affertur.

* al. deliquit.

HOMILIA TERTIA

De eo quod scriptum est: *Et contritus malleus universæ terræ.* Jerem. L. 23.

Quomodo, ait, *confractus, & contritus est malleus universæ terræ? quomodo facta est in exterminium Babylon?* Quærendum [e] inter hæc quis sit malleus universæ terræ, quæve ejus contritio: unde ait Propheta, quia ante confractus est quam contritus, ut congregantes ea, quæ alicubi de malleo scripta sunt, cum invenerimus nomen ejus, investigemus etiam nominis voluntatem ex his, quæ afferimus exemplis. Domus quondam componebatur Dei, juxta tertium Regnorum librum, & Salomon erat construens, & ædificans eam. Ubique quasi in laude dicitur de domo Dei, quia malleus & securis non sunt audita in domo Dei. Ergo quomodo malleus non auditur in domo Dei: sic quia domus Dei Ecclesia est, malleus in Ecclesia non auditur. Quis est iste malleus volens quantum in se est impedire lapides ædificationis Templi, ut contriti non conveniant fundamentis ejus? Vide [f] nunc Za-

3. Reg. 6.

[a] Penes Raban. *domesticum & proprium negotium: Cave.*
[b] Antea erat, *Sic & his similiter in &c.*
[c] Legebatur antea *medicamina non cessant.*
[d] Apud Raban. *in humiliatione ejus judicii, quod exaltatum est a peccato, & perferens judicium suum humiliat quidem peccatum, retribuit autem justo digna vita ejus &c.*
[e] Penes Raban. *Quærendum igitur quis sit spiritaliter malleus universa terra, quave ejus contritio prophetata.*
[f] Emendamus ex Rabano *nunc*, pro quo erat *mihi*.

Zabulum, si non ipse est malleus universæ terræ. Ego autem pronuntiabo confidens, esse aliquem, qui non magnopere curet de malleo universæ terræ. Et quoniam exemplum [a] assumtum est de sensibili malleo, quæro materiam malleo fortiorem, quæ nihil ab eo percussa patiatur. Quam quidem quærens * reperi in eo quod scriptum est: *Ecce vir stans super muros adamantinos, & in manu ejus adamas.* Refert autem de adamante historia, quia fortior sit omni cædenti se malleo, incontritus & inconvincibilis * permanens. Licet supra stet malleus Zabulus, & suppositus sit draco, qui est quasi incus indomabilis, nihil tamen in manu Dei, & in conspectu ejus consistens adamas perpetitur. Duo itaque contraria sunt adamanti isti malleus, & incus improducibilis. Jam quoddam est & apud nationes tritum vulgi sermone proverbium, ut de his, qui anxietatibus, & ingentibus malis premuntur, dicant: Inter malleum sunt & incudem. Tu autem hoc refers ad Zabulum & draconem, qui istiusmodi semper in Scripturis pro varietate caussarum nominibus insigniuntur: & dicis quia sanctus qui quasi murus adamantinus, vel in manu Domini adamas est, non curet neque de malleo, neque de incude; sed quanto plus cæsus fuerit, tanto plus ejus virtutem splendescere. Ajunt eos, qui mercimonia lapidum exercent, cum voluerint probare adamantem, ignorantes utrum sit adamas, an non sit, quandiu malleum & incudem non invenerint; tunc autem persuaderi esse verissimum adamantem, si indomitus lapis, * si inter incudem & malleum perseverat, si, percutiente desuper malleo, & incude supposita, durior lapidum natura compingit. [b] Talis vir est ante tentationes, ab his probare lapides nesciunt, ignoratur. Certissime autem novit adamantinorum lapidum naturam solus Deus plurimis ignoratam. Ego ipse adhuc nescio utrum, veniente malleo, & percutiente me, confringar, & conterar, convictus, quia non sum adamas, an certe verus adamas ostendar, si ingruentibus persequutionibus, periculis, tentationibus, tam contritus fuero ad ictus mallei, quam probatus. Et tu ipse percurre Scripturas, & quæres, si quod potes invenire vestigium, bene a Deo promitti, ut malleus percutienda percutiat. Verbi gratia dictum sit (ad intelligentiam enim obscuriorum sumuntur exempla) si malleus non esset, non esset tuba productilis, quæ juxta Legem ad solennitates Dei excutiat, quæ audientium animos clangore suo accendit ad bellum. Necessarius est malleus, ut tuba productilis fiat. Multa cooperatus est iste malleus tubæ productili Paulo, ut eum per varia tentamenta produceret, & approbaret, quia illæsus posset excudi, figuramque assumere tubæ magnisonæ, non incertam dans vocem in audientes, ut præparentur ad militiæ bellum. Et quoniam malleus invenitur contraria fortitudo, & draco incus producibilis, istiusmodi semper in Scripturis malleo, vel quaquumque alia materia compositum nomen assumens, instabo sermone: Cain generavit filios, & de Cain ortus est faber æris & ferri. Ergo ut Zabulus, qui omnium tentationum operator est, malleus dicitur: ita qui ministrat, malleator est filius Cain. Quotiesquumque enim in tentatione incideris, scito malleum Zabulum esse, & malleatorem eum, per quem te Zabulus insequitur. Velut in proditione Salvatoris malleus Zabulus, malleator Judas fuit. Et multi erant malleatores in tempore illo, quo Dominus passus est, clamantes: tolle de terra talem: crucifige crucifige eum. Omnia malleatoribus plena sunt. Quotquot enim in actu suo Zabulum suscipiunt, & ministrant ei ad probandum justum, & injustum coarguendum, omnes malleatores sunt. Idcirco si heri malleator eras, & in manu malleum continebas, nunc discens, quia a Cain fratricida oriuntur malleatores, projice malleum de manu tua, & transmigra ad malleatorum, quæ spiritalis est, generationem, sicut Enos & reliquorum, qui Scripturarum laudibus efferuntur. Veruntamen finis confractio est atque contritio. Est sciendum quidem, quoniam prophetatus nunc malleus Zabulus sit, malleus non partis alicujus terræ, sed universæ terræ, pro eo quod in omni terra malitia ejus dispersa sit, & ubique

* al. reperiri.

* al. perseverans,

Dele alter. si.

a Pro *assumtum*, quod Rabani lectio substituit, manifesto antiquarii male veteres notas assequuti errore, tribus verbis erat in antea vulgatis libris, *ad Sanctum Spiritum.*

b Hæc misere luxata sunt; Græcus quoque textus qui suppetias ferat, hoc loco desideratur. Utquunque resarcias si legeris, *Talis vir est, qui ante tentationes, ut ab his qui probare &c.*

que malleus iste malum operatur. Est autem etiam hoc dicendum, Zabulum universæ terræ malleum esse, non cæli malleum. Neque enin tenujori substantiæ convenit malleus, sed crassiori. Si portas imaginem terreni, malleus te, quia terrenus es, percutit; si peccas, & terra es, & in terram ibis, experieris malleum universæ terræ & in te operantem. Juxta istum intellectum, illud quoque animadvertendum est, universæ terræ malleum, quia adversum cuncta terrena potentiam suam exerceat, Zabulum esse: posse autem etiam minorem malleum intelligi, qui non universæ terræ sit malleus, sed illius, ut ita dicam, & illius partis terræ. Et siquidem una aliqua contraria fortitudo mihi repugnat, & colluctatur mecum, non valens cum universis simul hominibus congredi, ut Zabulus: tunc est quidem malleus in me, sed non universæ terræ malleus; verum, ut ita dicam, meæ tantum malleus terræ. Confracto autem & contrito malleo universæ terræ, quid necesse est arbitrari de malleo partium terræ? Simulque existimo admiratione dignum, quoniam universæ terræ malleus sit comminutus. Quid enim magnum, si fractus fuisset, & contritus malleus partium terræ? Sed vere nunc admirandum est, quia universæ terræ malleus confractus, atque contritus est. Post hæc quæro quis sit iste, qui universæ terræ malleum confregerit, & contriverit: & dicam Moysen non potuisse confringere atque conterere malleum universæ terræ, neque ante eum Abraam, neque post eum Jesum Nave, neque alium quemquam Prophetarum. Quis ergo potuit talem, tantumque [a] malleum universæ terræ confringere, & conterere? Quis est iste? Jesus Christus confregit, atque contrivit malleum universæ terræ. Et hoc nunc admirans in Spiritu Sancto prophetes ait: *Quomodo confractus, & contritus est malleus universæ terræ?* Primo confractus [b] est, deinde contritus. Et quoniam reperi Salvatorem esse, qui confregerit malleum universæ terræ & contriverit eum, veniam ad Evangelium, ut videam primam] tentationem, quando dixit ei Zabulus:

A *Ista omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*, & reliqua: & dicam, quia in illo tempore non * contrivit Jesus malleum universæ terræ, sed tantum confregit eum. Cum vero * recessit ab eo usque ad tempus, & tempore postea venit istante, tunc contritus est, non solum confractus ut primum, malleus universæ terræ. Et quia contritus est, qui fuerat ante confractus, malleus universæ terræ, idcirco per unumB quenque nostrum confringitur quidem quando introducimur in Ecclesiam, & proficimus * ad fidem. Conteritur autem, & comminuitur, quando ad [c] profectum venimus. Quod si dubites conteri Zabulum ad profectum venientibus nobis, audi Apostolum benedictione quadam benedicentem justum, atque dicentem: *Deus autem conterat Satanam sub pedibus vestris velociter*. Animalis est iste malleus, fortasse nunc C furit adversum nos, & quærit quia ista de eo pandimus, & conteritur a nobis (neque enim confringitur tantum, & non etiam conteritur per nos) confringere nos econtrario & conterere. Et multos quidem contrivit eos, qui non attendunt sibi, neque custodia servavaverunt cor suum. Verum nos confidentes in Deo, credentes in Christum Dei, non timeamus Zabulum. Timor Dei facit nos non timentes Zabulum, D nihilque ab eo perpeti, sed & dicere non tantum generaliter, verum & de nobis ipsis: *Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ?* Illo autem confracto, & comminuto, Babylon fit in exterminium: nec prius confusionis civitas dissipatur, quam malleus universæ terræ confringatur, & conteratur. Unde & mirabiliter & præclaro ordine Propheta usus est dicens: *Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ? Quomodo facta est in exterE minium Babylon.* Quod primo factum est, primum enarravit: quod secundo consequenter exposuit. Et hoc oportet per singulos Scripturarum observare sermones. Quando itaque fit in exterminium Babylon? Quando exterminantur omnes confusiones de anima mea, neque ulterius me confundit mors filii, aut obitus uxoris: cum non est qui me irritet, & provocet ad tristitiam, ad iram, ad concupiscentiam, ad

Ddd

* al. contriverit.
* al. secessit.
* al. in
Rom. 16.

[a] Sic Rabanus restituit. In antea vulgatis erat, *talem tantunque virum, & universa terra malleum confringere &c.*

[b] Antea legebatur: *primo confractus, & contritus est deinde.*

[c] Apud Raban. *ad perfectum venerimus.*

ad voluptatem, quando maneo inconfusus, assumens rationem, quæ me confirmet, & roboret, tunc mihi accidit quod dictum est: *Facta est in exterminium Babylon*, hoc est universa confusio. Fiunt autem ista, idest, confringi, & conteri malleum omnis terræ, & demoliri Babylonem, cum gentes superponuntur malleo, & Babyloni. Scriptum est enim: *In gentibus superponentur tibi*, hoc est, ii, qui de gentibus sunt superponentur tibi, o Babylon, superponentur tibi, o mallee, ut confringaris & conteraris. Quando ista facta sunt? In adventu Domini mei Jesu Christi, cum Evangelium cunctis gentibus prædicatum est, tunc superpositi sunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus Babyloni, & malleo universæ terræ, & impletum est hoc quod scriptum est: *In gentibus superponentur tibi, & capieris, Babylon, & non cognoscis*. Utinam caperetur Babylon & per singulos nostrum. Ex anterioribus autem potest intelligi captivitas Babylonis, quando capta suffoditur, subvertitur, desolatur, nihil in nobis resideat confusionis. *Et capieris, Babylon, & non cognoscis; inventa es, & comprehensa, quia Domino restitisti*. Ergone sola Babylon Domino restitit, & non potius omnes gentes, dum, creatore deserto, idola veneratæ sunt, Domino restiterunt? An figuraliter dicit omnem animam contrariam Jerusalem, id est, visioni pacis, Babylonem esse. Unde & Sancti in Jerusalem, peccatores in Babylone erant. Etsi peccabant Jerosolymitæ, mittebantur in Babylonem, & sic convertebantur ad pœnitentiam in Babylone consistentes. Sancti vero regrediebantur in Jerusalem. Capitur ergo Babylon, & non cognoscit. Babylon quippe legi non subjicitur, neque enim potest non inventa Babylon comprehensa esse; sed ob id comprehensa est cum inventa est, quia Domino restitit. Deinde exordium alterius capituli. *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quia opus Domino virtutum in terra Chaldæorum. Quoniam venerunt tempora ejus aperire apothecas ejus, scrutamini eam quasi speluncam, & disperdite eam, ne sint ejus reliquiæ. Exsiccate omnes fructus ejus, & descendat in occisionem. Væ eis quoniam venit dies eorum tempus vindictæ eorum*. (Jer. 50.) Volens intelligere hoc quod dictum est: *Aperuit Dominus thesaurum suum, et protulit vasa iræ suæ*, quæro de alia Scriptura vasa iræ Dei, & invenio ad pleniorem comparationem istius Scripturæ Scripturam Apostolicam, ibique invenio Apostolum mihi subjicientem quæ sint vasa iræ Dei. Ait enim: Si autem volens Deus ostendere iram suam, & notam (Rom. 9.) facere potentiam suam, pertulit in multa patientia vasa iræ præparata ad perditionem, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam, quos & vocavit non solum ex Judæis, verum etiam ex gentibus. Generaliter Apostolus omnes homines divisit bifariam, dicens quosdam esse vasa misericordiæ, quosdam vasa iræ. Verbi gratia, Pharaonem & Ægyptios vasa iræ: rursus se qui primus misericordiam consequutus est, & eos qui in tempore de Judæis & gentibus crediderunt, vasa misericordiæ nuncupavit. Sunt ergo in thesauro Dei vasa iræ. Scriptum est enim. *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ*. Quis est iste thesaurus Domini, in quo vasa iræ inveniuntur? Aliquis forsan quæret, utrum in thesauro Domini tantum vasa iræ sint, & thesaurus Dei, qui est thesaurus omnium, non * habeat vasa misericordiæ (* al. habet): an aliud quid intelligi oporteat de thesauro Dei, unde efferantur vasa iræ ejus? Thesaurum Domini ergo confidens dicam esse Ecclesiam ejus, (Thesaurus Dei Ecclesia.) & in isto thesauro, id est, Ecclesia sæpe homines latitare, qui sunt vasa iræ. Veniet igitur tempus, quando aperiat Dominus thesaurum Ecclesiæ: nunc enim clausa est Ecclesia, & vasa iræ cum vasis misericordiæ inhabitant, & paleæ cum frumento sunt, & pisces perdendi ac projiciendi, cum bonis piscibus, qui in retia inciderant, continentur. Quam cum aperuerit judicii tempore, & protulerit exinde vasa iræ suæ, dicet forsitan is, qui est vas misericordiæ, de egredientibus vasis iræ: *Exierunt ex nobis, non enim erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Sed ideo egressi sunt a nobis, ut ostenderetur, quia non erant omnes ex nobis*. (1. Joan. 2. 19.) In aliud quiddam cupit sermo prorumpere: quod autem audemus dicere, istiusmodi est. In thesauro Dei vasa iræ sunt, extra thesaurum vasa peccantia non sunt vasa iræ, sed vasis iræ minora sunt. Servi enim sunt ignorantes voluntatem Domini sui, & non facientes voluntatem ejus

ejus. Qui autem ingreditur Ecclesiam, aut vas iræ est, aut vas misericordiæ. Qui extra Ecclesiam est, neque vas misericordiæ est, neque iræ. Aliud quoddam nomen ejus inquiro, qui extra Ecclesiam commoratur: & quomodo decerno confidens, non esse eum vas misericordiæ: sic econtrario ex rationis veritate communitus aperte promo sententiam, neque vas iræ posse eum dici, sed vas in aliud quiddam reservatum. Ergone potero de Scripturis approbare, nec misericordiæ eum esse vas, nec iræ: ut & secunda expositio aliquid nobis utile in præsenti loco interponat, & sane rursus audeat in id, quod jamdudum conatur, sermo prorumpere? Ait Apostolus: *In domo autem magna non sunt tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia: alia quidem in honorem, alia porro in contumeliam.* Si igitur quis mundaverit semetipsum ab his, erit vas in honorem, & sanctificatum, utile Domino, ad omne bonum opus præparatum. Putasne magna domus in præsenti est, & in ea sunt vasa in honorem, & alia in contumeliam? An in illa quæ futura est domo, vasa quidem aurea & argentea, quæ sunt in honorem, invenientur vasa esse misericordiæ: reliqua autem, idest, mediocres homines, qui extra thesaurum sunt, ne sint vasa iræ, seu misericordiæ, hi poterunt juxta dispensationem quandam profundam Dei vasa esse in magna domo, quæ mundata non sunt, sed sunt vasa testea in contumeliam, attamen necessaria domui? Vide autem si voluero & hoc ipsum exemplum ex alio Scripturæ testimonio comprobare. Inhonoratus est, inquit, Jeconias, quasi vas cujus nulla est utilitas. Non ait, est quidem ejus utilitas, in contumeliam autem ejus est utilitas: sed quia erat ex domo Dei, & peccavit, in totum non est ejus utilitas. Habeo & aliam Scripturam, in qua dicitur de alio quodam peccatore: Et erit quasi testa, in qua attrahes aquæ pusillum, & in qua carbonem bajulabis. Et rursum affirmat non necessarium penitus, & ex omni parte esse vas inutile. Nunquid non igitur nos qui in domo ista Dei sumus, quando aperire cœperit Dominus the-

2.Tim. 2.

Jerem. 22.

A saurum suum, incipiemus mundari, si tantum fuerimus vasa misericordiæ projectis vasis a nobis iræ? An certe jam exordium est, oportere nos satagere, non solum ut non simus vasa iræ, sed ut ii qui sunt projiciantur a nobis? Tale enim quiddam est hoc quod Apostolus Paulus Corinthiis ait: *In- tantum auditur inter vos fornicatio, quæ nec in gentibus, ut uxorem quidem patris aliquis habeat, & non ma-* B *gis planxistis, ut auferatur de medio vestrum, qui hoc opus gessit:* quasi diceret, aperto thesauro Dei, egrediantur vasa iræ suæ. Aperuit siquidem Dominus thesaurum, & protulit vasa iræ suæ. Legi alicubi quasi Salvatore dicente: & quæro, sive quis personam figuravit Salvatoris, sive in memoriam adduxit, an verum sit hoc quod dictum est: *Ait autem ipse Salvator. Qui juxta me est, juxta ignem* C *est: qui longe est a me, longe est a regno.* Ut enim qui juxta me est, juxta salutem est, ita & juxta ignem est. Et qui audiens me, & audita prævaricans, factus est vas iræ, præparatum in perditionem, cum juxta me est, juxta ignem est. Si vero quis cavens, quoniam qui juxta me est, juxta ignem est, longe factus fuerit a me, ne juxta ignem sit, talis quidem longe futurus est & a regno. Et quomodo D athleta, qui non est in agone conscriptus, neque flagella metuit, neque exspectat coronam, qui autem semel nomen professus est, si victus fuerit verberatur atque projicitur, si vero vicerit coronatur: eodem modo qui ingressus est Ecclesiam, o Cathecumene ausculta; qui accessit ad sermonem Dei, nihil aliud quam conscriptus est in certamine pietatis, & conscriptus si non legitime certaverit, cæditur flagellis, E quibus non verberantur ii, qui non in principio conscripti sunt. Si autem contenderit fortiter ad fugienda verbera, & contumelias, non solum injuria liberabitur, sed incorruptam gloriæ accipiet coronam. *Opus Domino virtutum in terra Chaldæorum.* Juxta diversos intellectus terrenus locus multipliciter nominatur, & quomodo differenti inter se [a] notione plura Salvator habet vocabula, cum unus in [b] subjacenti sit, varius autem in virtutibus: sic & propter ma-

1. Cor. 5.

Marc. 7.

 li-

[a] Cum Rabano legimus *notione*, cum minus recte antea esset *ratione*.

[b] Subjacens, quod & Genebrardo notatum est, appellat subjectum sive suppositum.

litiam generis humani: terrena negotia, cum unum sint in subjacenti, intellectus diversitate sunt plurima. Quod autem dico sic fiet manifestius, cum exemplum, quod a Salvatore assumsi edisserens, ad ea, quæ sunt subjecta, explananda transcendero. Unum subjacens est Domino meo Jesu Salvatori. Hoc uno subjacente, alio intellectu medicus est, juxta quod scriptum est: *Non necesse habent sani medicum, sed male habentes*. (Mat. 9.) Alio intellectu pastor, secundum quod irrationabilibus præest. (Luc. 5.) Alio intellectu rex, secundum quod rationabilibus principatur. Alio intellectu vitis vera, secundum quod inserti in eam homines uberrimos afferunt fructus, & exculti a patre agricola, pinguedinem vitis veræ ex unius radicis consortio assumunt. Juxta alium intellectum sapientia, juxta alium veritas, juxta alium justitia. Verumtamen subjacens unum est. Quomodo ergo in Salvatore, uno subjacente, plurimi intellectus sunt diversorum ejus nominum: sic & terrena negotia, juxta subjacens quidem unum sunt, juxta autem intellectum plurima. Frequenter allegorizantes Babylonem diximus negotia esse terrena, quæ semper confusa sunt vitiis, Ægyptum similiter affligentia. Chaldæorum vero terram, ob id, quia [a] plurima, quæ geruntur in terris, stellis consecrent, & peccatorum nostrorum caussas, sive virtutem eorum quæ accidunt nobis, ex earum motibus afferant fieri, eos esse diximus, qui talibus se superstitionibus dedicaverunt. Omnis igitur, qui his credit, in terra Chaldæorum est. Siquis vestrum mathematicorum deliramenta sectatur, in terra Chaldæorum est. Siquis nativitatis diem supputat, & variis horarum momentorumque * ratiocinationibus (* al. rationibus.) credens, hoc dogma suscipit, quia stellæ taliter, & taliter figuratæ faciunt homines luxuriosos, adulteros, castos, aut certe quodcumque eorum, iste in terra Chaldæorum est. Jam quidam existimant ex astrorum cursibus Christianos fieri. Quotquot autem ista sapitis, quotquot, dictis istis creditis, in terra Chaldæorum estis. Comminans ergo Deus, qui in terra Chaldæorum sunt, his spiritaliter comminatur, qui se ipsos genealogiis, & fato consecraverint, asserentes cuncta, quæ inter mortales fiunt, aut ex astrorum motibus, aut ex fati necessitate pendere. Sed Deus Abraam promovens ad meliora dixit ei: *Ego sum, qui te educo de terra Chaldæorum*. (Gen. 15.) Potens est enim Deus, qui & nobis tribuat de terra Chaldæorum exire, ut nullum alium absque eo esse credamus, qui dispensans universa, & regens vitam nostram pro qualitatibus meritorum, accidentium diversa moderetur. Neque enim micans aliquod sidus, vel Phætontis, ut ajunt, vel corrupti [b] catamithi stella nostrorum caussam continet negotiorum. Et juxta unum quidem argumentum in terra Chaldæorum est, qui supradictis ratiocinationibus credidit; juxta aliud vero ascendit quis super tecta, & veneratur militiam cæli. Invenimus autem in Jeremia multam & his fieri comminationem, qui libant militiæ Dei. Opus ergo Domino virtutum in terra Chaldæorum quia venerunt tempora ejus. *Aperite apothecas ejus*. Manifestum est, [c] quia terræ Chaldæorum. Sunt autem apothecæ Chaldæorum, doctrinæ nativitatum. *Scrutamini eam quasi speluncam, & disperdite eam*. Qui respuit supputationem natalium: qui veritatis sermone utitur adversum eam: qui ostendit nihil eorum, quæ mathematici dicunt, verum esse: qui docet inscrutabilia judicia Dei, nec ea posse ab hominibus comprehendi: * (* al. quia) qui asserit, quia sidera non sunt caussæ eorum, quæ fiunt super terram, minus autem eorum, quæ nobis Christianis accidunt, iste exequitur præceptum Domini dicentis: *Disperdit eam*. Quid autem sit hoc quod sequitur, *Non fiant ei reliquiæ*, quærendum est. Ne aliqua, inquit, rescindatis Chaldæorum, aliqua reservetis. Ob id jubet, ne pusillum quidem relinquatur in ea.) *Exsiccate omnes fructus ejus*. Quis ita beatus est, ut possit exsiccare omnes fructus terræ Chaldæorum, & descendant in occisionem? *Væ eis, quia venit dies eorum, & est tempus vindictæ eorum*. Post hæc rursus alterius capituli continentia: *Vox fugientium, & resalvatorum de terra Babylonis*,

a Ferme rectius apud Raban. legas, *quia plurimi ea quæ geruntur in terris, stellis consecrent, & sive peccatorum nostrorum, sive virtutum eorum, quæque accidunt nobis, ex earum motibus afferant fieri &c.* Tum *persuasionibus* pro *superstitionibus*.

b Raban. de nomine vocat *Ganimedis*.

c Idem, *manifestum qui sint in terra Chaldæorum*.

nis, ad annuntiandum Domino nostro in Sion vindictam. De his nunc prophetat, qui mores patrios relinquentes, [a] & leges gentium, & incredulitatem * veterum, veniunt ad sermonem Dei. Tale enim quiddam significatur in eo, quod dicit: *Vox fugientium, & resalvatorum de terra Babylonis*. Utinam & vestra, Cathecumeni, vox fugientium esset de Babylone, fugientium vitia, fugientium peccata. *Vox* enim *fugientium & resalvatorum*. Non sufficit fugere de terrra Babylonis, sed & resalvari ex terra Babylonis ad annuntiandum in Sion vindictam Domino Deo nostro, ut fugientes de terra Babylonis veniatis ad Sion, * speculatorium Ecclesiam Dei. Ad annuntiandum in Sion, id est, Ecclesiam vindictam a Domino Deo nostro. *Vindictam populi ejus denuntiate in Babylone multis, omni intendenti arcum*. Significanter positum est, *multis*; multi enim sunt, qui in Babylone sunt, in Jerusalem vero pauci. Non enim idcirco, ait, dilexit vos Dominus Deus vester, quia multi eratis, vos quippe estis pauci ab omnibus gentibus. Et bene his qui ex parte Dei erant, dictum est: *Pauci estis ab omnibus gentibus*. Intellige porro & hoc: *Pauci sunt qui salvantur*. Sed & illud: *Contendite intrare per angustam portam. In lata autem & patenti* [b] *multi incedunt. Annuntiate in Babylone multis, omni intendenti arcum. Non sit ex ea qui salvetur: disperdite, interficite omnia Babylonis*. Nuper diximus de [c] parvulis Babyloniis, de viris Babyloniis, de semine Babylonio. Non sit & qui resalvetur de semine Babylonis, retribuite ei juxta opera ejus, secundum omnia quæ fecit, & facite ei, quia Domino restitit, & adversum ** Dominum Deum Sanctum Israel. Quandiu habes in te cogitationes nequam resistentes pietati & fidei veræ, habes in te Babylonios. Sed fac vindictam, & interfice omnes peccatores terræ, quæ in te est, idest, omnes Babylonios, ut possis mundatus in Jerusalem transgredi civitatem Dei in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

* al. speculatorum.

Mat. 7. 13.

** al. Sanctum Deum Israel.

HOMILIA QUARTA:

De eo quod scriptum est: *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio. In medio dierum ejus derelinquent eum, & novissimis suis erit insipiens*. Jerem. XVII. 11.

THRONUS gloriæ exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra, sustentatio Israel. Domine, omnes qui te dereliquerunt, confundantur decedentes, super terram scribantur, quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum. Sana me, Domine, & sanabor; salvum me fac, & salvus ero, quoniam gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est sermo Domini? veniat. Ego autem non laboravi subsequens post te, & diem hominis non concupivi: tu scis. Ad famosam venimus quæstionem, inspicere quid sit perdix, de quo Scriptura nunc loquitur: *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas, non cum judicio. In dimidio dierum ejus derelinquent eum, & in novissimis suis insipiens erit*. Ex natura volucris dignum videtur quandam historiam commemorare, ut animal cognoscentes, scire possimus utrum ad bonam, an malam partem nunc nominati perdicis intelligentiam referamus. Dicitur [d] autem hoc esse ani-

Jer. 17. 11. & seqq.

a Interserit Raban. *& gentes*.

b Verba *multi incedunt* ex Rabano suffecimus. Deerant vero antea manco imperfectoque sensu: quin potius contra orationis seriem sic perperam hæc jungebantur *in lata autem & patenti annuntiate in Babylone &c.* perinde atque unum esset Scripturæ testimonium.

c Hunc quoque locum Rabanus castigat, substituens *parvulis*, pro quo vulgati libri alii præferebant *parabolis*.

d Origenes in Catena Græca, quam Ghislerius suis in Jeremiam Commentariis attexuit: ἐν τῇ περὶ ζώων ἱστορίᾳ λέγεται· κακοηθέστατος εἶναι ὁ πέρδιξ· περὶ τοὺς πόδας γὰρ στρεφόμενος τοῦ θηρεύοντος, καὶ τοῦ λαβεῖν ἐλπίδα διδοὺς ἀποσπᾷ τῆς νοσσιᾶς ἑαυτόν, καὶ ὅταν στοχάζεται περιφυγόντας τοὺς νεοττοὺς, καὶ αὐτὸς ἀφνιδίως ἀφίπταται· ἔστι δὲ καὶ ἀκάθαρτον (γρ. ἀκάθαρτος) ὥστε τοὺς θηρεύοντας (γρ. χηρεύοντας) μονομαχεῖν ἀλλήλοις περὶ τῆς μίξεως, καὶ ἄρρενα μετὰ νίκην ἐπιβαίνειν τοῦ ἄρρενος. *In historia animalium fertur vaferrima esse perdix: circum pedes enim venatoris voluta, & sui capiendæ spem dans, se nido subducit & removet; & cum pullos aufugisse conjicit, ipsa quoque repente evolat. Impura quoque & illa est, adeo ut quæ conjuge sua viduatæ sunt, singulari certamine invicem pro concubitu decertent, & mas post victoriam marem ineat*. Quem locum ex eane quam tractamus Origenis Homilia depromserit Catenæ concinnator, & pro ejusmodi consarcinatorum more recoxerit, an aliunde integrum transtulerit, incertum est. Id autem ex Aristotele petitum est lib. 9. Histor. Animal. cap. 8 ὅταν δέ τις θηρεύῃ περιπετῶν τῇ νεοττιᾷ, προκυλινδεῖται ἡ πέρδιξ τοῦ θηρεύοντος ὡς ἐπίληπτος οὖσα, καὶ ἐπισπᾶται, ὡς ληψόμενον, ἐφ

animal malignum, fraudulentum, callidum, multumque decipiens venatores. Sæpe quippe ante pedes aucupis volvitur, & in medio ejus conatu, quasi jam apprehendendus elabitur. Prædam sui ex vicinitate promittit: & hoc agit, ne ad nidum fœtuum ejus citus venator occurrat. Cumque jam senserit fugisse pullos suos, tunc & ipse illuso hoste discedit. Sed nequitiam ejus vincit [a] impuritas. Ambigendum non est de eo quod dicturi sumus, quod ex iis qui mansueti in casis nutriuntur, veritas approbat: masculus in masculum consurgit, oblivifcitur sexum libido præceps, pugnatur ad coitum, & una palma victoris est polluisse quem vicerit. Si igitur malignum, si immundum, si dolosum hoc animal est, impium videbitur [b] ad meliorem partem hujus referre nomen, & ad Salvatoris nostri Jesu Christi intelligentiam temperare. Magis autem convenit mala Zabulo adjungere, & super adversario lectionem intelligere præsentem: si tamen totius capituli nos sequuta fuerit interpretatio. Incipiamus ergo ab eo quod scriptum est: *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit*. Non [c] proprias creaturas congregat Zabulus, non ea colligit quæ ipse generavit; sed cum clamaverit, alienas congregans creaturas, facit eas suas. Clamavit perdix per Valentinum, clamavit per Basilidem, per Marcionem, per omnes [d] qui alienæ a Deo gloriæ cupiditate rapti sunt. Nullus enim eorum sonare poterat vocem Domini Jesu: *Meæ oves meam vocem audiunt*. Sed erat vox Christi in Paulo, erat in Petro; propter quod Paulus dicebat: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Vox autem congregantis quæ non peperit perdicis, in illis est qui simplices quosque fidelium laqueo hæreticæ factionis impediunt. *Clamavit* itaque *perdix, congregavit quæ non peperit, facere delicias suas non cum judicio, dives factus est perdix*. Ecce ejus quanta sunt millia, ingens turba, multi sunt populi captivorum, & facit

Joan. 10.

2. Cor. 13.

ἐφ' ἑαυτὴν, ἕως ἂν διαδράσῃ τῶν νεοττῶν ἕκαστος· κἄπειτα δὲ ταῦτα ἀναπτᾶσα αὐτὴ, ἀνακαλεῖται πάλιν· & mox: ὥσπερ δὲ εἴρηται, κακόηθες τὸ ὄρνεόν ἐστι καὶ πανοῦργον. *Cum aliquis venando in nidum inciderit, provolvit sese perdix ante venatorem, quasi jamjam capienda sit, & sic hominem ad se, sui capienda spe allicit, donec singuli pulli profugerint: interea avolat ipsa, & pullus rursum revocat*, & mox. *Quemadmodum autem dictum est, vafra est hæc avis, & astuta*. Eadem hauserunt indidem Plinius lib. X. cap. 33. & ex Plinio Solinus cap. 7. Ælianus lib. 3. De animal. cap. 16. Athenæus lib. 9. Commentarius in Hexaem. Eustathio tributus, Phile in Jambis, & Aristophanis Scholiastes in Avib. HUETIUS.

a Auctor quoque Aristoteles loco laudato. ὅταν δὲ ἀποδρᾶσα ἐπωάζῃ, οἱ ἄῤῥενες κεκράγασι, καὶ μάχονται συνιόντες· καλοῦσι δὲ τούτους χήρους· ὁ δὲ ἡττηθεὶς μαχόμενος ἀκολουθεῖ τῷ νικήσαντι, ὑπὸ τούτου ὀχευόμενος μόνου· ἐὰν δὲ κρατηθῇ τις ὑπὸ τοῦ δευτέρου, ἢ ὁποιουοῦν, τοῦτος λάθρα ὀχεύεται ὑπὸ κρατιστεύοντος. *Cum autem effugit, ut ovis incubet, clamitant mares, & inter se decertant. Hos viduatos vocant. Qui vero fuerit in certamine inferior, victorem sequitur, ab eoque solo initur. Quod si a secundo etiam, vel alio quovis vincatur aliquis; ab eo quoque victore clam subigitur*; & lib. 6. cap. 8. καὶ τοὺς νεοττοὺς, ὅταν πρῶτον ἐξάγῃ, ὀχεύει αὐτοὺς ὁ ἄῤῥην· *Pullos etiam, cum primum foras educit, mas init*. Antigonus Carystius in Paradoxis c. 110. De perdicibus: καὶ τοὺς νεοττοὺς ὅταν πρῶτον ἐξαγάγωσιν, ὀχεύειν αὐτοὺς, τοὺς δὲ πρὸς ἀλλήλους μάχεσθαι: *& pullos, cum primum educunt, subigere ipsos; simulque decertare*. Quem locum non intellexit Xylander. Eadem hæc habent Plinius, Solinus, Ælianus, Athenæus, & Phile locis proxime laudatis, & ex Origene Hieronymus in eundem hunc Jeremiæ locum, & præter eos Isidorus lib. 12. Orig. cap. 7. At non perdices solum, sed galli etiam fœdam hanc inter se libidinem exercent, nam qui victoriam reportavit, non victi solum conjugem, sed ipsum etiam gallum subigit. *Idem*.

b Epiphanius tamen in Physiologo cap. 9. hominem pium perdici comparavit. *Idem*.

c Pertinet id ad aliam perdicis proprietatem ab Origene hoc loco neutiquam commemoratam. Ferunt siquidem aliena eam ova furari, & incubare, ac fovere. Ita Hyppolitus Martyr in Catena in Jerem. Epiphanius in Physiol. cap. 9. Ambrosius lib. 6. Hexaem. cap. 3. & Epistol. 49. Philastrius Præfat. in lib. de Hær. Phile in Jambis, Hieronymus in hunc Jeremiæ locum, Augustinus contra Faust. lib. 13. cap. 12. Isidorus lib. 12. Orig. cap. 7. & Rupertus Abbas lib. 1. in Deuter. cap. 14. Ita & Chaldæus Paraphrastes, Jerem. 17. 11. Quæ cum apud Auctores τοὺς ἔξωθεν, qui Physica tractarunt, non compareant, verisimile est ex hoc Jeremiæ loco profluxisse, ubi קורא perdicem reddiderunt LXX, ex iisque reliqui: quia cum vocem nullam haberent, qua avem illam Europæis ignotam appellarent, quam simillimæ, & specie proximæ avis nomen subsidio asciverunt, perdicis videlicet, ejusque non propriæ dictæ, sed quæ Rustica, seu Rusticula, & ἄγριξ, & ab Aristotele σκολόπαξ nuncupatur. קורא enim illam prælongum rostrum gerere, brevibus esse pedibus, colore viridi, edulem, montanam, infra columbæ magnitudinem, pluviæ prænuntiam Hebræi & Arabes scribunt, locupletes Auctores, quorum in regionibus ea avis frequens est. Atque hæc omnia fere utrique communia sunt. In eo præterea utrique convenit, quod a rostri longitudine nomen traxerunt; nam quemadmodum ἀπὸ τοῦ σκόλοπος dicitur σκολόπαξ: quod pali simile rostrum gerat; ita Hebraice קורה est σκόλοψ, unde קרא. At non coloris solum viriditate ea a rustica perdice discrepat, sed eo etiam quod aliena ova foveat, id quod de rusticula nemo prodidit. Hoc porro, aliaque permulta eximiæ eruditionis laude cumulatissimo viro Samueli Bocharto debere me profiteor. Id ipse argumentum in luculentissimo de Scripturæ animalibus opere fusius pertractat. Ad hæc nos illud quoque adjiciemus, quæquumque de קורא Hebræi & Arabes tradunt, universa fere Pico, quem δρυοκολάπτην appellant, convenire: nam & longiusculum gerit rostrum, & est eximii roboris, utpote quo arbores tundit, & excavat; brevibus est pedibus; viridi colore est: corporis mole columbam non æquat; montanus est; edulis est; pluviamque inter reliquas aves præcipue prænuntiat. Quodque animadversione dignissimum est, vel a קור, *fodit. effodit*; vel a קורה, *trabs, stipes, truncus, lignum*, Picum קורא dictum non inepte quis argutari possit, cum rostro truncos perfodiat; unde & δρυοκολάπτης Græcis dicitur. Quod si alienorum ovorum curam, & incubitum Pico tribuisset Auctor aliquis, voce קורא eum significari non dubitarem. *Idem*.

d Pessime id interpretatus est Hieronymus: *per omnes qui aliena a Deo gloria cupiditate rapti sunt*. ἑτερόδοξος apud Ecclesiasticos Auctores opponitur ὀρθοδόξῳ, & vertere debuit: *per omnes qui perversis opinionibus adhærescunt*. *Idem*.

facit divitias suas, non cogitans judicium, neque habens in corde justitiam, sed omnia sine lege gerens; merito arguitur non cum judicio fecisse divitias. Meus autem Jesus facit divitias suas cum judicio. [a] Examinata est & delecta ejus opulentia. *In * medio dierum ejus derelinquent eum.* Nos omnes qui quondam fuimus sub clamantis potestate perdicis (clamavit quippe non solum per eos quos supra memoravimus, sed per omnes generaliter [b] qui quasi ad pietatem & ad B religionem vocantes, sub contrario veritati dogmate clamaverunt) nos, inquam, universi in dimidio dierum ejus dereliquimus eum. Et omnes quidem [c] dies ejus, dies hujus sæculi; sed quia eruit nos ex instanti sæculo nequam Dominus Jesus, idcirco in * medio dierum ejus dereliquimus eum. *Et novissimum ejus erit insipiens.* Quando autem sapiens fuit, ut novissimum ejus merito insipiens fiat? Sed dicamus eum fuisse sapientem: C *Serpens quippe sapientior erat omnibus bestiis super terram, * quam fecit Dominus Deus.* Sapiens fuit juxta id quod scriptum est: *Adducam super sensum grandem principem Assyriorum. Dixit autem: Violentia mea faciam, & sapientia intellectus auferam fines Gentium, [d] & virtutes eorum depascam, & commovebo civitates inhabitatas.* Si quis potest, intelligat, quomodo novissimum ejus erit stultum. Iste ab eo quod fuit sapiens male (sapientior enim erat omnibus bestiis super terram) * fit econtrario, eo quod sapiens fuit, male insipiens. Intelliges vero quid sit: *Novissimum ejus erit insipiens*, si scias quomodo etiam tibi per Apostolum præcipiatur, ut pro salute tua insipientiam recipias: *Si quis*, inquit, *videtur sibi sapiens esse in vobis in isto sæculo, stultus fiat.* [e] Solvit qui ante clamavit: stultus esto & fatuus, ut sapiens * fias. Si itaque est quædam sapientia culpabilis, juxta quam filii sæculi hujus sapientiores sunt filiis lucis in generatione ista, bonus est Deus qui contrariis diversa subvertit, ut faciat compleri id quod dictum est: *Novissimum ejus erit insipiens.* Quando novissimum ejus erit insipiens? oportet Christum regnare, usque dum ponat omnes inimicos ejus Deus sub pedibus ejus. Cum autem omnia ei subjecerit, novissimus inimicus destruetur mors, cum destructa fuerit mors, tunc extrema perdicis erunt, & novissimum ejus fiet insipiens. Hæc de perdice. Principium vero capituli [f] secundum istud lectum est: *Thronus gloriæ exal-*

Marginalia (left): a; * al. dimidio; Jer. 17. 11.; b; c; * al. dimidio; Jer. 17. 11.; Gen. 3. 1.; * al. quas; Isa. 10. 12. 13.; d
Marginalia (right): * al. fies contrario ei; 1. Cor. 3. 18.; e; * al. fias; f; Jer. 17. 12. 13

[a] Vitiose legebatur, *Exinanita est & deleta*, ab ipso, quod mirum est magis, Huetio, quem adversa columna Græci textus, ubi est καὶ κεκριμένος ἐστὶν ὁ πλοῦτος καὶ ἐκλελεγμένος, de mendo admonere debuisset. Nos post Rabanum ad Græcum exemplar locum emaculavimus, rescribentes *Examinata est & delecta*.

[b] Voculam *qui* contextui necessariam, Rabanus supplet.

[c] Heic quoque voces *dies ejus*, quas pridem Huetius desiderari suboluit, ex Rabano suffecimus.

[d] Penes Raban. *depascar & vires eorum*.

[e] Pro *Solvit qui ante clamavit*, Rabanus legit, *Attende, quia non solum non clamavit* &c.

[f] Et paulo infra, ἐνθάδε ἔληξε καὶ ἡ δευτέρα περικοπὴ, quod ita reddidit Hieronymus: *sic finita est etiam secundi capituli circumscriptio*: & Homilia in Jeremiam, juxta Latinam dispositionem, tertia: *Deinde exordium alterius capituli: Aperuit Dominus thesaurum suum, &c.* Idem in Isaiæ 32. 2. *Hebræi capitulum superius, in quo legitur: Væ qui prædaris: nonne & ipse prædaberis, & reliqua usque ad finem, &c.* Quod capitulum dixit Hieronymus, aliquando comma unum est, sive versus unus recentioris illius, quam hodie sequimur, divisionis; aliquando plures: hic certe Origenem interpretans, quod περικοπὴν dixit Origenes, ipse capitulum reddit, quo versus 13. & 14. capitis 17. Jeremiæ continentur. Observatum est a nobis ad Homil. in 1. Reg. περικοπὰς illic appellasse Origenem, quæ in hodierna & recepta distinctione pro capitibus habentur: & Homil. 18. in Jerem. μίαν περικοπὴν appellat, quidquid habetur a septimo versu ad duodecimum. Sed hæc quo clariora fiant, rem altius repetemus. Biblia sacra non ita olim fuisse secta ac distincta, quemadmodum nunc sunt, notum est eruditis; sive Judaica exemplaria intelligas, sive τῶν ό, sive Vulgatæ Editionis. Ac primum de Judaicis. Scribit Elias Levita universam Legem versum unum olim fuisse. Hieronymus Præfat. in Josue, & Paralip. & Isaiam, interpretationes suas novo scribendi genere sese distinxisse testatur: unde proclivis conjectura est ab Hebraicis codicibus ejusmodi partitionem abfuisse: hanc vero ab Hieronymo per cola & commata divisionem, vitandæ confusioni, & sensuum barbariei, adhibitam fuisse, testis ipse est. In Synagogarum autem usum distributi sunt libri Mosis, idque non uno modo. Cum enim quotis quibusque sabbathis pars aliqua Legis ac Prophetarum populo prælegenda esset, juxta sabbathorum numerum Lex in Lectiones distributa est, quæ פרשיות appellantur, & ad Mosem a nonnullis, ab aliis ad Esdram referuntur. Talis videtur fuisse, quam περιοχὴν τῆς γραφῆς appellat Luc. Act. 8. 32. Distinctiones ad hæc invexerunt quasdam, quas Apertas, & Clausas dixere, פתוחות & סתומות; indeque librorum suorum oram his literis פ & ס insigniunt. Ac demum in פסוקים, sive versus, jam inde ab antiquis temporibus Lex divisa est, ab ipso Mose juxta nonnullos, ab Esdra juxta alios, a Masorethis juxta reliquos; eorumque versuum Thalmudistæ meminerunt. Horum omnium, sed & singularum etiam literarum collectum numerum in fine describebant, hodieque describunt. Quem in se laborem סופרים recipiebant. Prophetæ quoque in הפטרות & versus jam olim secti fuere. Haphtararum inventionem ad Antiochi Epiphanis tempora; versuum etiam ad antiquiorem Christo ætatem, sed levibus argumentis referunt. Addendum id quoque, quod ex Origene refert Eusebius lib. 6. Histor. c. 25. librum Regum primum & secundum unicum apud Hebræos volumen constituere; ac unum item, tertium & quartum, & unum quoque Paralipomenon utrumque, unum etiam, Esdræ primum & secundum; Jeremiæ item prophetiam cum Lamentationibus & Epistola, unum. Quod ad LXX. Senum interpretationem pertinet, cum in Synagogis Judæorum Hellenistarum prælegeretur, probabile est hos eam in usus suos distribuisse, sed ita tamen ut in Synagogis solum divisiones illæ obtinerent. Exemplaria duo antiquissima LXX. Interpretum Editionis, quorum alterum Romæ habetur; alterum ab Hesychio, ut videtur, emendatum, Alexandria Constantinopolim a Cyrillo Lucare Patriarcha Constantinopolitano translatum, ad Carolum deinde Bri-

ara-

exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra, A *sustentatio Israel. Domine, omnes qui te dereliquerunt, confundantur, decedentes, super terram scribantur, quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum.* Dixit Isaias beatus Propheta videns Dominum, & regnum ejus. *Isai. 6. 1.*

tanniæ Regem transmissum in Anglia servatur, utrumque annos mille supra ducentos exaratum, nullam capitum, aut versuum, immo ne verborum quidem distinctionem præ se fert, exceptis solum libris στιχηροῖς, quosque per versus primum ab ipsis Auctoribus compositos fuisse credibile est, Job dico, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum. Cum hac autem Interpretatione maxima Patrum Græcorum pars, dum Scripturam sacram Commentariis illustraret, uteretur, unusquisque contextum sacrum, quem ἔδαφος appellabant, pro arbitrio & captu distinxit; unde nullam tum fuisse distinctionem præ cæteris probatam, ac vulgo receptam apparet. Neque in capita solum, sed in versus etiam, pro captu suo vetusti illi Patres Scripturam distribuebant. Origenes Hexapla sua in cola discreverat, ut est apud Euseb. lib. 6. Histor. cap. 16. Id in duodecim Prophetis fecisse se testatur Hesychius presbyter Jerosolymitanus, eumque morem ab antiquis ductum temporibus tenuisse. Videtur tamen Origenes Prolog. in Cantic. aliquam in ipso Cantici titulo distinctionem jam receptam, & inolitam observasse: sed vereor ne de suo Ruffinus, Interpres fluxæ fidei, id adjecerit. Quod si genuinus est locus, vetusto aliquo Codice, suis distinctionibus instructo, e Symmachi fortasse Bibliotheca depromto, usum Origenem fuisse dicendum est. Ordo ille quo dispositos habemus Psalmos LXX. Senum diligentiæ debetur, si Hilarium Pictaviensem audimus. Scribit enim ille Psalmos primum dispersos & inordinatos, ab Esdra deinde in unum volumen fuisse collectos, & a Septuaginta demum Interpretibus in numerum & ordinem fuisse redactos. Hoc si sit, post Esdræ tempora in quinque libros partitum fuerit Psalterium ab Hebræis, quemadmodum factum refert Epiphanius lib. De ponder. & mens. cap. 5. Id commentum refellit Hieronymus in Præfat. in Psalmos juxta Hebraicam veritatem, ad Sophronium: *Nos*, inquit, *Hebræorum auctoritatem sequuti, & maxime Apostolorum, qui semper in Novo Testamento Psalmorum librum nominant, unum asserimus Psalmorum volumen.* Conciliabitur uterque, si in quibusdam Hebræorum codicibus hanc obtinuisse distinctionem dicamus, secus in aliis. Nec quicquam evincit Hieronymus hoc argumento, unicum esse Psalmorum volumen: fatebitur quippe Epiphanius unicum esse volumen, at in libros quinque distributum. Quandam in Psalterio Latino divisionem obtinuisse sua ætate satis indicat Hieronymus initio Epistolæ 24. ad Marcellam; ea vero cujusmodi fuerit, incertum est. Notandum istud Hieronymi ex Procemio Commentariorum ipsius in Psalmos: *Psalmi*, inquit, *qui prætitulati esse non videntur, apud Hebræos pro uno Psalmo habentur.* Præter quintuplicem istam Psalterii divisionem, in viginti partes sectum illud exhibent veteres Græcorum Liturgiæ & Euchologia. Partes illæ καθίσματα appellantur, quasi dicas *Sessiones*. Nec Latina Veteris Testamenti editio certam habuit divisionem. Ea quæ nunc usurpatur per versus distinctio recentissima est, & hodie vel heri nata: antiquior distinctio per capita. Prior illa in Latinos primum inducta libros, Hebræos, Græcosque pervasit; posterior hæc a Latinisne, an Græcis profecta sit, non liquet. Ex antiquis Patribus nullus plane Scripturæ loca depromens, versuum vel capitum hodie receptorum numerum notavit. Augustinus quidem ita Bibliorum versus videtur distinxisse, ut sex dictiones unusquisque versus contineret; sed id Augustiniano codici videtur fuisse peculiare, non omnibus commune. Libros Scripturæ plerosque, & fortasse omnes per versus distinxit Hieronymus, sed hodiernæ distinctionis nulla apud eum extant vestigia. Quod si recentis per capita divisionis, quæ tota insedit Biblia, ætatem quæras, ante sexcentos annos repertam eam responderim. Eam certe tenuit Theophylactus, qui ante undecimi sæculi finem floruit, ut declarant ἐκθέσεις, quas Evangeliis præfixit; & illam etiam hac ætate vetusti præferunt Manuscripti. Hieronymo tamen recentiorem putamus. Eandem fere ac Hebræi in dividendo Veteri Testamento rationem servarunt Syri, Samaritani, & Coptitæ, sed peculiarem suam sibi distinctionem habent. Genesim in 1534. versus distribuunt Hebræi; Syri in 4509. Samaritanorum, & Coptitarum divisionem notavit Kircherus in Prodromo Copto. Dixi de Veteri Testamento, accedamus ad Novum. Vetustissimam Novi Testamenti Græci divisionem eam esse reperio, quæ est per Titulos, qui & ἐπιγραφαὶ, & λήμματα. Tituli dividebantur in κεφάλαια, seu περικοπὰς, περικοπαὶ in στίχους, seu Commata, seu Cola, quæ & Incisa, & Cæsa. στίχοι autem, seu versus sensu fere definiebantur, ita ut breviores essent nonnulli, alii longiores, & summa domum στίχων in fine libri collecta, quemadmodum & ἔκθεσις τῶν λημμάτων initio, adnotabatur. Quod in variis autem Codicibus στιχομετρίαι variant, ex eo evenit, quod pro captu suo librarii sententias ultro, citrove definirent, & interductu distinguerent. Titulus integrum aliquod argumentum complectebatur; κεφάλαιον certam aliquam argumenti hujus partem; στίχος periodum ab alia distinctam, determinatamve sententiam. Falluntur multi, qui quotiesquumque περικοπὴν aliquam designant Patres, ad divisionem tum temporis vulgo receptam eos respexisse putant: sæpissime enim tmemata a reliquo contextu, ad libitum ac pro tempore divulsa hac voce nuncupabant. In vulgatis codicibus certi erant Tituli in aliquot capita distributi, quæ capita versuum numerum determinatum exhiberent. Rem exemplum illustrabit. Matthæi liber divisus est in Titulos LXVIII. Hi Tituli κεφάλαια quoque ab Euthymio, & Oecumenio, aliisque appellantur, & in manuscriptis, & excusis quibusdam libris suo ordine editi extant. Primus est περὶ τῶν μάγων, alter περὶ τῶν ἀναιρεθέντων παιδίων & reliqui deinceps. κεφάλαια autem habuit CCCLV. juxta Ammonium, Eusebium, & Tatianum. Suidas, Ματθαῖος ἔχει τίτλους ξή, κεφάλαια τνέ. στίχων autem varium numerum varii repræsentant codices; alii βφ, alii βφξ. Neutiquam ergo audiendus Casaubonus, qui Veteribus idem fere κεφάλαιον fuisse docet, ac nobis hodie versiculum. Quamvis enim κεφάλαιον, & Capitulum aliquando pro versu uno sumatur, vel si proprie loqui decet, versum unum complectatur, ejusmodi tamen κεφάλαια hic non intelligit Casaubonus, sed illa in quæ Novi Testamenti Tituli distributi sunt: nostrorum autem versiculorum numerus antiquorum κεφαλαίων numerum triplo circiter superat. At Veterum στίχοι hodiernis breviores erant. Eustathius Antiochenus libro De Engastrimytho a Joann. 8. 59. ad Ἰω. 31. στίχους numerat 135. cum recentior partitio 72. solum habeat. Origenes apud Eusebium scribit posteriores duas Joannis Epistolas centum versiculos vix absolvere, cum partitio hodierna 29. tantum versus complectatur. At Novi Fœderis στιχομετρίαι secundæ Epistolæ triginta, tertiæ quatuor & triginta tribuunt. Recentior vero divisio e Latinis codicibus profecta Græcos demum occupavit. Sane tota hæc distinguendi ratio ex Auctorum, Librariorumque arbitrio pependit. Libri quidam peculiarem nobis repræsentant Evangeliorum distinctionem. Lucæ Evangelium in 83. capita distribuit Euthymius; Ammonius in capita 343. distinctio Latina vetus in capita 107. hodierna in 24. Ambrosius in Titulos 164. Beda in Capita 193. Receptissima tamen & vetustissima distinctio ea fuit quam invexit Ammonius, quæque apud Suidam expressa est, eam quippe Cæsarius Nazianzeni frater, & Epiphanius agnoscunt. Eadem quoque in reliquorum Novi Testamenti librorum distinctione varietas reperitur. Latina porro Novi Fœderis distinctioni coæva videtur. Id vero Latinis moris fuit, ut longiora Novi Testamenti capita in septem partes, breviora in quattuor distribuerent, easque partes literis Alphabeticis signarent: id quod in excusis etiam Novi Fœderis libris sæpe servatur. Dixi στιχομετρίαι librorum Novi Testamenti colligi fuisse solitam & adscribi. Hoc in Veteri quoque Testamento a Syris, Samaritanis, Judæis, Græcis, & Latinis factum est. Nec in Sacris solum Libris, sed in exoticis etiam Græcis & Latinis usurpatum. Id erudite probat Salmasius in Prolegom. ad Solin. id quoque declarant lemmata præfixa Asconii Pediani commentationibus in Cornelianam, aliasque Tullii orationes; declarant & Præfationes Digestorum Justi-

ejus : *Vidi Dominum Sabaoth sedentem super sedem excelsam & elevatam*. Vidit & Jeremias quomodo Deus regnat, propter quod glorificans eum ait : *Thronus gloriæ, exaltatus ab initio locus, sanctificatio nostra*. Sive de Christo volueris ista intelligere, non peccabis, sive de Patre, non impie senties : est enim thronus * gloriæ excelsus, & a principio Salvator est. Thronus gloriæ est, propter quod [a] excelsum regnum ejus. Sanctificatio nostra Christus est : *Quia & iste sanctificans, & nos sanctificati ex uno omnes sumus*. [Heb. 2. 11.] *Sustentatio Israel*. Sicut ipse justitia Christus, ipse veritas, ipse sanctificatio, similiter est ipse etiam sustentatio. Et non est aliquid justum [b] sine Christo, neque sanctum sine eo, neque patiens, quod in se non habet Christum : ipse est enim sustentatio Israel. Si autem ad Patrem & hoc retuleris, non impie intelligis. *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundantur discedentes*. [Jer. 17. 13.] Unusquisque nostrum quando peccat, per ea quæ peccat, Christum relinquit : relinquens autem Filium, reliquit & Patrem. Injustus a justitia longe est, pollutus a sanctimonia, bellator a pace, & qui sub potestate inimici esse incipit, a redemtione fit alienus, & qui extra sapientiam A Dei est, sapientiam [c] Dei derelinquit. Docens itaque nos Propheta, quid de omnibus, qui Dominum deserunt, sit futurum, ait : *Universi qui te derelinquunt, confundantur discedentes*, hoc est, quantum te deserunt, tantum confundantur discedentes. *Super terram scribantur*. Omnes homines describuntur, sancti in cælo, peccatores super terram. Dicit ad Discipulos Jesus : *Gaudete autem, quia nomina vestra scripta* B *sunt in cælis*. [Luc. 10. 20.] Igitur oportet lætari si talis quis fuerit, ut nomen ejus scribatur in cælis. Et quomodo justorum nomina in superioribus conscribuntur, sic econtrario eorum qui conversantur terrene, qui non pertranseunt terram Edom, sed agros terræ Edom, & vineas possident, scribuntur nomina quasi relinquentium Deum super terram. *Confundantur discedentes, super terram scribantur*. *Quo* enim *metro mensi sunt, re-* C *metietur eis ipsis*. [Mat. 7. 2.] [d] Sibi unusquisque caussa est, ut scribatur super terram, si non cælestia requirat in terra, si semper anima ejus de istius mundi negotiis æstuet, quæ videntur sæculo bona. Si vero audiens Jesum loquentem : *Nolite vobis thesaurizare thesauros super terram, ubi tinea & vermes exterminant, & ubi fures effodiunt & furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cælo* : [Mat. 6. 19.] qui thesau-

* al. claritatis

stiniani. Aristotelis, Zenonis, Chrysippi, aliorumque libros per versus fuisse distinctos ex Laertio notum est. Traditam sibi a Judæis dividendorum versuum, & colligendorum rationem Arabes quoque retinuerunt. Alcoranus per capita & versus divisus est; versuum & literarum numerus in fine collectus & adscriptus : sed prior ille variat, nec eumdem semper codices præ se ferunt. Quamquam id fere ab illis observatum videas, ut in ὁμοιοπτωτα singuli versus desinant, nulla æqualitatis illorum ratione habita. Hic autem magno Salmasio neutiquam assentiri possum, qui post Henricum Stephanum, & Casaubonum, Hebræos & Arabes versus suos sensu determinasse, & ejusmodi versuum numerum in fine subduxisse scribit; Latinos autem & Græcos sententiam unam in plures, paucioresve lineas pro codicis angustia dispescuisse, στίχους vero, seu versus appellasse, non totam illam sententiam, sed singulas lineas, proindeque nescire se addit quid emolumenti Græci, Latinique ex hac linearum collectione ceperint, cum pro angustiis codicis variaverint. Mirandum profecto foret illud, si ita esset; quod certe non est : nam ut versum lineam aliquando significare fatear, summæ certe illæ versuum, non lineas singulas, seu ductus, seu sulcos librorum, sed totas sententias complectebantur : id quod ipse agnovit tandem Salmasius in Epistola ad Sarravium, sive mutata priore sententia, sive oblivioni data : *Interdum quippe*, inquit, *duas, interdum tres, aut plures lineas singuli versus occupabant. Græci στίχους appellant. Opera autem ipsa numerabantur per versus, quorum summa in fine libri subducta notabatur. Inde πολύστιχον βιβλίον* &c. Hæc non eo commemoro, quo de viri supra fidem eruditi, ac de me olim optime meriti laude quicquam deminutum velim, nam

ἄλλοισιν ἐσθλοῖς τόνδ᾽ ἀπωθεῖται ψόγον.

Una ergo fere fuit Hebræorum, Arabum, Græcorum & Latinorum, cum in sacris, tum in exoticis libris, versuum subducendorum, & notandorum ratio. Quod quum omnes tamen non facerent, immo libros suos una serie nonnumquam scriberent, ii postmodum in capita ab indoctis librariis distracti sunt; unde immanes sæpe optimis Auctoribus errores, spissæque tenebræ affusæ sunt. Quin & eo audaciæ sunt progressi, ut ineptissima lemmata capitibus affingerent. Atque hæc labes maximam bonorum Scriptorum partem pervagata est. Sed hæc sunt alterius loci. Nunc redeamus ad propositum. Patet ex supradictis frustra in hodierna Scripturæ divisione rationem quæri περικοπῶν Origenis, & Capitulorum Hieronymi, περικοπὴν dixit Adamantius certum aliquod Scripturæ membrum ad libitum determinatum & circumscriptum. Capitulum eodem sensu usurpavit Hieronymus; nempe pro eo quod Gallice dicimus, *un passage*. Ita sexcentis locis accipitur apud Ruffinum : velut cum ait in interpretatione Apologiæ Pamphili : *In suis præcipue* (libris) *in quibus plures unius Capituli interpretationes exponit*. Et mox : *Ponemus exemplum quod illi superiori conveniat ex eo libro quem in Epistolam Pauli Apostoli ad Titum scripsit, de eo Capitulo, in quo dicit Apostolus : hæreticum hominem post trinam correptionem devita, sciens quia perversus est, & peccat, qui est a semetipso damnatus*. Nec aliter Philastrius Hær. 45. *Quæ autem quasi de homine dicunt Scripturæ, ea accipit capitula* : & Hær. 50. *Isti utuntur Capitulis Scripturarum, quæ de Christo, velut de homine edocent*. HUETIUS.

a Legimus cum Rabano : in aliis editis sub diversa interpunctione & sensu erat, *propter quod regnum ejus, & sanctificatio nostra, Christus est : Quia &c.*

b Deerant hæc verba, *sine Christo, neque sanctum sine eo*, quæ nos ex Rabano suffecimus, cogente ipso Græco textu, χωρὶς χριστοῦ, οὔτε ἅγιον χωρὶς αὐτοῦ.

c Raban. *Dei* nomen heic non agnoscit.

d Idem paulo concinnius, *Ipse sibi unusquisque*.

rizaverit sibi in cælo, ipse sibi caussa est, ut scribatur in cælis. Hæc propter id quod scriptum est: *Super terram scribantur*; caussamque commemorat: *Quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum*. Et in principio ipse Propheta ex persona Domini dicit: *Me dereliquerunt fontem vitæ*: [a] & nunc: *Quia dereliquerunt fontem vitæ Dominum*. Dicamus ergo & nos, si nollumus derelinquere fontem vitæ Dominum, voce proximorum Jesu Christi Discipulorum, qua loquuti sunt ad magistrum, cum eis diceret: *Nunquid & vos vultis recedere*. Quid igitur dicemus? *Domine, ad quem ibimus; verba vitæ tu habes*. Sic finita est etiam secundi capituli circumscriptio. Sequens oratio est ista continens: *Sana me, Domine, & sanabor, salvum me fac, & salvus ero: quoniam gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est sermo Domini? veniat. Ego autem non laboravi subsequens post te & diem hominis non concupivi, tu scis*. Soli, qui propter male habentes venit, medico, dicenti: *Non indigent sani medico, sed male habentes*, dicendum est confidenter ab eo qui ægrotantem suam animam vult salvari: *Sana me, Domine & sanabor*. Etenim illa in Evangelio mulier sanguinem fluens, omnem substantiam suam expendit in medicis, nec potuit a quoquam eorum sanari: ad nullum quippe ex eis dignum erat dici: *Sana me, Domine, & sanabor*, nisi ad solum cui sufficit vestimenti tantum fimbriam tangere, cui ego uni dicam: *Sana me, Domine, & sanabor*. Tunc siquidem medicinam sanitas sequitur, si Christus curare dignetur: *Salvum me fac, & salvus ero. Falsus equus in salutem*. Propterea ei dicam: *Salvum me fac & salvus ero*. Et hoc ita gaudebo loqui, si omni renuntians gloriæ sæculari potero & reliqua dicere: *Quoniam* * *gloria mea tu es*: aut cum complevero mandatum in quo præcipitur: *Non glorietur sapiens iu sapientia sua, neque fortis in* * *virtute sua, neque dives in divitiis, sed in isto glorietur qui gloriatur, intelligere & scire, quia ego sum Dominus*. Beatus itaque qui renuntiaverit omni gloriæ quæ deorsum est, veluti super nobili genere, super pulchritudine & corporalibus bonis, super divitiis & jactatione. Beatus qui, [b] contemta vana gloria, dicit ad Dominum: *Quoniam* * *gloriatio mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est sermo Domini? veniat. Ego autem non laboravi subsequens post te*. Jesus tibi dixit: *Tolle crucem tuam, & veni, sequere me*. Et: *Qui non reliquerit patrem aut matrem, & sequutus* * *fuerit me, non est dignus meus esse discipulus*. Si igitur talis fueris, ut semper Christum sequaris quanto plus sequutus fueris, tanto minus laborabis. Non enim lassitudo erit in Jacob, neque apparebit dolor in Israel. Propterea dixit, ut non laboremus ulterius, laborantes antequam inceperimus eum sequi: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Si laborantes venerimus ad Jesum, & eum fuerimus sequuti, tunc dicere poterimus: *Ego autem non laboravi subsequens post te, & diem hominis non concupivi*. Est quædam dies hominis: est quædam dies Domini, id est, dies resurrectionis, quam omnis sanctus desiderat, non illam de qua scriptum est: *Væ eis qui desiderant diem hominis. Nam dies ista est tenebræ, & non lux*. Quis est qui possit dicere: *Et diem hominis non concupivi?* Explanatio verbi convincit nos, quia diem concupiscamus hominis. Frequenter quippe ægrotantes, cum in phantasmate esse febrium ceperimus, & mortis limine urgeri, ad eos qui nos visitant fratres lassas manus attollimus, orantes eos, ut pro nobis Dominum deprecentur, atque dicentes: Roga mihi aliquod vitæ spatium, roga ut aliquantisper in hac luce permaneam. Ista memorantes, non diem sanctum Domini, sed diem hominis desideramus. Quapropter, longæ vitæ amore deposito, & desiderio humanæ diei, quæramus illam diem videre, in qua participes ejus beatitudinis, quæ in Christo est, efficiamur, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Marginal references: Jer. 1. 13. — Jer. 2. 13. (a) — Joan. 6. 68. — Jer. 17. 10. 15. 16. — Matt. 9. 12. — Luc. 8. 43. — Psal. 32. 17 — * al. laus — Jer. 9. 23. — * al. fortitudine — * al. laus, Jer. 17. 15. 16. (b) — Mat. 16. 24. — Luc 14. 26 — * al. non fuerit — Matt. 11. 28. — Amos 5. 18.

[a] Desunt in Genebrardi editione verba, *&, nunc, quia dereliquerunt fontem vitæ*.

[b] In Græco ἀρχόμενος. Vertit Hieronymus: *qui contemta vana gloria*; quod ipsum habet unus Regiæ Biblioth. Codex. Alter habet: *qui contemnens vanam gloriam*. Quid si legamus: *qui contentus una gloria*? Sane id oratio Græca postulat, & facile inde Vulgata lectio detorta est. HUETIUS.

HOMILIA

HOMILIA QUINTA

De eo quod ſcriptum eſt: *Qui fecit terram in fortitudine ſua*. Jerem. X. 12.

TRes quodammodo virtutes aſſu- A mens Propheta, fortitudinem, ſapientiam, atque prudentiam, unicuique earum propria opera diſtribuit: fortitudini terram, ſapientiæ orbem terrarum, prudentiæ cælum. Audi quippe Scripturæ ordinem: *Dominus qui fecit terram in fortitudine ſua, & erexit orbem in ſapientia ſua, & in ſua prudentia extendit cælum*. Et nos igitur in
Gen. 3. noſtra terra (dictum eſt quippe ad Adam: *Terra es*) neceſſariam habemus B fortitudinem Dei, quia abſque ea impoſſibile nobis eſt exequi quod carni repugnet.
Col. 3. Rom. 8. Cum autem mortificata fuerint membra ſuper terram, tunc parent ſpiritus voluntati. Siquidem juxta Apoſtolum, ſpiritu geſta carnis mortificantur. *Dominus ergo qui fecit terram in*
Job. 26. 7. *fortitudine ſua*. Si autem & ad hanc terram venias, & conſideres id quod in Job ſcriptum eſt, juxta emendatiſſima tamen exemplaria, quomodo ſtatuerit C eam ſuper nihilum, inveniens fortitudinem Dei in medietate mundi, terræ libram ſuſtinere. Veniam vero ad orbem
a terrarum, qui Græce οἰκουμένη nuncupatur, id eſt, [a] *inhabitata*. Scio animam meam inhabitatam, ſcio animam deſertam. Si enim non habet Filium dicentem: *Ego &*
* al. eam Joan. 14. 23. *Pater meus veniemus ad* * *eum, & manſionem apud eum faciemus*; ſi non habet Spiritum ſanctum, anima deſerta eſt. Habitata autem eſt, quando plena eſt Deo, D quando habet Chriſtum & Spiritum ſanctum. Verum hæc differenter & varie in Scripturis dicuntur, in anima hominis Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum commorari. Nam & David in Pſalmo confeſſionis tres ſpiritus poſtu-
Pſal. 50. lat, dicens: *Spiritu principali confirma me. Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Spiritum ſanctum ne auferas a me*. Qui ſunt iſti tres Spiritus? Principalis Spiritus, Pater eſt: Spiritus rectus, Chriſtus: Spiritus ſanctus, Spiritus Sanctus eſt. Hæc ad probationem ejus rei diximus, quod [b] habitatus eſt orbis terrarum in ſapientia fabricantis eum. *Sa-* b Eccl. 7. 20. *pientia quippe auxiliabitur juſto ſuper decem poteſtatem* [c] *habenti civitates. Sapien-* Sap. 3. 11. *tiam autem & diſciplinam qui abjicit, infelix eſt, & vana ſpes ejus: & labores ejus inſenſati, & inutilia opera ejus*, ait Sapientia, quæ titulo inſcribitur Salomonis. Idcirco quantum poſſumus, * * al. laborare laborare nitamur, ut habitata [d] noſtra d a ſapientia Dei erigatur. Cecidit quippe, & de ſublimi corruit, venientibus * nobis in locum iſtum miſeriarum. * al. noſtr. Cecidit habitata [e] noſtra poſtquam pec- e cavimus, inique fecimus, injuſte egimus, impie geſſimus, & poſt ruinam indiget erectione. Si autem non vis iſta ſententia adduci, communem totius orbis quæramus ruinam, ut poſt caſum ejus conſequenter Deus erigens prædicetur. Quiquumque eſt in iſto orbe, ante erectionem cecidit. Si autem cecidit, conſequenter erigendus fuit: nemo quippe ſine caſu ſublevatur. Si autem erectus eſt, videamus quæ ruina præceſſerit. Omnes corruimus per peccatum in * orbem terrarum. Et Dominus qui erigit eliſos, elevavit nos jacentes. In * al. orbe Pſal. 44. Adam omnes morimur: atque ita corruit orbis terrarum, & indiget erectione, ut in Chriſto omnes vivificemur. Igitur duplicem intellectum de orbe tradidimus: unum quomodo ſingulæ animæ, aut habitatæ ſint, aut deſertæ: alterum quomodo univerſus orbis

[a] Vulgati *inhabitatus*. At ſequiori genere Rabanus juxta Græcum, ut & Origenem & Hieronymum continuo accepiſſe inferius conſtabit.

[b] Penes Raban. *quod habitata, ideſt, orbis terrarum in ſapientia Dei fabricata ſit*. Nec valde abludunt R. mſſ. penes Huetium, *orbis terrarum in ſapientia Dei fabricatus ſit*. Concinit Rabanicæ inprimis lectioni Græcus, τὴν οἰκουμένην οὐκ ἄλλως γινομένην ἢ ἐν τῇ σοφίᾳ τοῦ Θεοῦ.

[c] Rabanus *ſuper decem poteſtatem habentes in civitate*, preſſius ad Græcum, ὑπὲρ δέκα ἐξουσιάζοντας, τοὺς ὄντας ἐν τῇ πόλει.

[d] Expunximus hinc vocem *anima*, quam vulgati libri contra auctoris mentem interſerebant. *Habitatam noſtram* vocat Origenes mundum noſtrum, nec inficior proprie mentem, ſive animam debere intelligi; ajo autem, neque in Græco haberi ψυχὴν, neque in Latina Hieronymi interpretatione lectum a Rabano *animam*.

[e] Iterum vocem *anima* hinc ammovimus, quam neque Origenes, neque Hieron. juxta puriorem Rabani lectionem habet. Quid ſit *habitata noſtra* juxta Origenis ſenſum diximus.

orbis pariter ceciderit. *Et in sua prudentia extendit cælum.* Non fortuito sapientia in cæli * extensione assumpta est: invenies & in Proverbiis dictum: *Dominus sapientia fundavit terram, præparavit cælos prudentia.* Est ergo aliqua prudentia Dei, quam nolo ut extra Christum requiras. Omnia quippe quæ sunt Dei, Christus est: ipse sapientia ejus, ipse fortitudo, ipse sanctificatio, ipse justitia, ipse sanctitas & redemptio, ipse, ut ad præsens veniam, etiam prudentia. Sed cum sit unum in subjacenti pro varietate sensuum diversis vocabulis nuncupatur. Aliud significat sapientia, aliud justitia. Quando enim sapientia [a] dicitur, disciplina ista divinarum rerum humanarumque institutio, quando justitia, distributor & judex meritorum significatur. Quando sanctitas, illa virtus describitur, quæ credentes Deo efficit sanctos. Ita ergo [b] mihi & prudentia ejus intelligitur doctrina & demonstratio bonarum ac malarum rerum, sive neutrarum, atque in hunc modum extendisse nunc dicitur cælum in prudentia. Quomodo autem extendatur cælum, extendente eum prudentia: *Audi quoniam extendi verba, & non * intendisti.* Afferit quippe, extensionem quandam esse verborum similiter ut nunc dicitur cæli; juxta illud quoque quod in alio loco scriptum est: *Qui extendit cælum ut pellem.* Extenditur autem anima nostra, quæ prius fuerat contracta, ut possit capax esse sapientiæ Dei. Verum ut ad propositum revertamur, diximus quod prudentia [c] ejus cælum factum sit, & nunc affirmamus eos qui cælestem hominem portant, esse [d] cælos. Si enim ad peccatores dicitur: *Terra estis, & in terram ibitis*; quare non dicatur ad justum, cujus est regnum cælorum, Cælum es, & in cælum ibis? [e] Aut si propter choicum dicitur ei qui portat imaginem choici, id est terreni; *Terra es*, & in terram ibis*; cur propter cælestem, ei qui imaginem cælestis portat, non conveniat dici: Cælum es, & in cælum ibis? Unusquisque autem nostrum, aut cælestia facta habet, aut terrena: si terrena facta sunt, ad cognatam sibi terram deducunt eum qui thezaurizat ea in terra, & non in cælo. Rursumque hæc quæ juxta virtutem gesta sunt, thesaurizatorem suum ad propinquas sibi cælorum regiones subvehunt. Et junxit: *Educens nubes ab extremo terræ.* Istiusmodi disputatio & in Psalmo nuper incidit, & dictum est a nobis, quomodo Deus eduxerit nubes ab extremo terræ. Quod quidem nunc rursum cogimur retractare, ut hi qui audierunt, plenissime quæ sciunt reminiscantur, & hi qui non interfuerunt, aut obliti sunt, textum sermonis agnoscant, quem tunc, prout valuimus, exhibuimus. Diximus autem sanctos esse nubes. Etenim hoc quod scriptum est: *Veritas tua usque ad nubes*, non potest referri ad inanimales nubes: sed veritas Dei usque ad illas nubes est, quæ audiunt mandatum Domini, & noverunt quo pluvias [f] deferant, & a quibus eas suspendant. De his nubibus dictum est: *Et mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem.* De his enim quæ ex * denso aere dicuntur constare, si non fuerit pluvia, non præcepit Deus ne pluant super vineam, aut quamquunque regionem imbrem; sed omnino non apparent, ut in tertio Regnorum libro legimus: quando in tempore siccitatis nubes nulla apparuit, & postea juxta prophetiam Eliæ futuræ pluviæ signum in vestigio hominis ostensum est, atque ita post nubem conglobatam imber descendit ad terras. Istis vero quasi subsistentibus * nubibus jubetur pluviam continere, cum indigna fuerit anima imbre cælesti & dicitur: *Mandabo nubi-*

* al. ostensione
Prov. 3. 19.
Prov. 1. 2.
* al. attendisti.
Psal. 103. 2.
Gen. 3. 19.
Psal. 134. 7.
Psal. 35. 6.
Isai. 5. 6.
* al. densato
Psal. 76.
3. Reg. 18.
* al. nebulis
Psal. 77.

a Rectius penes Raban. *quando sapientia dicitur, disciplinis te divinarum humanarumque rerum instituit.* Græce est: ὅτε μὲν γὰρ σοφίαν, τὴν ἐπιστήμην λαμβάνῃς τῶν θείων καὶ ἀνθρωπίνων· ad verbum: *Quando sapientiam, disciplinam accipis humanarum divinarumque rerum.*

b Msf. R. teste Huetio, & Rabanus legunt: *Ita ergo hic prudentiam ejus intellige cum doctrina est & demonstratio*: omnino proprius ad Græcum & verius.

c Antea incongruo atque Auctoris menti contrario sensu legebatur, *quod prudentia hujus sæculi in malum sit.* Lectionem, quam nos restituimus, *quod prudentia ejus cælum factum sit*, suppeditavit Raban. probatque unus apud Huetium Regius msf. alter enim paululum abludit, *quod prudentia sæculum factum sit.* Evicit autem ita rescribendum cum orationis series, tum præcipue Græcus Origenis textus, ἐλέγομεν περὶ τοῦ τὸν οὐρανὸν ἐν φρονήσει γεγονέναι.

d Ita Rabanus, quin ipse etiam Origenes, καὶ αὐτοί εἰσιν οὐρανός. Falso antea legebatur, *cælestes.*

e Istæc verba, *aut si propter choicum*, quæ in vulgatis hactenus deerant, ex Rabano suffecimus, cogente ipso Græco Adamantii textu, ἢ διὰ μὲν τὸν χοϊκόν. Paulo post glossema, *id est terreni*, recte ius ad libri oram amandabis. Cætera etiam ejus periodi verba ex iisdem Rabano & Græco emendavimus. Pro *cur propter cælestem ei*, erat *quapropter cælesti &*: um *convenit* pro *non conveniat*, sub interrogandi nota.

f Vitiose penes Rabanum *quod* pro *quo*, & penes Huetium *differant* pro *deferant*; quæ ipsa menda de restituenda lectione nos monuerunt; optime vero Græcus τοῦ ἐκπέμπουσιν ὑετόν.

*al. Ita. nubibus ne pluant super eam imbrem. * Itaque unusquisque sanctorum nubes est. Deut. 32. 1. Moyses nubes erat, & quasi nubes loquebatur: *Attende, cælum, & loquar, & audiat terra sermones ex ore meo.* * *al. Expectet. *Exspectentur ut pluvia verba mea.* Si non fuisset nubes, numquam dixisset: *Exspectentur ut pluvia verba mea, & descendant ut eos eloquia mea.* Quasi nubes dicebat: *Ut imbres super gramen, ut* * *al. pluvia *pruina super fœnum, quia nomen Domini invocavi.* Similiter & Isaias ut nubes Isai. 1. loquebatur: *Audi, cælum, & auribus percipe, terra, quoniam Dominus loquutus est.* Et quia ipse nubes erat, & sciebat alias nubes comprophetantes sibi, ideo vaticinans ajebat: *Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem.* Si autem jam didicimus qui sunt nubes videamus quomodo Deus educat nubes ab extremo terræ. Ait Salvator: Marc. 9. *Qui vult in vobis esse primus, sit omnium novissimus.* Servavit hoc mandatum Paulus, & fuit novissimus in hoc mundo dicens: 1. Cor. 4. *Puto enim Deus nos Apostolos novissimos ostendit, quasi mortificatos;* * *al. Quasi *quia spectaculum facti sumus in hoc mundo Angelis & hominibus.* Si quis ergo sanctus custodiens præceptum Salvatoris factus fuerit in hac vita novissimus, iste fit nubes; & educit Dominus nubes non a primis terræ, non a Consulibus, non a [a] ducibus, non a divitibus: Mat. 5. *Beati enim pauperes, quoniam vestrum est regnum cælorum.* Vides quomodo ab extremis educat Deus [b] & corporet nebulas? Propterea si volumus nubes fieri, ad quas perveniat veritas Dei, novissimi omnium fiamus, & tam affectu, quam * opere dicamus: *al. or. *Puto enim nos Deus Apostolos novissimos ostendit.* Quod si non sim Apostolus, licet tamen mihi fieri extremum, ut educens nubes Deus ab extremo terræ, educat me. Ps. 134. 7 *Et fulgura in pluviam fecit.* Ajunt naturalium caussarum scrutatores, quia fulgura ex nubium collisione generentur, in morem silicum duriorum, quos cum comploseris sibi, medius ex his elabitur ignis; atque ita cum fulgure pariter & tonitrua mugire; tonitruo scilicet sonitum indicante [c] concussus, & fulgure

A excussi luminis claritatem. Si intellexisti exemplum: considera nunc nubes rationales. Moyses nubes erat: Jesus Nave nubes erat: isti si secum * loquantur, ex sermonibus eorum fulgura micant. *al. colloquantur. Jeremias & Baruch nubes erant, sermocinentur invicem, & videbitis rutilare fulgura,. Potes & tu ipse de Scripturis sanctis in hunc modum [d] invenire concursus, ex quibus ignis emittatur. Ut autem ad Novum Testamen-

B tum venimus, Paulus & Silvanus duæ nubes in unum convenerunt, & ecce totum mundum Epistolæ eorum fulgore illuminant: *Fulgura in pluviam fecit, & eduxit ventos de thesauris suis.* Ps. 134. 7. Ergone hi venti qui super terram perflant in thesauris Dei sunt, & non horum est natura manifesta, quomodo & qua ratione subsistant? Sed sunt quidam ventorum thesauri, thesauri spirituum, * *al. thesauri. Spiritus sapientiæ & intellectus, spiri-

C tus consilii & virtutis, spiritus scientiæ & pietatis, spiritus timoris Dei, fortitudinis, & dilectionis & caritatis. Potes & ipse de Scripturis hos ventos congregare, & istorum spirituum invenire thesauros. Ubi sunt isti thesauri? utique [e] in quo sunt thesauri scientiæ absconditi: in Christo sedem habent. Inde oriuntur hi spiritus, ut alius sapiens sit, alius fidelis, alius eruditus, & alius * aliud donorum Dei *al. quodcunque. 1. Cor. 12.

D possideat. *Alii enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ juxta eundem spiritum, alii fides in eodem spiritu. Eduxit ergo nubes ab extremo terræ, & fulgura in pluviam fecit, & eduxit ventos de thesauris suis,* & juxta misericordiam Dei ad hos thesauros nos occursuros * speramus. *al. putamus. Et quia plures sunt thesauri, forte juxta ordinem resurgentium erit & requies in thesauris Dei. Quod autem dico istiusmodi est:

E Resurrectio mortuorum in quibusdam ordinibus futura est. Ait quippe Apostolus: 1. Cor. 15. *Unusquisque autem resurget in suo ordine,* & non ut libet miscentur ordines resurgentium: alius ordo erit in illo & in illo thesauro Dei, & alius ordo in alio & in alio thesauro Dei. Isti omnes thesauri unum habent the-

[a] Hactenus obtinuit *judicibus*, dissentiente Græco ἀπὸ ἡγουμένων, & vetere Rabani lectione.

[b] Falso & incongruo sensu vulgati hactenus præferebant *has corporeas nebulas*, pro *& corporet nebulas*, quod ex Rabani testimonio nos substituimus clamante Græco Adamantii καὶ σωματοποιεῖ, quod est, *in corpus cogat*, sive *corporet*.

[c] Scilicet *concussionis*, sive *collisionis*. Rabanus *concursus* legit: antea erat *concussum*; tum vero malim *sonitu* pro *sonitum*.

[d] Haud male interserit Rabanus *nubium*. Alia est in Græco sententia.

[e] Raban. *utique in eo, in quo sunt thesauri scientiæ absconditi.*

Coloss. 2.3. thesaurum, *in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. Et quomodo possideo unam & pretiosissimam margaritam per plures alias margaritas: sic venio ad thesaurum thesaurorum, & Dominum dominorum, & regem regum, cum dignus fuero spiritibus in Dei thesauris commorantibus. *Eduxit enim ventos de thesauris suis*. Psal. 13. *Infatuatus est omnis homo ab scientia*. Jer. 10.14. Si omnis homo infatuatus est ab scientia, & Paulus homo est, Paulus infatuatus est ab scientia. 1. Cor. 13. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Infatuatus ab scientia, videns per speculum, videns in ænigmate, portiunculam quamdam videns, & si sic expedit dicere, ipsius quoque portiunculæ partem minimam recognoscens. Econtrario autem [a] intelliges quid sit: Matt. 10. *Infatuatus est omnis homo ab scientia*. Comparatione peccatorum Jerusalem, Sodomorum peccatum justitia est. *Justificata est enim*, ait, *Sodoma ex te*. Quomodo ergo non habent justitiam Sodomorum peccata per se, sed ad collationem majorum scelerum justificantur: sic econtrario scientia Pauli ad illam cælestem scientiam, ad illum consummatum * rationis intellectum stultitia reputatur. (* al. lectionis) Eccles. 7.14. *Idcirco infatuatus est omnis homo ab scientia*. Tale quiddam Ecclesiastes, ut arbitror, deprehendens effatus est: *Dixi*, [b] *sapientia efficiar, & ipsa elongavit se a me longius quam erat*. * *& alta profunditas, quis inveniet eam?* (* al. o) Volumus quiddam (* si licet) audenter dicere: (* al. audenter licet) quoniam hoc quod descendit in mundum, evacuavit seipsum, ut evacuatione ejus mundus compleretur. Si autem hoc quod descendit in mundum evacuavit se, evacuatio ipsa sapientia est: 1. Cor. 1.25. quoniam quod *fatuum est Dei, sapientius est hominibus*. Si * ego dixissem (* al. ergo) fatuum Dei, quomodo aucupes sermonum meorum, & semper dediti ad criminandum, venenatas in me linguas vibrarent? Nunc vero Paulus quasi sapiens, & potestatem habens Apostolicam, ausus est dicere, omnem sapientiam terrenam, quæ in se, quæ in Petro, quæ in cæteris Apostolis erat, quæ in istum mundum descenderat, stultitiam esse Dei: ad comparationem quippe illius sapientiæ, quam terrenus non capit locus: ad illam sapientiam quæ cælestis est, quæ mundi limitem excedit, hoc quod descendit ad homines fatuum Dei est. Verum idipsum fatuum Dei sapientius est hominibus: quibus hominibus? non utique stultis, sed sapientibus: dicas licet [c] sapientes sæculi istius, sive principes, sive vates istis sapientibus sæculi, hoc quod exposuimus: *Fatuum Dei sapientius est hominibus*. Mirabile quiddam volumus inserere: quoniam *sapientia mundi stultitia est apud Deum*, & infatuavit Deus sapientiam mundi. 1. Cor. 1. [d] Nam in sapientia sua infatuavit sapientiam mundi: nec potest capere sapientiam Dei sapientia mundi, ut esse stultitia arguatur. Neque enim dignatur sapientia Dei ad mundi sapientiam [e] convincendam tota descendere, sed potius [f] modicum quod necessarium fuit, quod fatuum Dei erat, ut hoc parvo & fatuo Dei infatuaretur sæculi sapientia. [g] Non enim valebat sæculi sapientia magnitudinem in se venientis sapientiæ impotens sustinere. Verum exemplum interponamus, ut perspicue possit intelligi quomodo fatuum Dei stultam fecerit sapientiam mundi: fingam paulisper me, qui aliquid putor [h] nosse, cum insipiente aliquo, & inerudito conferre sermonem, qui nihil intelligat, nihil

[a] Mss. Regii penes Huetium, *intelligeres*: ipse autem *intelligis* legit.

[b] Penes Raban. *sapiens efficiar*. In Græco est σοφισθήσομαι.

[c] Sic præter Raban. mss. quoque Regii penes Huetium legunt: tametsi ille vulgatam lectionem retinuit, *sapientibus sæculi istius, sive principibus, sive vanis istis* &c. quæ ut in cæteris bene habeat, in eo certe falsa est, quod *vanis* pro *vates* legit. Optime enim Græcus textus, καὶ τοὺς σοφοὺς εἴτε τοῦ αἰῶνος τούτου, εἴτε ἄρχοντας, εἴτε προφήτας, τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου τὸ μωρὸν τοῦ θεοῦ &c.

[d] Istæc pericope, *Nam in sapientia sua infatuavit sapientiam mundi*, in hactenus vulgatis deerat, estque in promtu arbitrari quod ob ejusdem *mundi*, in quam vocem desinit, recursum, ab Antiquario fuerit solenni lapsu prætermissa. Manifesto enim nedum Rabanus legit, sed & mss. Regii penes Huetium: quamquam hi gravius in sequentibus peccant. Expresse autem, quod rei caput est, in Græco scripsit Origenes, ἅμα ἐν σοφίᾳ ἐμώρανε τὴν σοφίαν τοῦ κόσμου, καὶ οὐ δύναται χωρῆσαι τὴν σοφίαν, ἵν' ἐλεγχθῇ μωρὰ εἶναι ἡ τοῦ κόσμου σοφία. Quæ reddas Latine, *utique in sapientia infatuavit sapientiam mundi, nec potest capere sapientiam* (sup. *Dei*) *ut stultitia esse arguatur, sapientia mundi*. Quamobrem & mox suffecimus ex eodem Rabano voces *sapientiam Dei*, quæ deerant, incommodo sensu atque hiulco: nunc præter Rabani testimonium Græcique textus auctoritatem ipsa orationis series optime restiturum locum probat.

[e] Corrupte in vulgatis obtinebat *commiscendam*, pro *convincendam*, quod ex Rabano restituimus, clamante Græco textu ἵνα ἐλεγχθῇ.

[f] Mss. Regii penes Huetium, *sed potius modicum, hoc est, incarnationis sacramentum. Quid necessarium fuit*.

[g] Sufficiunt hæc verba quæ in antea vulgatis deerant imperfecto aut nullo sensu: *non enim valebat sæculi sapientia*, post Rabanum mss. quoque Regii penes Huetium, Græco ipso textu suffragante.

[h] Antea legebatur *esse*, dissentiente Græco εἰδέναι. Rabanus castigat, *nosse*.

hil acutæ disputationis interroget. A Numquidnam opus mihi est ad illius stultitiam [a] arguendam, dialecticam calliditatem, & profundorum sensuum acumen adhibere? Nonne ad unius sermunculi jactum vilis & modici, qui tamen illius intelligentiæ videatur acerrimus, fatuum eum & insipientem esse convincam? Sic igitur ad mundi sapientiam stultificandam non est opus sapientiam Dei descendere, & cum ea colluctari, quæ deorsum est sapientia, sed sufficit fatuum Dei: quoniam *fatuum Dei sapientius est hominibus, & infirmum Dei fortius hominibus*, & omnia contraria Salvator meus & Dominus assumpsit, ut contrariis dissolvat contraria, & nos confirmemur ab infirmitate * ejus, & sapientes efficiamur a fatuo ejus, & in * hoc introducti possimus ascendere ad sapientiam & virtutem Dei, Jesum Christum Dominum nostrum, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen. * al. Jesu * al. hac

HOMILIA SEXTA

Sermo qui factus est ad Jeremiam a Domino, dicens: Audi verba Testamenti hujus. Jerem. 11. 1.

Usque ad eum locum in quo dicitur: *Conversi sunt ad iniquitates patrum suorum*. Ibid. 10.

Juxta historiæ quidem veritatem non B negamus præsentiam Domini nostri Jesu Christi corporaliter factam, & toti mundo illuxisse, quando *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Oportet autem nosse, quoniam & antequam corpus assumeret, ad sanctos quoque descendit: & post hanc præsentiam corporalem ad cælos victor ascendens, rursus ad nos veniet. Si vis hujus rei capere argumentum, ausculta, quod dicitur: *Sermo qui factus est super Jeremiam a Domino, dicens: Audi*, & reliqua. Quis enim est hic sermo qui factus est a Domino, sive ad Jeremiam, sive ad Isaiam, sive ad quemlibet Prophetarum? An ille est qui erat in principio apud Deum? Ego nescio aliud verbum Domini præter ipsum, de quo dicit Evangelista: *In principio erat * Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Hoc autem scire debemus, quia hæc sit utilitas credentium, si sermo ad singulos quosque fiat. Quid mihi enim prodest si descendat in mundum, & ego ipsum non habeam? E diverso autem etiam si ad universum mundum non veniat, & ego similis fuero Prophetarum, habeo ipsum. Dicam autem, quia & ad Moysen, & ad Jeremiam, & ad Isaiam, & ad singulos quosque sanctorum idem sermo commeaverit: & illud quod a Domino Discipulis dictum est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, opere servatum est ante adventum suum, quem omnibus manifestavit. Erat quippe cum Moyse, cum Isaia, cum omnibus sanctis. Quomodo enim poterant effari sermonem [b] Dei sine ipsius sermonis adventu? Hæc autem nos qui Ecclesiastici sumus, magis debemus advertere, qui volumus eundem Deum esse Legis, & Evangelii, ipsum Deum & antiquitus, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum, Amen. Sunt quidam qui opinione sua veterem divinitatem ab ea quæ in Christo annuntiatur, dividant. Nos unum novimus Deum, & in præterito, & in præsenti, unum Christum & tunc & modo similiter, & unum Spiritum Sanctum, cum Patre, & Filio sempiternum. Hæc propter hoc, quod lectum est: *Sermo qui factus est super Jeremiam a Domino dicens*: quid ergo dicat, & nos audiamus. *Audite verba testamenti hujus, & loquimini ad viros Juda, & * inhabitantes Jerusalem*. Viri Juda nos sumus propter Christum, nec dubium est, * quod Dominus noster ex Juda ortus sit. Nomen quoq; ipsum Juda si juxta Scripturas probavero ad Christum referri, [c] viri Juda

Joan. 1. 14. — Joan. 1. 1. — * al. sermo — Matth. 28. — * al. inhabitatores — * al. quia

[a] Apud Raban. *ad illius stultitiam coarguendam dialectica artis & profundorum &c.*

[b] Vulgati hactenus manco atque imperfecto sensu, *sermones sine Dei ipsius adventu*: nos, *sermones Dei, sine ipsius sermonis adventu* restituimus, facem præferente Græco textu, πῶς δύνανται ἐκεῖνοι λόγον Θεοῦ λελαληκέναι, τοῦ λόγου τοῦ Θεοῦ μὴ ἐπιδημήσαντος αὐτοῖς; & Rabano totidem verbis repositam lectionem approbante.

[c] Supplevimus vocem *viri*, quæ deerat, tum ex Rabani lectione, & Græco, ἄνδρες Ἰούδα, cum ex ipsiusmet Huetii conjectura.

Juda non erunt increduli Christo Judæi, sed nos qui in Christo credimus. Gen. 48. 8. *Juda, te collaudant fratres tui: manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum.* Te laudant. Non illum Judam filium Jacob fratres sui laudaverunt, sed nunc Judam laudant fratres sui. Ait quippe iste Judas: Ps. 21. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ* [a] *cantabo tibi.* Dicitur ad illum Judam: *Manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum.* Ubi reperitur ille Judas super dorsum inimicorum suorum manus suas posuisse? Historia nihil de eo tale conscripsit. Si autem consideres adventum Domini * mei Jesu Christi, destruenti Zabulum, exspoliantis principatus & potestates, ostentui eos facientis, & triumphantis in ligno, videbis quomodo super istum Judam completa sit prophetia dicens: *Manus tuæ super dorsum inimicorum tuorum.* Et nunc cum ad viros Juda sermo fit, nulli dubium est quin ad Christianos sermo fiat propter Christum, qui ex tribu Juda natus est. Fit quoque sermo & ad inhabitantes Jerusalem, scilicet ad eos qui in Ecclesia habitant. Hæc est civitas magni Regis, hæc est visio pacis. Pax quippe in nobis, si tamen filii pacis sumus, multiplicatur & cernitur. Jer. 11, 2, 3. *Audite* ergo *verba testamenti hujus, & loquimini ad viros Juda, & inhabitantes Jerusalem, & dicetis ad eos: Hæc dicit Dominus: Maledictus homo qui non audierit verba testamenti hujus, quod mandavit patribus vestris.* Quis magis audit verba testamenti, quod mandavit [b] Deus patribus? Nos qui in Christo credimus, an illi qui nec Moysi crediderunt, dum in Christo non credunt? ad quos Salvator ait: Joan. 5. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi, de me enim ille scripsit: Si autem literis illius non creditis, quomodo verbis meis credituri estis?* Itaque illi * Moysi non crediderunt, nos vere credentes in Christo, credimus testamento, quod traditum est per Moysen, & ad nos dicitur, ne maledicti fiamus: *Maledictus homo qui non audierit verba testamenti hujus, quod mandavit patribus vestris.* Ergo illi maledicti sunt, neque enim audierunt testamentum, quod mandavit Deus patribus: *In die*, inquit, *qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea.* [c] Et nos eduxit Deus de terra Ægypti de fornace ferrea: maxime juxta intelligentem id, quod scriptum est in Joannis Apocalypsi, quia locus, ubi crucifixus est Dominus, vocetur spiritualiter Sodoma & Ægyptus. Si enim spiritualiter Ægyptus quispiam nominatur, & non est Ægyptus secundum intelligentiam corporalem: haud dubium est, quin si intellexeris Ægyptum spiritualem, & exieris de ea, tu sis egrediens ex terra Ægypti de fornace ferrea, & tibi dicatur: *Audite vocem meam, & facite juxta hæc omnia.* Deinde repromissio Dei est ad audientes, si fecerint quæquunque præceperit Dominus dicens: *Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Jer. 11. 4. Non omnis qui se populum Dei dicit esse, populus Dei est. Judæorum populus populum se venditans Dei, meruit audire, *Quia non populus meus vos*: & dictum est ad eum: *Non populus meus.* Et rursum iste populus vocatus est [d] non populus: *Ipsi enim æmulati sunt me*, inquit, *super non Deum.* Deut. 32. 21. De illis dicit: *Irritaverunt me in idolis suis, & ego æmulabor eos super non gentem. In gentem autem insipientem irritabo eos.* Nos igitur in populum Dei facti sumus, & annuntiatur justitia populo, qui nascetur de Gentibus. Iste enim populus subito nascitur: & in Propheta scriptum est: *Si nata est Gens in semel.* Act. 4. 4. Quando Salvator ascendit ad cælos, & crediderunt una die quinque millia, & alia die addita sunt tria millia: vere tunc fuit cernere populum in semel natum sermone Dei, & repente sterilem, parturientem, ad quam dicitur: *Lætare, sterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quia plures filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Gen. 4. 4. Deserta Ecclesia a Lege, deserta a Deo erat. Habens autem

* al. nostri 1. Cor. 15. 24.

* al. in Moysen

[a] Penes Raban. *hymni sacrificabo te*, leg. fort. uno verbo *hymnificabo*, ad Græc. ὑμνήσω.

[b] Deerat nomen *Deus*, quod Raban. & Græc. supplent. Levia quædam id genus sæpe alibi restituimus.

[c] Verba, *Et nos eduxit Deus de terra Ægypti, de fornace ferrea*, cum in hactenus vulgatis deessent, duæ periodi, nullo constanre sensu, in unam coaluerant. Recursus ejusdem vocis *ferrea*, ut quæ inter utramque sunt verba Antiquarius solenni errore præteriret, in caussa fuit. Verum ut nihil de aliis Editoribus dicam, Huetium saltem monere debuerat Græcus, quem in adversa columna excudit, textus, Καὶ ἡμᾶς ἐξήγαγεν ὁ Θεὸς ἐκ τῆς Αἰγύπτου, ἐκ τῆς καμίνου τῆς σιδηρᾶς, μάλιστα κατὰ &c. Quæ totidem verba Latine sonant, *Et nos eduxit Deus* &c. Nos ex Rabano præterea suffecimus: & superius quoque Scripturæ testimonium pristinæ integrirati reddidimus.

[d] Nihil dubitavimus ad rei veritatem, & S. Doctoris mentem, quin ipsum quoque Origenem in Græco οὐ λαός, quæ deerat, negandi particulam, *non populus*, heic supplere: tametsi illam in Latinis codicibus non invenerimus.

autem virum Synagoga Legem habebat & Deum. Quid ergo pollicetur Deus? *Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Non est omnium Deus, sed eorum tantum quibus se [Gen. 17. 1.] largitus est, quomodo Patriarchæ illi ad quem dicit: *Ego sum Deus tuus*: & [Exod. 29. 45.] rursum alii: *Ego Deus ero Deus tuus*: necnon de aliis: *Ero*, inquit, *Deus eorum*. Putasne aliquando consequimur id quod per singulos dico, ut Deus omnium fiat Deus noster. Si autem vis plenius discere, quorum sit Deus, & quibus vocabulum sui nominis lar- [Exod. 3. 6.] giatur: *Ego*, inquit, *Deus Abraam, & Deus Isaac, & Deus Jacob*: idque ipsum [Luc. 20. 38.] exponens Salvator ait: *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum*. Quis est mortuus? Utique peccator, qui non [Joan. 11. 25] habet dicentem: *Ego sum vita*, qui habent mortua opera, qui necdum pœnitentiam egit ab operibus mortuis: de [* al. quibus] [Heb. 6. 1.] * quo Apostolus ait: *Non rursum fundamentum jacientes pœnitentiæ ab operibus mortuis*. Si ergo Deus non est Deus mortuorum, sed viventium: & scimus esse viventem eum qui conversatur in Christo, ut fiat particeps ejus: & si volumus ut & Deus noster sit, renuntiemus operibus mortuis, ut pollicitationem suam in nobis com- [Jer. 11. 4.] [* al. suscitem testimonium quod &c.] pleat dicens: *Et ero vobis in Deum, ut * statuam juramentum meum, quod juravi patribus vestris * dare illis ter-* [* al. daturum me] *ram fluentem lac & mel.* Observa quid dicat: *Statuam juramentum, quod juravi patribus vestris, dare illis terram fluentem lac & mel.* Hæc enim non est terra [Matt. 5. 4.] de qua Salvator docuit dicens: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Deinde ad hæc quæ dixerat Deus, Prophe- [Jer. 11. 3.] ta respondit, id est ad id quod ait: *Maledictus homo qui non audierit verba testamenti hujus*: & dicit: *Et respondi, & dixi: Fiat, Domine.* Quid est quod ait: [Jer. 11. 6.] *Fiat, Domine?* Utique id quod pronuntiavit Deus: *Maledictus homo qui non audierit verba testamenti hujus. Et dixit Dominus ad me: Lege verba ista in civitate* [a] *Juda, & extra Jerusalem.* [a] Et his qui

A foris sunt, legimus verba divina, provocantes eos ad salutem. *Verba testamenti hujus, & facite illa. Et dixit Dominus ad me: Inventa est colligatio in viris Juda & in habitantibus Jerusalem.* Si peccaverimus nos qui propter Christum [b] Christiani vocamur, & inventi fue- [b] rimus in numero peccatorum, & de nobis dicitur: *Inventa est colligatio in viris Juda, & in habitantibus Jerusalem.* Cum in Ecclesia Dei tales sunt in quibus re- B periatur laqueus iniquitatis, & vincula peccati, in tantum ut id quod de peccatore dicitur, eis valeat convenire: *Vinculis peccatorum suorum unusquisque* [Jer. 11. 7. 8] *constringitur*, tunc dicit Deus: *Inventa est colligatio in viris Juda.* Verum non invenietur colligatio in nobis. Quomodo autem non invenietur colligatio in nobis, si usque ad hanc horam colligatio in quibusdam est. Sed: *Solve omne* [Prov. 5. 22] *vinculum iniquitatis, dissolve obligationes* C *violentarum commutationum, omnem conscriptionem iniquam dissipa. Frange esu-* [Isai. 58. 6.] *rientibus panem tuum.* Inventa est ergo colligatio in viris Juda, in habitantibus Jerusalem. *Conversi sunt ad iniquitates* [Jer. 11. 10.] *patrum suorum priorum.* [c] Conversi sunt [c] ad iniquitates. Quorum? Non ait simpliciter, *patrum*, sed cum additamento, *patrum suorum priorum*. Diximus hæc de nobis dici, & his qui in nobis sunt peccatores. Quomodo igitur qui inter D nos sunt peccatores, conversi sunt ad iniquitates patrum, & patrum suorum priorum? Duplices habemus patres, & una species est pessimorum patrum. Siquidem antequam crederemus, Diabolus pater noster fuit, ut sermo Evangelicus ostendit, dicens: *Vos de pa-* [Joan. 8. 44.] *tre Zabulo nati estis*: cum autem credidimus, facti sumus filii Dei. Si ergo post hæc peccaverimus, convertimur ad iniquitates patrum non sim- E pliciter, sed patrum priorum. Ad probationem autem hujus rei, quia duplices habemus patres, utimur & David testimonio, in quadragesimo quarto Psalmo ita dicentis: *Audi, fi-* [Psal. 44. 11] *lia, & vide, & inclina aurem tuam, &*

[a] Antea legebatur continua serie quasi Scripturæ testimonium, *& his, qui foris sunt. Audite verba divina provocantia nos ad salutem*: sive, *Legimus verba divina provocantia eos ad salutem*, cui lectioni Græcus cum primis textus hic refragatur. Καὶ τοῖς ἔξω ἀναγινώσκομεν τοὺς λόγους τοῦ θεοῦ, προσκαλούμενοι αὐτοὺς ἐπὶ σωτηρίαν, τοὺς λόγους τῆς διαθήκης &c. Favet vero, simulque cum Græco huic concinit quam reposuimus unus ms R. penes Huetium: *Etiam his qui foris sunt legimus verba divina, provocantes eos ad salutem. Verba Testamenti hujus &c.* Male alias quoque erat, eodem Huetio teste: *Etiam & his foris sunt. Audite verba divina provocantis vos ad salutem, verba testamenti hujus &c.*

[b] Mss. Regii penes Huetium, *viri Juda vocamur: & inventi fuerint in nobis nodi peccatorum*: cui lectioni ferre proprior est Græcus textus.

[c] Quæ hinc subsequuntur ad finem usque perperam Nonæ in Isaiam Homiliæ, quæ Hieronymum interpretem mentiuntur, suntque a nobis in Appendice Quarti Tomi editæ, subjuncta sunt totidem verbis ad ejus mutilationem supplendam.

& obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Quasi pater quippe cepit; *Audi, filia.* Ergo duplices nostri patres sunt. Sed obliviscere, inquit, domum patris tui prioris. Si igitur oblitus domum patris tui prioris rursus fueris ad peccata conversus, incidisti in id quod nunc dicitur peccatum. *Conversi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum.* Dicebamus dudum Zabulum patrem nostrum fuisse, antequam Deus factus sit pater, si tamen nunc non habemus etiam Zabulum patrem, quod etiam de Joannis Epistola approbamus, in qua ita scribitur: *Omnis qui peccatum facit, ex Zabulo natus est.* Toties ex Zabulo nascimur, quoties peccamus. Infelix iste qui semper generatur a Zabulo. Rursumque multum beatus qui semper ex Deo nascitur. Neque enim semel dicam justum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera semper justus nascitur ex Deo. Hoc autem ut plenius possit probari, etiam de Salvatoris nostri quotidiana nativitate dicamus, liquido id in justis obtinentes quod in Domino præcesserit. Salvator noster splendor est gloriæ, splendor autem non semel nascitur, & deinceps desinit nasci: quotiesquunque ortum fuerit lumen [a], ex quo splendor oritur, toties oritur & splendor gloriæ. Salvator noster sapientia est Dei. Sapientia vero splendor est lucis æternæ. Sic igitur Salvator semper nascitur, & idcirco dicit: *Ante omnes colles generat me*, non, ut quidam male legunt, *generavit.* Si semper ex Patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudinem ejus tantum adoptionis scriptum habens, semper generaris a Deo per singulos intellectus, per singula opera, & efficeris filius Dei in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

1 Joan. 3. 8.

HOMILIA SEPTIMA

De eo quod scriptum est: *Exterminata est exterminio omnis terra.* Et in istud: *Cinctorium.* Jerem. XII. 11. & 23. 1.

Quis est iste qui dicit: *Propter me exterminata est exterminio omnis terra?* Christus hæc loquitur: nam ante adventum ejus multa quidem peccata fuerunt in populo Israel, sed Dominus veniens prohibuit talia, ut penitus relinquerentur, & in longam traderentur captivitatem. Quando autem compleverunt mensuram patrum suorum, & addiderunt ad occisionem Prophetarum, persequutionemque justorum, & Salvatoris interfectionem, tunc completum est: *Dimittetur vobis domus vestra deserta.* Et quia iste ab eis, quæ in Evangelio scripta sunt, passus est: idcirco nunc dicitur: *Exterminio exterminata est omnis terra.* Quod si subtilius volueris intelligere: *Propter me exterminata est exterminio omnis terra:* considera eam quæ in te est, quomodo exterminata sit terra, & tunc videbis, post adventum Jesu Christi impleta esse quæ dicta sunt, mortificatis membris nostris super terram, cum jam non* operetur terra opera sua, non fiant apud justum ea, quibus antea caro fovebatur, non fornicatio, non immunditia, non [b] ultra luxuria, non idolorum servitus, non beneficia. Dominus loquitur: *Quid putatis, quia veni pacem mittere super terram? Non veni pacem mittere, sed gladium.* Vere antequam ille descenderet, non erat gladius super terram, neque caro concupiscebat

* al. operatur.

Matt. 34.

[a] Eadem, adnotante Huetio Origenianorum lib. 2. num. 24. utitur similitudine Tertullianus Apologet. cap. 21. *Etiam cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa. Sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de Spiritu spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum: manet integra & indefecta materia matrix, etsi plures inde traduces qualitatis mutueris. Ita & quod de Deo profectum est, Deus est, & Dei Filius, & unus ambo.* Quibus hæc adsonant e libro contra Praxeam, cap. 9. *Pater tota substantia est. Filius vero derivatio totius & portio, sicut ipse profitetur: Quia Pater major me est.* Unde liquet quo sensu dixerit: *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unius esse substantiæ, & unius status, & unius potestatis, & Filium non aliunde deducere se quam de substantia Patris.* Augustinus ipse comparatione eadem generationem Verbi explicat lib. 6. de Trinit. ipso initio, sed non eadem inde colligit: *Ipse Arius,* inquit *dixisse fertur: Si Filius est, natus est: si natus est, erat tempus, quando non erat Filius; non intelligens, etiam natum esse, Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri Filius, sicut splendor, qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coævus illi est, & esset coæternus, si esset ignis æternus.*

[b] Pro *ultra luxuria*, quod ex Rabano heic rescripsimus, vitiose in vulgatis obtinebat, *adulterii luxuria.* Dissentiebat vero & Græcus, οὐκ ἀσέλγεια, ipsaque orationis series ratio concinnior.

bat adversus spiritum, neque spiritus adversus carnem. Quando autem venit, & edocti sumus, quæ carnis, quæve sint spiritus, & doctrina ejus quasi gladius immissus divisit carnem, id est, terram a spiritu, & exterminavit eam, quia mortificationem Jesu Christi circumferimus in corpore nostro, & non vivimus ultra juxta carnem, vivit autem spiritus, & seminamus non in carne, sed in spiritu, ut non metamus corruptionem de carne, sed de spiritu vitam æternam. Dicitur autem peccatoribus: *Seminatis triticum, & spinas metitis.* Qui enim neque juxta voluntatem Scripturarum, neque juxta fidei veritatem profert eloquia Dei, seminat triticum, & metit spinas. Hoc hæretici faciunt qui legunt Scripturas, & spinas non de libris sanctis, sed de propriis sensibus metunt. *Cleri eorum non proderunt eis.* Hæc ante me alii exposuerunt. & quia non improbo iuterpretationem eorum, consentiens eandem profero, non quasi ipse repererim, sed reperta jam repetens, ut mihi pariter, vobisque conducat: si tamen quæ dicenda sunt, intentus animus excipiat. Nos qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis ordine præsidemus, intantum ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis non statim in eo esse salvandos, quia Clerici sumus; multi enim & Presbyteri pereunt, & Laici beatissimi reperiuntur: sed si ordinem clericatus & mereamur pariter, & habeamus. Quia igitur sunt quidam Clerici non ita viventes, ut & ipsi ex ordine capiant fructum, & ornamento suæ sint dignitati: idcirco ajunt qui exposuerunt Prophetam [a] nunc dicentem: *Cleri eorum non proderunt eis*; utilitas quippe clericatus non in eo est, si aliquis in agmine sedeat Presbyterorum, sed si juxta locum suum, & juxta præcepta Domini dignus incedat. Verum, carissimi, nolite putare hoc tantum de nobis esse dictum: & nos, & vos commonet divina majestas, ut juxta Scripturarum præcepta vivamus, & si sic expedit dicere: *Potentes potenter tormenta * patientur.* Plus a me exigitur quam a * Diacono, plus a Diacono, quam a Laico. Qui vero totius Ecclesiæ arcem [b] obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. Propter hoc Apostolus Paulus (videlicet ut is cui fuerant multa commissa) ajebat: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores Sacramentorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Intantum rarum est bonum dispensatorem invenire, ut Jesus, qui antequam orirentur ea quæ erant futura cognoverat, loqueretur: *Quis putas est fidelis dispensator & sapiens, quem constituit Dominus super familiam suam, dare in tempore tibaria conservis suis?* Et post pusillum caussatus de quibusdam dispensatoribus intulit dicens: *Si autem incipiat malus servus dicere: Moratur Dominus meus venire, & ceperit cædere servos & ancilas, & comedere, & bibere, & inebriari, venit Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dividit illum, & partem illius cum infidelibus ponit.* Hæc in eo quod scriptum est: *Cleri eorum non proderunt eis.* Videamus autem & reliquis necessariam correptionem, quam, ut mihi videtur, in morali loco debemus accipere: *Confundimini a gloriatione vestra, ab opprobrio in conspectu Domini.* Multa sunt in quibus gloriantes insipientiam nostram ostendimus. Verbi gratia, si qui in multis possessionibus gloriantur, dicitur eis: *Confundimini a gloriatione vestra.* Si qui gloriantur in generis nobilitate, dicitur ad eos: *Confundimini a gloriatione vestra.* Si * qui jactabundi incedunt super pretiosissimis vestibus, super domo multis exornata divitiis, aliena est quippe [c] hæc gloriatio a gloriatione sanctorum, dicitur ad eos: *Confundimini a glo-*

Margin: 2. Cor. 4. 10. — Galat. 6. 8. — Jer. 12. 13. — Jer. 12. 13. — * al. patiuntur. — * Mss. R. Zacono. — 1. Cor. 4. 1. — Luc. 12. 42. — Luc. 12. 45. 46. — Jer. 12. 13. — * al. quis jactabundus incedis

Fff 2

[a] Mss. Regii apud Huetium, *qui exposuerunt ea, quæ Propheta nunc dixit.* Rabanus, *qui expesuerunt Prophetam hunc, dixit.*

[b] Placet differentis in hunc locum Huetii verba describere. Loci, ait, quidem illius, in quo perorabat, Episcopum, vel metropolitam Origenes videtur significasse. Has autem Homilias Cæsareæ Palæstinæ fuisse recitatas verosimile est. Ita vel Theoctistum Episcopum Cæsariensem, vel certe Babylam Antiochenum Patriarcham designavit. Quamquam Tyrumne jam tum concesserit, certum non habeo. Id vero Hieronymum convertisse verosimile est ad Romanum Pontificem (ut ejus verba indicant) quem summum Sacerdotem appellat Præf. in Evan. ad Damasum, & de cujus potestate multis differit in Epist. ad eumdem. *Quamquam*, inquit, *tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas: a pastore præsidium ovis flagito. Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore Piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest, cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluvio.* Similia habet Ambrosiaster in cap. 3. Epist. 1. ad Tim. *Ut cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen Domus ejus dicatur, cujus hodie rector est Damasus* Romanum itidem Pontificem a Ruffino designari probabile est, cum ait in Interpretatione Homiliæ 17. Origenis in Genes. *Non deficiet princeps ex Juda, idest, hic qui post resurrectionem ejus* (Christi) *Ecclesiarum princeps ordinatur.*

[c] Voces *hæc gloriatio* ex Rabano suffecimus, consentiente Græco textu, ἀλλοτρία ἐστὶν ἡ καύχησις καυχήσεως ἁγίων. Tum *dicitur* ex iisdem reposuimus pro *dicit*. Rabanus præterea *eum* pro *eos* incohærenter legit.

gloriatione vestra. Verum hoc parum est. Audi quid loquatur in Jeremia sermo divinus, jubens ut ne in sapientia quidem nostra gloriemur: *Ne glorietur*, inquit, *sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis; sed in isto glorietur qui gloriatur, intelligere & scire quia ego sum Dominus*. (Jer. 9. 23. 24.) Vis gloriari, & gloriabundus non audire? *Confundimini a gloriatione vestra*. Gloriare ut Apostolus * (* al. additur Paulus.), & dic, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi*, * (* al. propter.) *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. (Gal. 6. 14.) Vis gloriari, & non audire: *Confuudimini a gloriatione vestra*, audi Paulum gloriantem, & disce * (* al. quid.) quum loquitur: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Audi quæ sint gloriæ, in quibus se [a] vir efferat: *In laboribus abundanter*. (2. Cor. 11. 23. 24. 25.) Quis hoc potest dicere: *In carceribus supra modum, in mortibus sæpe, a Judæis quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium passus sum?* Discamus differentias gloriarum, & nonnullos esse qui super his glorientur, quæ rubore digna sunt, quorum gloria est in confusione. (Phil. 3. 19.) In his quippe gloriantur, quæ cum faciunt, latebras, & secreta perquirunt. Post hæc consideremus quid de cinctorio præceptum sit. (Jer. 13. 1. 2. 3. 4.) *Hæc dicit Dominus: Vide & accipe tibi cinctorium lineum, & circumda lumbos tuos, & per* (1) *aquam non transibis. Et accepi cinctorium secundum verbum Domini ad me dicens: Accipe cinctorium, quod circa lumbos tuos est, & vade ad Euphratem, & absconde illud in caverna petræ*. Post dies venit Propheta, & accepit cinctorium de loco ubi infoderat illud, & ecce computruerat, quod nulli usui esset. Et ne quis juxta voluntatem animi sui de hoc loco sibi præsumeret intellectum, dans Dominus interpretationi occasionem, addidit dicens: *Sicut enim adhæret cinctorium circa lumbos hominis, sic adglutinavi ad me domum Israel, & omnem domum Juda, ut fierent mihi in populum nominatum, & in exultationem, & gloriam, & non obaudierunt me*. (Jer. 13. 11.) Igitur Propheta in loco pro Deo accipiatur, circumdans lumbos suos cinctorium lineum, id est populum Deus. *Adglutinavi quippe*, ait, *ad me domum Israel*, & quodammodo cinctorium Dei homo justus efficitur. Quæres quam ob caussam? Lege Ezechielem, & intellige (Ezech. 1. 27) quomodo Deus videatur in corpore, & quamobrem a lumbis ejus usque ad pedes ignis appareat, & a lumbis usque ad caput electrum: tunc poteris etiam præsentis Scripturæ invenire rationem, quamobrem inferiores Dei partes igneæ sunt. Renes generatione, & lumbi igne censentur. Omnia quippe quæ ex coitu, & voluptate sunt, indigent purgatione, & ipsa purgatio immixta est supplicio. Ea vero quæ a renibus in superiora consurgunt, libidinis opera sua virtute transcendunt, quasi quædam materia purior ad electri similitudinem referuntur. Dicitur quippe electrum auro esse pretiosius. Quid igitur exemplis Scriptura utitur, ut ostendat supernum Dei corpus esse magnificum, & inferius vilius? Idcirco nunc introduxit [b] Dominum ex igne & electro subsistentem. Ex quo unusquisque nostrum juxta exordium nativitatis suæ ad ignem refertur: juxta studium vero & profectum, Dei corpus efficitur illud superius, illud ex electro, ab igne nobis, a pœnis, a cruciatu abscedentibus. Adjunge ergo circa lumbum tuum cinctorium lineum. Cur? ut ostendatur populus regnum esse Dei. Adversum eos quippe qui volunt Dei accusare providentiam, resistit & protegit Dei sui opera, nec sinit aliquid indecens de majestate ejus narrari. Sed cum peccaverimus, ut cinctorium illud Propheta deposuit, & abjecit illud in Euphratem fluvium, ut ibidem computrescere: sic & nos abjiciet a lumbis suis Deus, & projectos relinquet ad Euphratem fluvium Mesopotamiæ, ubi Assyrii habitant inimici Israel, ubi Babylonii, & ibi putrescemus. Cur enim tantis in toto orbe fluminibus prætermissis, de Judæa ad Euphratem Propheta transmittit, nisi ut sacramentum juxta vim nominis doceat intellectum? Post hæc quærimus quare cinctorium lineum dicatur. [c] Linum ex terra nascitur: nam cum semen ejus in humum fuerit abjectum, primum in gramine pullulat, deinde ut infinita prætersam, demessum transfertur domum, pectitur, lavatur, teritur, tunditur, & ingenti (ut ita dicam) opera excutitur, quo tale fiat ex quo possit

[a] Mss. Regii penes Huetium, *quibus se vir sanctus efferebat*.

(1) Adnotat Huetius haberi apud LXX. οὐ διελεύσεται Vulg. *& in aquam non inferes illud*, quod Hebræo consonat. Hæc eodem recidunt, nam si cinctu revinctus aquam subeat, subire quoque cinctum ipsum necesse est.

[b] Mss. Reg. *introduxit Domini corpus ex igne & electro*.

[c] Haud recte penes Rabanum, *Linum de terra pascitur*. Et paulo post, *de messe* pro *demessum*.

a possit cinctorium [a], aut aliud quid in usus necessarios operari. Et nos ergo universi qui generationem habemus ex terra, [b] qui in cinctorium Dei plectimur, multa cura indigemus, ut pectamur, ut lavemur, ut colorem terræ abjiciamus. Alius quippe color generationis in lino est, alius cum fuerit * opera mundatus. Generationis color obscurior est, * & nigrior, operis autem lucidior. [c] Tale nescio quid & nobis in exordio evenit: nigri enim sumus quando regeneramur, quando credimus, quando in Canticorum Cantico dicimus: *Nigra sum & speciosa*. Æthiopibus similem habemus animam [d] indecorem; abluimur ut fiamus candidi, ut nitorem qui nobis insitus ex natura non fuerat, diligentia consequamur, juxta illud, quod in eodem loco scribitur: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* & efficiamur

(b; * al. opere mundatum; * al. & nigrum dicimus.; c; Cant. 1. 4.; d)

A linum candidum [e] purumque. Atque ita cum digni fuerimus societate Dei, in cinctorium ejus * plicamur, neque ab eo aliquando deponimur: si tamen candorem, quem nobis concesserat, semper habeamus. Cum itaque Judæi, & omnis domus Israel indigni exstirerint Deo, & projecti sint ab eo, nobis pro illis accinctus est. Neque enim putandum est, cinctorium abjicientem mansisse incinctum: statim ut illos projecit, alios sibi contexuit. B Hoc cinctorium Ecclesia est de Gentibus congregata: quæ scire debet, quia si prioribus non pepercit Deus, nec sibi parcet, si eum dereliquerit, si non fuerit digna lumbo ejus, si non adhærens Domino, unus spiritus fuerit in Christo Jesu, cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

(e; * al. plectimur.; *)

HOMILIA OCTAVA

De eo quod scriptum est: *Notum fac mihi, Domine, & cognoscam*. Jer. XI. 18. usque ad eum locum in quo ait: *Ite, congregate omnes bestias agri*. Jer. XII. 9.

SI Dei eloquia sunt in Lege & Prophetis, Evangeliis & Apostolis, oportet discipulum Dei divinorum sermonum magistrum Deum adscribere. *Qui enim docet hominem scientiam*, secundum Psalmistam, Deus est. Salvator quoque perhibet testimonium, nullum debere super terras magistrum nuncupari, dicens: *Et vos nolite vocare magistrum super terram. Unus quippe est magister vester, Pater qui in cælis est*: Pater autem qui est in cælis, * erudiet homines sive per se, sive per Filium, sive per Spiritum Sanctum: & ut ad minora veniamus, erudit per Paulum, per Petrum, per alium quemlibet Sanctorum: tantum * Dei spiritus, & Dei sermo descendat & doceat. Cur hæc diximus? videlicet quia Propheta: *Notum fac mihi*, ait, *Domine, & cognoscam*. Neque enim scire possum, nisi tu mihi revelaveris. Sin autem, demon-

(Ps. 93. 10.; Mat. 23. 8.; * al. erudit.; * al. Deus)

C strante te, * potero nosse, quod nescio, tunc videbo cogitationes singulorum, & cognoscam quid unusquisque gerat, & cujus sit * voluntatis. Hæc Propheta. Deinde videamus quid Salvator loquitur in Propheta: *Ego ut agnus innocens ductus ad immolandum, & nesciebam. Adversum me cogitaverunt consilium dicentes? Venite, mittamus lignum in panem ejus, & conteramus eum a terra viventium, & nomen ejus non memo-*D *rabitur amplius*. Isaias quoque, quod Christus ut ovis ad victimam ductus sit, & ut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, pronuntiat: & ibi quidem ille de Christo, hic vero de se ipse Christus: *Ego*, inquit *ut agnus innocens ductus ad immolandum, & nesciebam*. Nec addit quæ non cognoverit. Non enim dixit: Non cognovi mala, non cognovi bona, non cognovi peccatum, sive injustitiam; ve-

(* al. potuero.; * al. voluntas.; Jer. 11. 19.; Isai. 53. 7.)

d Mss. Regii *cinctorium componi, aut aliud quid in usus necessarios coaptari*, pro quo ultimo verbo Rabanus habet *comparari*.

a Hanc placuit, quæ & in vetustis codd. obtinebat, lectionem ex Rabano reponere, *qui in cinctorium Dei plectimur*, utpote Græco Origenis textui consonam magis & commodiorem, καὶ ἡμεῖς οὖν πάντες τὴν γένεσιν ἔχομεν, ὡς περίζωμα τοῦ θεοῦ &c. Antea erat, *aut linum, quod in cinctorium Dei plectitur*: unus ms. penes Huetium. *ut linum quod &c.*

b Hic quoque Rabanum describere potius fuit: pro hisce enim verbis, *nescio quid & nobis*, una erat in Vulgatis vocula *quid*. Luculenter vero Græcus textus τοιοῦτόν ἐστι· καὶ ἐπὶ ἡμᾶς.

c Vocem *indecorem* rectius hinc amoveas, neque enim aut Rabanus novit, aut in Græco est textu. Pro uno autem verbo subsequenti, *abluimur*, legit Rabanus *deinde cur eluimur?* Græcus fere concinit εἶτα ἀποσμηχώμεθα.

d Legebatur antea, *purumque aqua. Ita cum &c.* Nos ad Rabani lectionem expuncta voce *aqua*, quæ abundat, neque est in Græco, exordimur, *Atque ita &c.* Sic & Origenes εἶτα καὶ.

verum simpliciter, non cognovi. Tibi igitur dereliquit, ut quæras, quod nescierit. Lege Apostolum: *Qui cum peccatum non cognovisset, pro nobis peccatum fecit*. [2. Cor. 5. 21.] Peccatum quippe nosse, peccare est: ut justitiam nosse, juste est agere. Ex quo manifestum est, eum qui justitiam prædicat, & non agit juste, nescire justitiam. *Adversum me cogitaverunt consilium dicentes: Venite, mittamus lignum in panem ejus*. Crucifixum esse a Judæis Dominum, nulli dubium est: & cum hoc tota libertate prædicamus, quomodo aptabimus ei, quod dicitur: *Adversum me cogitaverunt consilium dicentes:* hoc quod inferunt: *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, nimiæ difficultatis est. Panis Jesu quo nutrimur, sermo ejus interpretatur. Quia igitur docente eo, voluerunt quidam scandalum ponere doctrinæ ejus, crucifigentes eum dixerunt: *Venite, mittamus lignum in panem ejus*. [Jerem. 11. 19.] Cum enim verbo Jesu & disciplinæ ejus conjungitur magistri crucifixio, in panem lignum mittitur. Et illi quidem [a] insidiantes dicant: *Venite, mittamus lignum in panem ejus*. Ego vero admirabile quiddam inferam. Lignum missum in panem ejus, panem fecit meliorem. Exemplum accipe de Lege Moysi. Sicut lignum, quod missum est in amaram aquam, fecit dulcem: sic lignum passionis Christi missum in doctrinam ejus, fecit panem illius dulciorem. Ante enim quam immitteretur lignum in panem ejus, quando tantummodo panis erat, & non erat lignum, in universam terram non exierat sonus ejus: postea vero quam assumpsit fortitudinem per lignum, tunc in universum orbem passionis ejus disseminatus est sermo. In cujus figura & aqua in Veteri Testamento ad tactum ligni dulcis effecta est. Ego quippe ajo, Legem non intellectam, amaram aquam esse. Cum autem venerit lignum Jesu Christi, & sermo Salvatoris mei descenderit in eam, tunc dulcoratur, & fit suavissimi saporis, intellecta pariter & lecta Lex Moysi. Dicentes igitur: *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, [Jerem. 11. 19.] etiam hoc addunt, *& conteramus eum a terra viventium, & nomen ejus non memorabitur amplius*. Sic enim illum interfecerunt, quasi nomen ejus penitus * eradicarent. [* al. eraderent] Sed Jesus scit quare & quomodo moriatur. Propter quod ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, [b] ipsum solum manet; si vero mortuum fuerit, multum fructum affert*. [Jer. 12. 24.] Ergo mors Jesu Christi, spica frumenti facta est, septuplum & multo amplius restituens quam fuerat seminatum. Fingamus enim paulisper non fuisse eum crucifixum, neque post mortem ad inferos descendisse: sequitur ut solum granum maneat frumenti, & multi non nascuntur ex eo. Attende diligenter eloquia divina, quid in se velint intelligi. *Granum frumenti si non cadens in terram mortuum fuerit, non multum fructum affert*. [Joan. 12. 24.] Mors Jesu istos omnes fructificavit. Si autem mors tantas attulit fruges, resurrectio cujus futura est ubertatis? *Domine virtutum, judicans justa, probans renes, & corda, videam quæ ex te est, vindictam de eis*. [Jer. 11. 20.] Prophetice orat, ut videat vindictam de eis apud Patrem; circumdata est quippe ab exercitu Jerusalem, & appropinquavit subversio ejus, & id quod dictum ad eam fuerat: *Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta*, [Matt. 23. 38.] completum est. *Videam ergo quæ ex te est, vindictam de eis; quia ad te revelavi justificationem meam. Propterea hæc dicit Dominus in viros qui sunt in Anathoth, qui quærunt animam meam, qui dicunt: Non prophetabis in nomine Domini, alioquin morieris in manibus nostris. Ecce visitabo ego in eis: juvenes eorum gladio cadent, & filii eorum & filiæ morientur in fame, & reliquiæ eorum non erunt. Quoniam inducam mala super inhabitantes in Anathoth, in anno visitationis eorum*. [Jerem. 11. 21. 22. 23.] Figuraliter * nunc [* al. tunc] nomen Anathoth assumitur. Totum autem Judaicum sacramentum in eo est. Interpretatur quippe Anathoth, *obedientia*: Quia ergo obedientia Dei in illo [c] populo fuit, sicut regnum ejus: & factum est de regno id, quod novimus prædictum: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus ejus*: [Mat. 21. 43.] nunc quoque viri qui sunt in Anathoth,

[a] Ad hunc modum ex Rabani lectione emendavimus, *insidiantes dicant*, cum hactenus turpi sane mendo obtineret, *nisi dantes dicunt*. Græcus quoque archetypus ita monuit restituendum; habet enim ἐκεῖνοι μὲν ἐπιβουλῆς βουλευσάμενοι λεγέτωσαν &c.

[b] Deerant pridem isthæc sacri contextus verba, *ipsum solum manet; si vero mortuum fuerit*; legebatur autem, *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, non multum fructum affert*. Nos e Rabano restituimus ipsoque, ut ab Origene laudatur, Græco textu, αὐτὸς μόνος μένει· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ, πολὺν &c.

[c] Vocem *populo*, quæ in antea vulgatis deerat, ex Rabano suffecimus & Græco archetypo, ἐν ἐκείνῳ τῷ λαῷ. Alia inferius, quæ levioris momenti sunt castigamus.

thoth, hoc est in obedientia, quærunt animam, non Jeremiæ, neque enim hoc historia ulla commemorat, quia viri Anathoth * quæsierunt animam ejus. [* al. quærunt.] Habemus Regnorum libros: meminit ibi Scriptura Jeremiæ, nihil tale conscribitur. Habemus Paralipomenon, & ipsum, quod nunc interpretatur volumen Prophetæ, nihil loquuti sunt viri Anathoth: sed Christi quærunt animam Domini mei, *qui dicunt: Non prophetabis in nomine Domini*. Legimus B & * hoc a Judæis prohibitum, ne doceret Christus: [* al. hic] *Alioquin morieris in manibus nostris. Ecce ego visitabo in eis, juvenes eorum gladio cadent, & filii eorum, & filiæ morientur fame.* [Amos 8.11.] Non Jeremiæ temporibus gladio occubuerunt, sed post adventum Domini: tunc & fames venit in eos, non fames panis, neque sitis aquæ, sed fames audiendi sermonem Dei. Jam quippe apud eos ultra non dicitur: *Hæc dicit Dominus* [a] *Deus omnipotens*. Ista fames est [b] C prophetiæ cessantis in eis. Sed quid loquar de Prophetis? Neque Magistri, neque Doctores in Judæa aliqui remanserunt: & licet sint innumerabiles, qui sibi sapientiam vendicent, non est jam sermo Dei in eis. Completum est enim illud vaticinium: [Isai. 3.1.] *Auferet Dominus a Judæa, & ab Jerusalem validum & validam, virtutem panis, & virtutem aquæ, gigantem & fortem, &* [c] *hominem bellatorem, & judicem, & Prophetam, & arbitrum, & Seniorem quinquagenarium, & admirabilem consiliatorem, & sapientem Architectum, & intelligentem auditorem.* D Jam non est apud eos qui possit dicere: [1. Cor. 3.10.] *Quasi sapiens Architectus fundamentum posui*. Migraverunt ab eis Architecti, venerunt ad Ecclesiam, posuerunt fundamentum Jesum Christum. Huic superædificant quiquunque post eos crediderunt. In fame ergo ille populus E derelictus est: [Jerem. 11. 23.] *Adducam quippe mala super inhabitantes Anathoth, in anno visitationis eorum. Justus es, Domine, quia* [Jerem. 12. 1.] *excusabo me apud te. Verumtamen judicia loquar ad te. Quid est, quod via peccatorum prosperatur? Abundaverunt omnes, qui spreverunt contemnentes.* Quæramus

A an bonus sit Deus, qui Legem, Prophetasque largitus est, videntes viam impiorum prosperari, & nihil eos ab eo pro merito sustinere. Abundaverunt enim omnes qui (1) spreverunt contemnentes, ii qui adversum conditorem rabidis faucibus latrant, qui eum blasphemis sermonibus criminantur: *Abundaverunt, plantati sunt, & radicem miserunt, procreaverunt filios & fecerunt fructus.* Quantos fructus Marcion fecit procreans B filios infidelitatis? quantos Basilides? quantos Valentinus? De his quippe næ prohetat dicens: [Jerem. 12. 2.] *Procreaverunt filios, & fecerunt fructum, Prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum.* Nominant Jesum, & non habent eum, neque enim illum confitentur ut Christum. [Jerem. 12. 3.] *Et tu, Domine, nosti* [d] *, & probasti cor meum in conspectu tuo. Sanctifica illos in die interfectionis eorum.* Quid faciam ut hoc exponam? Tormenta santificationem vo- C cat eorum qui torquentur. *Sanctifica quippe eos*, ait, *in die interfectionis eorum*, id est, per hoc, quod interficis eos, sanctifica eos. [Hebr. 12. 6.] *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.* [Jerem. 12. 4.] *Quousque lugebit terra, & fœnum omne agri arescet a malitia habitantium in terra?* Quasi (2) animal sit terra, sic nunc loquitur Propheta, dicens lugere eam quando mali sunt habitatores, qui in ea commorantur. D Per unumquemque enim nostrum terra, aut lætatur in virtutibus accolarum, aut luget in vitiis. Si autem terra, consequenter & elementa cætera, ex quibus & aqua, id est, Angelus qui super aquam constitutus est. Neque enim aliter possum lugentem terram exponere, seu lætantem: nec sensus recipit, ut insensibile corpus sentire credamus: nisi ut intelligamus, omnibus rebus Angelos præsidere, tam terræ & a- E quæ, quam aeri & igni, id est, principari elementis, & hoc ordine pervenire ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra cælestia. Alius Angelus præpositus est terris: atque ita omnes ii Angeli, cum quibus versamur in terra, gaudent quando juste agimus: quando peccavimus, lugent. *Lu-*

gebit

a Rectius cum Græco textu vocem, *Deus*, ignorat hoc loco Rabanus.

b Penes Rabanum, *fames est prophetica vocis cessantis &c.*

c Sic & Rabanus habet, & Græcus ipse ab Origene laudatus textus, γίγαντα καὶ ἰσχύοντα καὶ ἄνθρωπον πολεμιστήν.

(1) Hujus interpretationis (inquit Huetius) rationem comminisci neutiquam possum, est enim in Græco πάντες οἱ ἀθετοῦντες ἀθετήματα. Recte Corderius: *Omnes qui pravaricantur pravaricationes.*

d Addit Origenes, με: tum istud, εἶδές με: quemadmodum & apud Rabanum, & in Vulgata legas, *nosti me, vidisti me, & probasti &c.*

(2) Huetius ait, Cum terram inanimatam esse definiat hoc loco Origenes, animatam autem non aliter dici posse, quam per Angelum, tanquam formam adsistentem, non informantem, satis inde evincitur, non huic eum penitus adhæsisse errori, quem ei objiciunt Hieron. in Epistoli ad Avitum & Pammachium, & Justinian. Epist. ad Menam, astra videlicet non animata solum esse, sed peccare etiam posse, ac salutem exspectare.

gebit terra ab omnibus inhabitantibus in sa. Eodem nomine Angelum terræ appellant, quo ipsa nuncupatur. Quomolo enim hoc quod manufactum est cum maledicatur, maledicitur & ipse qui fecit illud, non quod maledictum sit, quod anima ac sensu caret, sed idem dicitur maledictus, qui assistet insensibili simulacro, eodem vocatus nomine, quo vocatur id quo manufactum est: sic & nunc terra appellatur is Angelus qui præpositus est terræ. Nec hoc tan- B tum accipias in terra; & aquæ etiam Angelus ejus vocabulo nuncupatur, juxta illud quod in alio loco dicitur: *Viderunt te aquæ, & timuerunt, turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, etenim sagittæ tuæ transierunt.* (Psal. 76. 17.) *Dereliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus.* (Jer. 12. 7.) Vide mihi eum qui in forma Dei consistebat in cælis. Vide domum ejus, C Thronos, & excelsas quasque Virtutes. Si autem vis aliquid sublimius intelligere propter hoc quod ait: *Ego in Patre, & Pater in me*: vide domum ejus Patrem Deum. Relinquit patrem suum, & matrem suam cælestem Jerusalem, venitque in hunc terrenum locum, & ait: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam*. Illa erat hæreditas ejus, possessiones Angelicæ, & sanctarum ordo virtutum. *Dedi dilectam* D *animam meam in manus inimicorum meorum*. Tradidit animam suam in manus inimicorum suorum, in manus Judæorum interficientium eum, in manus Principum congregatorum adversum se, in manus regum, quoniam: *Astiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* (Psal. 2. 2.) *Facta est hæreditas mea mihi, sicut leo in silva.* (Jer. 12. 8.) Ista quæ super terram erat hæreditas ejus quam sibi E

A elegerat in possessionem, quæ pars ejus fuerat, efferata est adversus eum, & facta est hæreditas ejus, id est, Judæi quasi leo in silva. Nec mirandum est si * tam truci belluæ comparata sit: usque ad præsentem diem leones sunt in silva, anathematizantes Dominum Jesum, & blasphemantes illum, & insidiantes * credentibus nomini ejus. *Facta est hæreditas mea mihi sicut leo in silva. Dedit super me vocem suam, ideo odivi eam.* (Jer. 12. 8.) *Numquid spelunca est hyænæ hæreditas mea mihi?* De sua hæreditate prænuntiat, quod spelunca hyænæ futura sit, bestiæ rabidæ & ferocis, mortuorum cadaveribus viventis, quæ semper sepulcris & ossibus incubat. *Numquid spelunca hyenæ hæreditas mea mihi, aut spelunca in circuitu ejus?* (Jer. 12. 9.) Quoniam tales sunt, impero vobis, Angeli, ut eatis, & congregetis bestias, & tradatis eos ad dilacerandum. *Ite, congregate omnes bestias agri, veniant, & manducent eos.* Venerunt bestiæ agri, devoraverunt populum Judæorum. Vide exesa corda omnium a fortitudinibus contrariis. Si illis Deus non pepercit, sed ait: *Ite, congregate bestias*, quanto magis nobis non parcet? Si non fecerimus Legem ejus, si sermonem Evangelii neglexerimus, rursum dicet: *Ite, congregate bestias, & tradite* [a] *eam*. Sed nos confidamus in Domino, & in oratione dicamus: *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* (Ps. 73.) Agamus pœnitentiam super peccatis nostris, confiteamur delicta quæ fecimus, & bestiis non trademur: quin potius Angeli venient, qui nos in sinu suo gestantes, de terrenis locis ad cælestia transferant, & de præsenti sæculo in perpetuam collocent æternitatem, in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

* al. tam
* al. credentes.

HOMILIA NONA

De eo quod scriptum est: *Omnis uter implebitur vino*. Jerem. III. 12. Usque ad illud:

Et deducent oculi vestri lacrymas, quia contritus est grex Domini. Jerem. XIII. 17.

QUod a Deo Prophetæ jubetur ut dicat, debet dignum esse imperio Dei. Sed non videtur dignum, si maneamus in litera, & nihil altius requira-

[a] Antea *& tradite eos*, dissentiente Rabano, & Græco textu, καὶ παράδοτε αὐτήν.

quiramus, intantum ut si quis rudis auditor exstiterit, dicat ineptum esse Scripturis aurem accommodare, & ea cognoscere quæ in eis lectitantur. Hoc

1. Cor. 2. 14.

est dictum animalis: *Animalis quippe homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim ei est.* Consideremus ergo Dei sermonem quid jubeat: *Et dices ad populum *sermonem istum: Hæc dicit Dominus Deus Israel.* Quod dicit Dominus Deus Israel, dignum quæso sit Domino Deo Israel. *Omnis uter implebitur vino. Eritque, si dixerint ad te:*

B

* f. Et * al. cognoscemus.

*Numquid cognoscentes * non * cognoscimus, quia omnis uter implebitur vino?* Hæc respondentes, si tantum literam sequuntur, & dicunt nosse se, quia omnis uter implebitur vino, falluntur. Non enim necessario sequitur, ut omnes utres impleantur vino. Sunt utres oleo pleni: sunt alii a qualibet liquentis naturæ materia vacui, aut certe non pleni. Dominus autem dicit omnem utrem implendum vino: & populus

C

* al. cognoscemus.

respondit: *Numquid cognoscentes non * cognoscimus, quia omnis uter implebitur vino?* Quæ quidem juxta paupertatem ingenii mei sic poterunt interpretari,

* al. prospexerimus. a

si prius vini differentias * perspexerimus, ut tunc consequenter [a] tractemus, verum esse quod dictum est, quia omnis uter implebitur vino. Sive enim quis bonus est (ut ita loquar) inter utres, uter implebitur vino bonitatis

D

suæ: sive malus juxta hoc, quod malus est, malo vino implebitur. Quomodo ergo possumus de Scripturis accipere differentias vini? Super malo vino ista

Deut. 32. 32 b

conscripta sunt: *De vinea Sodomorum, [b] vinea eorum, & palmes eorum*

* al. uva.

*de Gomorrha, * uva eorum * uva fellis, botrus amaritudinis in eis, venenum draconum vinum eorum, & virus aspidum insanabile.*

Psalm. 22. 5.

De bono hæc dicuntur: *Calix tuus inebrians quam præclarus est?* Et sapientia convocat ad craterem suum,

E

Prov. 9. 5.

dicens: *Venite manducate panes meos,*

A

& bibite vinum, quod miscui vobis. Est ergo vinum de Sodomis, & est [c] vinum, quod miscuit Sapientia. Rursumque: *Vinea facta est dilecto in cornu, in loco uberi,* plantata a Deo, quæ vocatur vinea Sorec, electa [d] quædam & inter omnes vineas mirabilis. Est autem alia vinea Ægyptiorum, quam percutit Deus, secundum id, quod scriptum est: *Percussit in grandine vineas eorum, & ficus eorum in gelu.* Consideremus ergo omnes homines figuraliter capaces esse vini, nec aliud eis possumus nomen imponere, [e] qui capaces vini sunt, quam utrium, & dicere quia nequam homo plenus sit vino de vinea Sodomorum & Ægyptiorum, plenus vino inimicorum Israel: sanctus vero & is qui in virtutibus proficit, plenus sit vino de vinea Sorec, vino de quo scriptum est: *Calix tuus inebrians quam præclarus est,* vino quod miscuit Sapientia. Et hæc quidem intellecta [f] mihi sint secundum nequitiam atque virtutem, ut agnoscamus quomodo omnis uter implebitur vino. Si autem nequitia, seu virtutibus impleantur utres, consequens est, ut suppliciis impleantur ob nequitiam, benedictionibus ob virtutem. Exhibeant sacræ literæ testimonium quo pacto tormenta, seu repromissiones vinum * nuncupetur. *Accipe calicem vini meri istius & potabis omnes gentes, ad quas ego te mitto.* Jeremias autem hæc loquitur: super quod infert: *Et bibent, & [g] voment, & insanient, & cadent.* Igitur supplicia in præsenti loco vinum meracum nuncupavit. Quidam [h] bibunt meraca vina, id est meracis cruciatibus digni sunt: alii autem bibunt supplicia: vina quidem non penitus meraca, sed ex parte aliqua temperata: *Calix enim in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinavit ex hoc in illud veruntamen fæx ejus non est exinanita, bibent ex eo omnes peccatores terræ.* Si vis & benedictionis calicem [i] perspicere,

c

Isaia 5. 1 * al. dilectio. d

Psalm. 77. 47.

e

Psal. 22. 5.

f

Jere. 25. 15. * al. nuncupatur.

g

h

Psal. 74. 9.

i

a Interserit Rabanus, *de utribus:* idque verius ad Græcum saltem archetypum: ἀκολούθως αὐτοῖς περὶ τῶν ἀσκῶν ὀψόμεθα, ὅτι ἀληθές &c.

b Integrando textui, qui antea mancus erat, ex Rabano verba suffecimus, *vinea eorum, & palmes eorum,* quæ & in Græco Origenes laudat, ἡ ἄμπελος αὐτῶν, καὶ ὁ κληματὶς αὐτῶν.

c Deerat vox hæc altera, *vinum,* quam & Rabanus legit, & Græcus textus.

d Legebatur antea, *electa quidem inter omnes vineas; mirabilis autem est alia, &c.* dissentiente Rabani concinniore admodum lectione & Græco, ἐκλεκτή τις οὖσα καὶ θαυμαστή. ἔστι δέ τις καὶ ἄμπελος &c. ut minime ad Ægypti vineam *mirabilis* appositum referatur.

e Heic iterum vitiose lectum est hactenus, *quam capaces vini, quam utrem, & dicere &c.* Veram lectionem restituit Rabanus, cui adsentitur & Græca sententia, tametsi paululum abludat in verbis. Inferius quoque quædam alia levioris momenti restituimus.

f Pro *mihi,* corrupte legebatur *ibi,* renuente Græco, ταῦτα μοι κατὰ τὴν &c. & vetere lectione Rabani. Paulo quoque post imperfecto sensu, *ut* particula deerat, quam idem Rabanus suffecit, & Græcus ἵνα.

g Perperam *& venient* legebatur pro *& voment.* Rabanus & Græcus uterque textus, καὶ ἐξεμέσονται, restituerunt.

h MSS. Reg. penes Huetium, *bibent meraca vina,* atque unus paulo post, *supplicia non penitus meraca.*

i Vulgati, *Si vis ad benedictionis calicem respicere,* minus recte ad Rabani lectionem & Græcum, εἰ θέλεις καὶ ποτήριον εὐλογίας ἰδεῖν.

cere, quem bibunt justi, licet sufficiat Sapientiæ testimonium, in quo ait: *Bibite vinum quod miscui vobis*, Prov. 9. 5. tamen vide Salvatorem ascendentem die Paschæ, Luc. 22, 12. grande cœnaculum stratum atque mundatum, & agentem diem festum cum Discipulis suis, illumque eis calicem propinantem, de quo in Evangelio, a [a] quod miscuerit eum, & ita tradiderit; Jesus enim lætificans Discipulos meracum eis poculum propinat, & dicit: *Accipite & bibite*: Matt. 26 27 *Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. 1. Cor. 11. 24. *Hoc facite, quotiesquunque bibetis, in meam commemorationem*. Et: Matth. 26. 28. *Amen dico vobis, non bibam illud amodo, donec bibam illud vobiscum novum in regno Dei*. Vides calicem Novi Testamenti? vides calicem suppliciorum quem supra exposuimus, vini meri plenum esse? Est & alius calix, qui pro compensatione bonorum actuum, seu malorum tibi miscetur & traditur. * Intellige enim mihi eos qui penitus a pietate discedunt, & ex omni parte * religioni adversantur, in tantum ut fortuitu, & pecudum more vivant, bibentes calicem vini meri quem de Jeremiæ libro protulimus: eos vero qui non penitus recesserunt, sed cum sint peccatores, & indigni judicentur calice Novi Testamenti, & faciant sæpe bona opera, sæpe contraria, bibentes calicem mero mixtum. *Inclinavit enim Deus ex hoc in illud*. Psal. 43: 9. Quid est quod ait, *ex hoc in illud?* duo pocula video. *Inclinavit ex hoc in illud, verumtamen fæx ipsius non est exinanita*. b [b] Animadverte calicem bonorum tuorum operum in una manu Domini. Sin autem pateris aliquid me audacius dicere, sit in dextra manu ejus calix virtutum, sit in sinistra vitiorum. Cum igitur ceperis propter peccata torqueri, quia & bona opera fecisti, calix in manu Domini est vini meri plenus mixto, & inclinavit ex hoc in illud: id est de eo qui erat in dextera, in illum qui in sinistra continebatur. Neque enim potes bonorum tantum calicem bibere, quasi bona tantummodo feceris: neque rursum peccatorum tantum, quia & bona aliquando gessisti. Idcirco inclinavit ex

* al. Intelligit.

* al. religionem aversantur.

A hoc in illud, ut juxta compensationem operum tuorum misceatur tibi supplicium aquatius, seu meracius, & secundum merita tua, aut obtundatur iræ divinæ aculeus, aut exacuatur. Si vero bonus fueris, & Dei mandata servaveris, attende quid dicas: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Psal. 115. 13. Omnis igitur uter, sive bonus sive malus, implebitur vino qualitatis suæ, nec oleum * mittetur in B eum, aliudve quid liquens, nisi vinum Sodomorum, aut Sorec. Deinde docet, interim ut literam sequamur, propter eos qui peccaverunt in Jerusalem, & in Judæa illo tempore morabantur, quali vino istiusmodi utres implendi sunt. Sequitur enim: *Si dixerint ad te: Numquid cognoscentes non cognoscimus, quia omnis uter implebitur vino? dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Ecce ego impleo omnes inhabitantes terram istam, & reges, & filios David qui sedent super sedem ejus, & Sacerdotes ebrietate*. Jerem. 13. 12. C Nulli * parcit qui puniturus est peccatores. Non quia Prophetes, non quia Sacerdos quis vocatus est, a suppliciis liberabitur. *Hæc autem de illis commemorantur*, ut ait Apostolus: *scripta sunt propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt*. 1. Cor. 10. 11. Si quis ergo & in his Sacerdotibus, in nobis dico Presbyteris, sive in his qui circumstant populum Levitis, D id est * Diaconibus, peccaverit, sustinebit supplicium, quod nunc per Prophetam Dominus comminatur: quomodo econtrario quædam sunt sacerdotales benedictiones, de quibus, Deo tribuente, post istius loci expositionem, cum ad Numerorum librum ventum fuerit, disputabimus: ibi quippe de Sacerdotibus quædam scripta sunt: *Et Sacerdotes igitur, & prophetas, & Judam, & omnes habitantes Jerusalem testatur Deus de vino inebriandos, & dispergendos virum a fratre suo, & patres a filiis*. Jerem. 13. 13. 14. E Quæ quidem (ut mihi videtur) sic sunt intelligenda: Justos quidem congregat Deus, & peccatores separat. Denique idcirco quamdiu non sunt commoti ab oriente homines, non sunt * dispersi. Quando autem sunt moti ab oriente, & ait homo ad proximum suum: *Venite, ædificemus civitatem, & turrim*,

* al. mittitur.

* al. parcet.

* Ms Zaconibus.

* al. dissipati.

[a] Legendum omnino est contrario sensu, supplendumque ita: *de quo scriptum est, non quod miscuerit eum*. Cogit enimvero Græcus textus, περὶ οὗ γέγραπται, οὐχ ὅτι ἐκέρασεν. Penes Rabanum autem tres integri versus subsequentes non habentur, legit enim: *de quo in Evangelio scripum est: Accipite & bibite &c.*

[b] Sic & Rabanus & mss. Reg. penes Huetium legunt: erat tamen antea, *Amodo adverte*: Græce est νόει. Mox quoque addidimus ex iisdem, *tuorum*, quod deerat.

Gen. 11. 4.

turrim, cujus [a] *caput pertingat usque ad cœlum*: Deus loquutus est, dicens: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguas eorum*. Et post pusillum subinfert: * *Et dispersit eos Deus inde a facie omnis terræ*. Populus quoque Israel antequam peccaret, in Judæa erat, post peccata in universum orbem dispersus est. Tale mihi quiddam & de [b] nobis omnibus intellige. Est quædam Ecclesia primitivorum, eorum scilicet qui conscripti sunt in cælestibus, ubi mons Sion, & civitas viventis Dei Jerusalem cælestis. Beati qui illuc congregabuntur. Peccatores autem dividentur ab invicem, ut etiam in hoc excruciatione pariter torqueantur. Scio quosdam Reges, eos qui imperio suo insidiati sunt ad desertas insulas deportare solitos, & pro magnis suppliciis hoc jubere, ne in uno loco exilii * penuriam sustineant, sed in aliam partem orbis uxor, in aliam liberi exterminentur, ut ne in calamitatibus quidem suis perfruantur solatio, aut pater filii, aut mater filiæ, aut frater fratris. Simili modo & peccator per quandam dispensationem Dei * amariora solitudinis tormenta perpetitur, si solus in exilium relegetur, ut emendatus in statum pristinum redeat. Et quomodo tu propinquos vel liberos tuos non [c] fortuita, nec irrationabili ira, sed per verba reducere quæris ab errore, in quem incubuerant: sic Deus eos qui non * poterant sermone converti, doloribus & tormentis ad id retrahit quod fuerunt, secundum Scripturam dicentem: *Per omnem dolorem & flagellum emendabis Jerusalem*. Ut igitur crescat dolor pœnæ corripientis, ii qui corripiuntur, ab invicem separantur. Nam quodammodo levius fit supplicium, si plures in eodem loco constituti, mutuis se consolentur alloquiis. Si autem necesse est aliam quoque rationem divisionis malorum introducere, etiam hanc exhibebimus. Mali cum simul fuerint, ea quæ mala sunt cogitant, & in pristina nequitia perseverantes, augent peccata peccatis: quomodo econtrario boni cum simul fuerint, de honestis sermocinantur. Dissolvitur ergo, & ad nihilum deducitur nequam cogitatio, cum non habuerit alloquutionem alterius nequioris. Idcirco per dispensationem Dei providetur, pessimos a pessimis separari, [d] in suum quoque commodum, ut a pristinis sceleribus ipsa solitudine & penuria consortii aliquando desistant. Hæc de eo, quod dictum est: *Et dispergam illos, virum & fratrem ejus, & patres eorum, & filios eorum in idipsum, dicit Dominus: Non requiram, & non parcam, & non miserebor ab interitu eorum*. His & istiusmodi sermonibus hæretici assurgunt dicentes: Videsne qualis sit [e] Creator, Prophetarum & Legis Deus quid loquatur? *Non parcam, & non miserebor ab interitu eorum*. Quomodo potest iste bonus esse? Accipiam ergo exemplum judicis boni pro utilitate communi quibusdam non miserentis, ut perspicere possimus, quomodo multis parcens, uni non * parcet Deus: accipiam & medici, ostendens eum uni membro non parcere, ut membris omnibus parcat. Verbi quoque gratia dictum sit: Habeat judex propositum, quietem civitati, & pacem genti, cui præsidet, providere. Huic si offeratur [f] latro honesta forma, ætate satis integer, ex alio latere mater expansis crinibus deprecetur, ut senectutis suæ misereatur, & ex alio uxor ne virum suum interficiat, lacrymabili voce deploret, circumstent & parvuli liberi cito orbi futuri: quid faciet judex? miserebitur latronis, annon? [g] quid in commune expedit civitati? Si misertus fuerit, revertetur homicida ad pristinum scelus: sin vero in judiciaria severitate permanserit, unus homo interibit, & universo populo providebitur. Sic Deus si pepercerit peccatori, & miserans ejus, noluerit eum punire pro scelere,

Margin notes (left): a; Gen. 11. 7. 9.; * al. Ecce; b; * a. f. pœnam.; * al. majora; c; * al. potuerunt.

Margin notes (right): d; e Jer. 13. 14.; e; * al. parcat; f; g

a Apud Rabanum, *cujus sit caput usque &c.* Græce, οὗ ἔσαι ἡ κεφαλὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ.

b Vitiose legebatur antea, *& de bonis hominibus intellige*, pro *& de nobis omnibus* intellige, quod restituimus ex Rabani lectione, consentiente Græco textu, νόει καὶ περὶ πάντων ἡμῶν.

c Antea editi libri, *non in forti ictu, & irrationabili* &c. quos Rabanus atque ipsi penes Huetium R. mss. castigant, *non fortuita nec irrationabili* &c. Legit deinde Rabanus, *sed per verbera reducere cupis ab errore*, pro *per verba reducere quæris*. Græcus tametsi idem in sensu est, verbis tantisper abludit.

d Ita Rabanus legit proprius ad Græc. textum: erat tamen antea, *Justum quoque & commodum est ut &c.*

e Obtinuit hactenus sibilo explodenda lectio, *qualis sit error Prophetarum*, pro *qualis sit creator, Prophetarum & Legis* &c. Notum hoc fuisse Valentini & Basilidis blasphemum dogma, Creatorem ac Veteris Testamenti Deum malum exstitisse: idque est, quo de nunc Origenes loquitur. Rectissime adeo restituit Rabanus, *creator* pro *error*, nam & in Græco est δημιουργόν.

f Præfert Rabanus, *homicida* pro *latro*. Græce etiam Origenes scripsit ϛ ονδ'ς. Tum illud, *ætate satis integra* pro *integer*.

g Rabanus, *quod in commune expedit civitati exequetur*.

a lere, quis non accipiat licentiam [a] malorum? Qui nunc saltem propter supplicia terretur, nonne invadet tempus, ut expleat quæquunque voluerit, & præceps feratur in vitia? Hæc autem in Ecclesia sæpe accidentia possumus considerare. Peccavit quispiam, & post peccatum * postulat communionem. (*al. postulet.) Si ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium venia procedit, & laxatis frænis, sceleribus panditur via. Sin vero cum rationabili deliberatione, non [b] ut immisericors, nec rursum ut crudelis judex, sed & quasi uni providens, & de omnium salute pertractans, consideraverit populi damnum in unius venia, haud dubium est [c] quin faciat ejici unum de Ecclesia, ut multos salvet incolumes. Age nunc considera mihi & medicum, si cessaverit a sectione ejus vulneris, quod secandum est, si non usserit id, quod indiget cauterio, videlicet propter dolores qui ex talibus remediis consequuntur, quomodo crescat infirmitas, & in deterius [d] veternus exuberet. Si vero (ut ita dicam) temerarius ad [e] vulnus sector accesserit, & inusserit plagam, curat eum qui secatur & uritur, quia paululum severitatis assumpsit, licet visus fuerit ægrotantis ad horam non misereri. Ita & Deus non unum hominem, sed universum curat orbem, cælestia atque terrena, & omnia ubique dispensat. Et cum hoc provideat, quod uni commodum sit, multo magis providet quid toti mundo conducat, & hominibus universis. Providet quidem & ea quæ uni expediunt, verum ita, ne * unius utilitas omnium damno sit. (*al. illius.) Idcirco & ignis æternus præparatus est, & gehenna, & tenebræ exteriores: quæ omnia non tam ob eum qui puniendus est, quam propter universos homines constituta sunt. Si autem vis hujus rei testem accipere Scripturam, quod in aliorum eruditionem, licet jam desperabiles sint peccatores, & a curatione penitus alieni, torqueantur, audi Salomonem in Proverbis dicentem: (Prov. 19. 25.) *Pestilente flagellato, imprudens callidior erit.* Non eum qui flagellatur dixit callidiorem futurum, & sapientiorem propter castigationem suam, sed insipientem a stultitia ad prudentiam converti propter supplicia pestilentis: hoc quippe ex ipso nomine calliditatis significatur, & converti eum a calliditate, dum alios cernit propter ea, a quibus ipse obnoxius est, peccata cruciari. Igitur prodest nobis, *si* (1) *tamen digni sumus salute*, ut alii in utilitatem nostram torqueantur. Et quomodo utile fuit peccatum Israel in salutem Gentium, sic utilis est quorundam pœna aliorum saluti. Et ideo bonus & clemens Deus: *Non parcam*, inquit, *& non miserebor ab interitu eorum.* Circumscripto autem hoc capitulo, videamus subsequens Scriptura quid doceat: *Audite & auribus percipite, & nolite extolli, quoniam Dominus loquutus est. Date Domino Deo vestro gloriam priusquam obscuret, & priusquam offendant pedes vestri super montes tenebrosos: & sustinebitis lumen, & illic umbra mortis, & ponentur in tenebras. Si non audieritis occulte, plorabit anima vestra a facie contumeliæ, & deducent oculi vestri lacrymas, quia contritus est grex Domini.* (Jer. 13. 15.) Eosdem vult audire, & auribus percipere, non contentus, neque auditione solummodo, neque aurium perceptione; propter quod ait: *Audite & auribus percipite*, &, quod his majus est, *nolite extolli*, & reliqua quæ sequuntur. Quid est ergo audire, & quid est auribus percipere, ex ipsis sermonibus consideremus. Auribus percipere est (ut mihi quidem videtur) auribus quæ dicuntur audire. Quod autem præcedit, *Audite*, si ad distinctionem ejus præcepti dicitur, [f] quod postea infertur, *auribus percipite* hoc imperat ut in mentem & sensum ea quæ dicuntur, excipiant. Neque vero hoc solum in loco, sed in omni Scriptura sunt quædam & facilia & promta ad intelligendum, quæ statim ut lecta fuerint, utilitatem legentibus tribuunt. Sunt alia [g] secretiora & ineffabilia, & (ut ita dicam) quibusdam obscuritatibus involuta. De his igitur quæ

a Antea erat, *quis non accipiat licentiam? quis malorum, qui nunc saltem propter supplicia terrentur, non invadet* &c.

b Econtrario Vulgati antea libri, *non ut misericors:* dissentit vero vetus Rabani lectio, & cum primis Græcus, ἀνελεήμων.

c Rabanus, *haud dubium est quid faciat: ejicit unum de Ecclesia, ut multos reservet &c.*

d Duobus verbis erat, *vetus humor*, pro quibus ex Rabano, & Regiis penes Huetium mss. restituimus *veternus*.

e Hic quoque vitiose legebatur, *cultus*, pro *vulnus*, quod Rabanus castigat.

(1) In Græco ἐάν γε σωτηρίας ἄξιον γενώμεθα δι' ἄλλων κολαζομένων, quæ Huetius fidus interpres reddit, *si modo per aliorum punitionem digni salute efficimur*, Hieronymiana Versione improbata.

f Mss. Regii, teste Huetio, *ut postea inferat.* Rabanus, *quod postea infert.*

g Rab. *sacriora*: f. *sacratiora*, Græc. μυστικώτερα

quæ latent, & expositione indigent, arbitror nunc dictum esse: *Audite*: de his autem que sine scrupulo interpretantis auditori commoda sunt: *Auribus percipite*. Percurramus universas Scripturas, & probati nummularii effecti dicamus, hoc audire debemus, hoc auribus percipere. Denique cum audierimus & perceperimus auribus quæ dicuntur, non
Luc. 18. 14. elevemur: *Omnis quippe qui se humiliat exaltabitur*. Et Salvator noster, dicens:
Mat. 11. 29. *Discite a me quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem in animabus vestris*: docet nos ne extollamur. Nam cum multis vitiis genus vexetur humanum, hoc peccato vel maxime premitur. Nec unus est modus superbiæ. Alius
* al. irrationabili * irrationabiliter, & stultorum more in iis effertur, quæ magis pudore digna
* al. excedit sunt, aut certe modum elationis * excedunt. Alius quasi [a] verisimili ratione seductus super iis elevatur, quæ sibi digna gloria putat, cum & in talibus periculosum sit gloriari. Exemplum assumam, quo fiat manifestius. Sunt quidam in eo se jactantes, quia filii [b] ducum sunt, & nobili familia nati. Istiusmodi homines ne umbram quidem & imaginem elationis suæ possunt ostendere. Sunt alii qui de eo sublevantur, quia potestatem habent occidendi homines; &, ut ipsi putant, ea fulti sunt dignitate, ut quorum velint, capita secent. Horum gloria in confusione sua est. Alii super divitiis sibi applaudunt, non his veris, sed iis divitiis quæ deorsum sunt. Alii superbiunt super domo splendida, super possessionibus multis: in quibus universis non est penitus gloriandum. Quod autem verisimile & dignum * judicatur, ut quidam putant,
* al. videtur [c] gloria, illud est, cum aliquis ob sapientiam suam elevatur, aut conscius sibi est, quia decem jam annis [d] res venereas non tetigerit, sive ab infantia integer, castusque permanserit. Rursumque alius erigitur, quia vincula pro Christo portaverit. Recta quidem videntur hæc omnia, & [e] subjicientia quandam persuasionem ad gloriandum; sed ne in his quidem (si tamen sequimur veritatem) rationabiliter quis effertur, quia & in rebus bonis [f] gloriari, non est sine discrimine. Paulus habuit materiam * elationis, habens in se visiones, revelationes, signa, virtutes, propter labores quos Christi caussa perpessus, est, propter Ecclesias quas constituit, contendens, ubi Christus non erat nominatus, ibi jacere fundamentum. Hæc omnia materiæ erant gloriationum, & si sic expedit dicere, verisimilis caussa quæ honestam subjiceret jactationem. Sed quia ne in talibus quidem sine periculo est sublevari, benignus & providus Pater quomodo ei largitus est revelationes, & gratias differentes, sic ad tuitionem donorum suorum tradidit Angelum Satanæ, ut eum * colaphizaret, ne extolleretur, & propter hoc ter Dominum rogavit, scilicet ut ab eo discederet Angelus Satanæ, qui juxta dispensationem ei appositus fuerat. Sed respondit ei Dominus (dignus quippe erat responsione Domini Paulus) & dixit ad eum: *Sufficit tibi gratia mea; virtus enim in infirmitate perficitur*. Super nullo igitur gloriandum est. Sequitur quippe ruina jactantiam, Scriptura dicente: *Ante contritionem elevatur cor viri, & ante gloriam humiliatur*. Et hæc quidem dicta sunt de eo quod ait: *Audite & auribus percipite, & nolite extolli, quoniam Dominus loquutus est*. Videamus autem & cætera. *Date Domino Deo nostro gloriam, priusquam obscuret, & priusquam offendant pedes vestri super montes tenebrosos, & sustinebitis in lumen*. Eum qui daturus est gloriam Deo, vult dare in lumine, quasi iam non possit gloriam prædicare, cum tenebræ ortæ fuerint. Quando tenebrescit, & quando non sunt tenebræ? Operamini donec lumen est in vobis. Lumen in te est, si habes in te dicentem: *Ego sum lumen mundi*. Quamdiu tibi lux ista oritur, clarifica Deum, sciens

* al. gloriationis. 2. Cor. 12. 7. * al. colaphizet. 2. Cor. 12. 9. Prov. 18. 12. Jer. 13. 16. Joan. 8. 12.

[a] Vulgati libri, *quasi verisimulatione seductus*. Concinnius apud Raban. *quasi verisimili ratione* &c. & in Græco quidem est. μετὰ πιθανότητος.
[b] Pro *ducum*, quod nomen ex Rabano substituimus, legebatur antea *regum*, Græco ipso archetypo dissentiente: υἱοὶ ἡγεμόνων, *filii ducum*.
[c] Perperam in hactenus impressis, *gloriandum est*. Nos Rabani lectio de mendo monuit. Constat vero ex sensu, ipsaque orationis serie restituendum, uti fecimus, duobus verbis, *gloria* (scilicet, quod dignum judicatur) *illud est* &c.
[d] Legit Rabanus, *mulieres*, pro *res venereas*: in Græco autem proprie est, οὐχ ἥψατο ἀφροδισίων: *non tetigit res venereas*: seu, venere abstinuit.
[e] Antea erat minus recte, *subjicienda quandam persuasione*. Optime econtrario vim Græci textus, πιθανότης μὲν ἐστιν ἐνταῦθα ὑποβάλλουσι, ὅτι ἀλόγως τις ἐπαίρεται, & Latinæ interpretationis germanum sensum hæc refert, quam ex Rabano substituimus, lectio, *subjicientia quandam persuasionem ad gloriandum* &c. Eadem mox recurrit sententia.
[f] Contratio, sive potius nullo sensu editi libri ferebant, *gloriandum est sine* &c. Clamat res ipsa, hanc fuisse scriptoris mentem, ut inferret, neque in bonis regibus gloriari, esse sine periculo. Sic & paulo post, *ne in talibus quidem sublevari, sine periculo est*. Hanc adeo lectionem ex Rabano reposuimus: in Græco enim textu nihil est, quod huic sententiæ respondeat. Levia quædam inferius castigantur.

sciens quia futuræ sunt tenebræ. Nec tibi expedit, ut eas opperiaris; sed antequam fiant, da gloriam Deo. Forsitan intelliges præsens capitulum, si de Evangelio sumpseris exemplum, quod ita contexitur: *Operamini donec dies est, venit nox quando nullus potest operari*. (Joan. 9.4.) Diem ibi sæculum istud nuncupavit, & necessario apposui *ibi*. Scio quippe in aliis locis dissonantia præsentibus ex diei vocabulo significari. Diem itaque nuncupavit sæculum istud, tenebras vero & noctem, consummationem mundi, propter supplicia quæ * futura sunt. (* al. ventura.) Ut quid enim nobis desiderare diem Domini? *Et ista est tenebræ & non lux*, Amos inquit Prophetes. (Amos 5.18.) Si consideres post consummationem mundi lugubre illud, quod passurum est universum pene hominum genus pro his quæ peccavit, videbis quomodo tenebræ occupaturæ sint omnia, & nullus possit in illo tempore * glorificare Deum. (* al. clarificare) Si quidem & justis in Isaia jubetur: *Vade, populus meus, in promtuaria tua intra, claude ostium tuum, & abscondere pusillum quantulum, donec ira Dei transeat*. (Isai. 26.20.) Simul autem & in his qui potest observet, quare dixit pusillum quantulum: [a] quippe hoc quantulum quod pusillum est, non est pusillum hominibus. Et debemus inspicere quomodo singulis aut parum sit aliquid, aut magnum. Ad quod probandum etiam exemplo utimur. Unicuique animalium pro natura & modo corporis sui, aut parvus est cibus, aut magnus; & quod alii pusillum est, æque id ipsum alii multum est. Quid de animalibus loquar? in ipso quoque homine rerum differentiæ sunt. Quod viro parum est, hoc infanti superfluit. Atque in hunc modum omne tempus vitæ humanæ, etiamsi centenariam excedat ætatem, ad comparationem æternitatis breve est: unde pusillum Dei nobis multum est, & vicissim universa sæcula ad Deum relata brevissima sunt. Sic ergo dicitur: *Vade, populus meus, intra in promtuaria tua, claude ostium, abscondere pusillum quantulum*. Quantulum pusillum illud non ad illius naturam refertur, qui in promtuaria sua jubetur intrare, sed ejus qui jubet, cui pusillum est hoc omne quod grande est. Si enim donec pertranseat ira Dei, oportet quosdam intrare promtuaria sua; sunt autem alii, quibus non sunt dimittenda peccata, non solum in præsenti sæculo, sed etiam in futuro, manifestum est, pusillum ad ea referendum quæ diximus. *Date itaque Domino Deo vestro gloriam*. (Jer. 13.16.) Quomodo damus Domino Deo nostro gloriam? non verbis & vocibus tantum glorificandus est Dominus: * glorifica eum in castitate, & justitia, & beneficentia: glorifica eum in fortitudine, patientia, pietate, sapientia, cæterisque virtutibus. (* al. clarifica hic & infra.) [b] Sic autem est glorificandus Deus, si contraria intulero, nolo me arbitremini blasphemare. Exhibeo quippe Scripturam sensus mei testem, quomodo castus glorificet, luxuriosus inhonoret Deum [c]: Templum enim ejus, quasi Nabuchodonosor, destruit atque corrumpit, & secundum Apostolum per prævaricationem legis, Deum inhonorat. (Rom. 2. 23.) Igitur glorificat Deum justus, contumeliis afficit quicumque peccator est. Nam & illud quod quidam dubitant, an sit providentia Dei, nullam aliam ob caussam nisi ob vitia nascitur. Aufer ea, abstulisti pariter & caussas providentiæ destruendæ sursum ac deorsum. Qui adversum providentiam disputant, hæc dicunt: Quare tanti adulteri? quare tanti molles? quare tanti sacrilegi? quare tanti irreligiosi sunt? Atque ita contumelias in providentiam, & offensas in Deum, & criminationes in Creatorem peccatores generant. Ex quibus liquido apparet alios dare Deo gloriam, alios convicium facere, dum passionibus & vitiis serviunt. *Date gloriam Domino Deo vestro antequam tenebrescat, & antequam offendant pedes vestri in montes tenebrosos*. (Jer. 13.16.) Sunt alii montes tenebrosi, alii lucentes. Veruntamen quia utrique montes sunt

[a] Unus ms. Reg. penes Huetium, *Quantulum pusillum quippe hoc, quantulum pusillum est Domini, non est pusillum hominibus*. Alius: *Quantulum pusillum est? non est pusillum hominis*.

[b] Præponendam *si* conjunctionem suspicatur Huetius, ut hæc subsequenti jungatur sententiæ, estque revera in Græco: ἡ δὲ ταῦτα ὅπως ἔχῃ, καὶ ὅπως δοξάζῃ τις τὸν Θεόν, ἐὰν εἴπω τὰ ἐναντία &c. Rabanus autem aliter dividit, legitque: *sic autem clarificandus est Deus. Si contraria intulero, nolo me arbitremini clarificare, sed blasphemare. Exhibebo quippe Scripturam* &c.

[c] Expunximus heic vocem *qui*, sane contextui reliquo incommodam, totamque periodum ad Rabanicæ lectionis exegimus normam, atque ibi cumprimis, ubi legimus, *per prævaricationem legis Deum inhonorat*, cum antea esset, *prævaricatur & Deum inhonorat*. Præsto autem fuere post Rab. testimonium mss. quoque Regii, quos laudat Huetius, quique in eo tantum a Rabani lectione abludunt, quod vocem *legis* non agnoscunt. Sed præ cæteris Græcus concinit textus: τὸν γὰρ ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Ναβουχοδονόσορ καταστρέφει, καὶ φθείρει... καὶ διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν Θεὸν ἀτιμάζει; λέξις ἐστὶ καὶ αὕτη ἀποστολική.

sunt magni, montes lucentes sunt Angeli Dei & Prophetæ: Moses famulus ejus, Apostoli Jesu Christi, de quibus arbitror dici: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Montes tenebrosi sunt qui eriguntur adversus scientiam Dei. Zabulus mons tenebrosus est. Principes sæculi hujus qui destruuntur, montes sunt tenebrosi. Dæmonium lunatici, mons erat & tenebrosus: mons erat de quo Salvator ait: *Si dixeris monti huic*: de lunatico quippe dæmonio sibi quæstio inciderat: & dicentibus Discipulis: *Non potuimus ejicere illud*, respondit Salvator: *Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis monti isti*, de quo quæsistis, de quo proposuistis: *dicetis monti huic: Transmigra hinc, & trasmigrabit*, idest ab homine ad locum definitum sibi. Qui ergo offendunt, non offendunt super montes lucentes, sed super montes tenebrosos, si fuerint cum zabulo, & Angelis ejus montibus tenebrosis. *Et sustinebitis in lumen*. Potest quidem aptari huic quod dicitur: *Date gloriam Domino Deo nostro*, hoc quod modo infert: *Et sustinebitis in lumen*. Si dederitis Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri super montes tenebrosos, haud dubium, quin etiamsi contenebrescat, & sustineatis lumen, vos suscipiat. Alius vero dicat, nescio utrum recte an perperam, quia & hi qui offendunt super montes tenebrosos, exspectant aliquando misericordiæ lumen. Hoc enim videtur ostendere: *Et sustinebitis in lumen*. Si autem quis venerit ad montes tenebrosos, vide quid ibi inveniat. Est illic umbra mortis, ibi tenebrosi montes, ibi umbra mortis ex ipsis montibus procreata. *Et ponentur in tenebras. Et nisi audieritis occulte, gloriabit anima vestra a facie contumeliæ*. De his qui audiunt, quidam occulte audiunt: quidam vero cum audiunt, non occulte audiunt. Quid est itaque occulte audire? nempe illud: *Sed loquimur sapientiam Dei in mysterio absconsam: quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram*. Et rursum alibi dicitur, quia *plura operum Dei sunt in absconsis*. Si audio Legem, aut occulte audio, aut non occulte. Judæus quia Legem non audit occulte, in manifesto circumciditur, nesciens

Ps. 86. 6. *2. Cor. 10. 5.* *Mat. 17. 19.* *Jerem. 13 16.* *Jer. 13. 17.* *2. Cor. 2. 7.* *Eccl. 16. 22.*

A eum qui in manifesto circumciditur, Judæum non esse, neque eam quæ in palam est in carne circumcisionem. Qui auditor est autem circumcisionis occultæ, & in occulto circumciditur. Qui audit Legem occulte de mysteriis Paschæ, ove vescitur Christo; *Pascha quippe nostrum immolatus est Christus*; sciens carnem Verbi Dei vere cibum esse, vescitur ea. Occulte quippe de Pascha audivit. At vero miserabilis B Judæus, idcirco Dominum Jesum interfecit, & usque in præsentem diem reus est mortis ejus, quia non audivit occulte Legem & Prophetas. Si quando leges de azymis potes audire occulte, potes audire manifeste. Quicunque de vobis (prope quippe est Pascha) azyma celebraverit, id est, azyma hæc [a] corporalia, non audivit mandatum dicens: *Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra*. Et de Sabbato C quædam mulierculæ non audientes Prophetam, non audiunt occulte, sed palam die Sabbato lavantes se, & iterum revertentes ad egena, & infirma elementa, quasi nondum descenderit Christus, & nos baptismo suo laverit a Legalibus initiis in Evangelicam perfectionem. Idcirco diligentius attendamus, si quando Legem legimus, & Prophetas, ne incidamus in maledictionem, quæ nunc dicitur: *Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra a facie* D *contumeliæ*. Quiquunque jejunium Judæorum, quasi ignorantes redemtionis diem post adventum Jesu Christi observatis, non auditis redemtionem occulte, sed tantummodo palam. Absconsa quippe est propitiationis auditio, scire quomodo posuerit Jesum Deus propitiationem pro peccatis nostris, & quia *ipse est propitiatio pro peccatis, non solum nostris, verum etiam totius mundi*. Parabolæ quoque cum le- E guntur in Evangelio, & est auditor extraneus, non potest eas occulte audire. Si vero auditor fuerit Apostolus, & unus eorum qui ingrediuntur domum Jesu, accedit ad eum, interrogat de obscuritate parabolæ, & si interpretatus ei sit quæ audivit, intelligens Evangelium audit ea occulte, ut non ploret anima ejus. Eorum quippe, qui occulte non audiunt plorabit anima. [b] Quam admirande non ait: Plorabitis, nisi occulte audieritis, verum: *Plorabit anima vestra*: est

1. Cor. 5. 7. *2. Joan. 2. 2.*

[a] Corrupte antea legebatur; *corpora*. Græc. σωματικά.

[b] Penes Raban. *Et notandum, quam admirando &c.*

est quippe solius animæ fletus, & forsitan A iste sit, de quo Salvator ait, *Ibi erit fletus & stridor dentium*. (Matt. 8.12.) Illa quoque comminatio, qua ridentibus luctum lacrymasque denuntiat, de hoc fletu est, quem commemorat Propheta [a] nunc, dicens: *Nisi audieritis occulte, plorabit anima vestra a facie contumeliæ*. (Jer. 13. 17.) Cum enim fueritis passi contumeliam, tunc plorabitis, & deducent oculi vestri lacrymas, quia contritus est grex Domini. Si consideremus statum, [b] in quo modo sunt Judæi, & comparemus illum antiquæ felicitati, videbimus quo pacto contritus sit grex Domini. Fuit quippe aliquando hic grex Domini, & quia indignos se judicaverunt salute, conversus est sermo Domini ad Gentes. Si ergo grex ille contritus est, nos oleaster, qui contra naturam inserti (Rom. 11. 24.) sumus in bonam olivam Patriarcharum, nonne plus debemus vereri, ne & iste grex Domini conteratur? Futurum quippe est ut aliquando & iste grex conteratur, juxta illud quod a Salvatore dictum est: *Cum multiplicatæ fuerint iniquitates, tunc refrigescet caritas multorum*: (Matt. 24. 12.) de quibus enim hoc dicitur, *refrigescet caritas multorum*? nonne de his qui nuncupantur Christiani? de quibus hic sermo est: *Verumtamen veniens Filius hominis, putas inveniet fidem super* B *terram*? (Luc. 18. 8.) nonne de nobis? Idcirco provideamus attentius, ut per singulos dies iste grex Domini melioretur, convalescat, integer perseveret, * ut omni contritione ab animabus * nostris recedente, [c] efficiamur perfecti in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

(* al. &. * al. vestris.)

HOMILIA DECIMA

Quis parcet super te, Jerusalem? &c. Jerem. XV. 5. & seq.

EA quæ ad Jerusalem cum ingenti C comminatione dicuntur, volumus intelligere, ita se habentia. *Quis parcet super te, Jerusalem? aut quis contristabitur super te? Quis convertetur rogare ea quæ in pacem sunt tibi? Aversata es a me, dicit Dominus. Retro ambulabis, & extendam manum meam super te, & disperdam te, & ultra non sinam te, & dispergam illos in dispersione. Dixi: Sine filiis effectus sum: egestas tenuit me*. Exemplum accipiam: Hostis quis- D piam [d] ac perduellis contra Imperatorem hujus terræ * judicatus est: ab hoc omnis misericordia aufertur; scilicet ne dum damnato quis miseretur, incipiat offendere condemnantem. Sunt * etiam nonnulli qui adjiciunt ad severitatem, ut * ne contristentur quidem super eo, id magnopere devitantes, ne per mœrorem [e] vultus monstrentur judicio regis offendi. Si intellexisti [f], considera mihi propter peccata multa a Deo condemnatum peccatorem, & vide quomodo innumerabilibus Angelis humano generi præsidentibus, ne ab uno quidem misericordia dignus judicetur. Singuli [g] quippe Angelorum perspicientes, quia Deus est qui condemnavit, quia Creator est qui aversatur, & tale esse peccatum, ut misericors, & clemens [h] Deus quodammodo necessitatem passus sit * super eum sententiam * promere, non parcunt, non contristantur, neque miserentur, non revertuntur, ut rogent pro eo pacem. Jerusalem igitur, * quæ ad priora scelera etiam hoc adjecit, ut crucifigeret Dominum meum Jesum, & in tantum surrexit scelus, ut de ea diceret Salvator: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas missos ad te, quoties volui congregare filios tuos, quasi gallina congregans pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta*, (Mat. 23. 37. Luc. 13. 34.) ideo dimissa est, & usque ad

(* al. adjudicatus. * al. autem. * al. non. * al. ut super. * al. promeret. * al. quia.)

[a] Illud *nunc* quod & in Græco sonat, & apud Rabanum, in antea vulgatis libris deerat.

[b] Legebatur antea, *quomodo sit, Judæorum*. Nobis verior visa Rabani est lectio, quam reposuimus, & quæ propius accedit ad Græcum, ἐὰν ἴδῃ νῦν τις τὰ Ἰουδαϊκὰ &c.

[c] Ita rescripsimus ex Rabano, *efficiamur perfecti*, cogente Græci archetypi verbo τελειωθῶμεν. Antea lectum vulgo est, *efficimur grex Domini*, quas duas voces *grex Domini* adnotarat Huetius in Reg. mss. penitus non inveniri, legique continenter, *efficiamur in Christo* &c.

[d] Interserit Rabanus, *rebellis*.

[e] Apud Rabanum, *ne per errorem vultus putentur judicia regis offendi*. Unus ms. Reg. penes Huetium, *ne per mœrorem, Judicium regis offendant*.

[f] Idem addit, *exemplum*: tum legit, *considera tunc ob peccata* &c.

[g] Editi, *singuli quidem Angelorum prospicientes*. Paulo quoque post, *adversatur* pro *aversatur*.

[h] Vocem *Deus*, quæ deerat, Rabanus Græcusque textus restituunt.

ad præsens tempus destituta. Angeli A quippe qui semper auxiliabantur ei, per quos etiam lex Moysi tradita est, *Galat. 3. 19.* *disposita per Angelos in manu mediatoris*, deseruerunt eam, & dixerunt: Multis facinoribus oppressa est, Jesum interfecit, & in Dominum nostrum misit manus. Quamdiu minora peccavit, potuimus rogare pro ea, potuimus obsecrare [a] Dominum, potuimus parcere ei: [a] super isto vero quis parcat? Si peccans peccaverit vir in virum, exorabitur pro B eo; si autem peccaverit in Deum, quis *Thr. 1. 8.* orabit pro eo? *Grande piaculum commisit Jerusalem, grande perpetravit nefas, ideo in commotione facta est:* Et dicitur [b] ad eam: [b] *Quis parcet super te, Jerusalem, aut quis contristabitur super te?* Nos non * contristamur super Jerusalem, & calamitatibus ejus, & omnis populi illius. *(* al. contristabimur.)* Illorum quippe delicto salus nobis facta est ad æmulandum eos. Et quia sic peccaverit ut voce Domini C diceretur: *Quis parcet super te, Jerusalem?* ego quoque dico ad interfectricem Domini mei: *Quis parcet super te, Jerusalem? & quis contristabitur super te?* Ttranscendam autem ad spiritalem intellectum ab humilitate literæ, viam mihi pandente ratione, * ut videam quomodo unaquæque anima, digna pace Dei Jerusalem nuncupetur. *(* al. et.)* Post disciplinam quippe divinam [c] facta es, Jerusalem, quæ prius fueras Iebus. In Historia refertur, quod nomen loci istius D fuerit Jebus, & postea, commutato vocabulo, nuncupata sit Jerusalem. Jebus autem Hebræorum posteri tradunt interpretari, *Conculcatam*. Iebus * ergo conculcata a fortitudinibus contrariis anima nostra trasmutata est, & facta Jerusalem, *Visio pacis*. *(* al. autem)* Si itaque post * demutationem a Iebus in Jerusalem peccaveris, & sanguinem testamenti, sicut quidam, & tu communem existimaveris, * dicetur & de te: *Quis parcet super te, Jerusalem? & quis contristabitur super te?* *(* al. diminutionem. * al. dicitur)* Quis enim contristabitur, si talis fueris ut tradas Jesum? Unusquisque nostrum, [d] quando peccat,

S. Hier. T. V.

maxime quiquunque peccat ingentia, in Jesum peccat. Si autem & recesserit a fide, hæc facit spiritaliter Christo, quæ corporaliter fecit Jerusalem. Quamobrem *quanto plus arbitramini deteriora mereri supplicia eum, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem * testamenti pollutum duxerit in quo * sanctificatur, & spiritui gratię contumeliam fecerit?* *Hebr. 10. 29.* *(* al. novi testamenti. * al. sanctificatus est.)* Si conculcasti Jesum filium Dei, [e] fecisti convitium spiritui gratiæ, quis parcet super te? quis contristabitur super te? quis revertetur rogare ea quæ in pacem sunt tibi? Ipsum Jesum qui rogabat pariter, & præstabat ea quæ erant in pacem, prodidit [f] anima peccatrix, quis potest ultra rogare, conversus ad ea quæ sunt in pacem tibi? Scientes ergo quia *impossibile est eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, iterum crucifigentes * in semetipsis filium Dei, & habentes ostentui*, *Hebr. 6. 4.* *(* al. sibimetipsis.)* omni labore nitamur, ne & de nobis dicatur: *Quis parcet super te, Jerusalem? aut quis contristabitur super te? aut quis revertetur rogare ea quæ in pacem sunt tibi?* Ad reliquam autem interpretationem, quod sequitur convenit: *Tu aversata es me, dicit Dominus, retro ambulabis.* *Jerem. 15. 6.* Quia aversata es Filium Dei, & per hoc etiam a Deo Patre recessisti, retro ambulabis. Quid autem necesse est manifesta replicare? Jerusalem quæ quondam in Judæa erat, a qua figuraliter universi Judæi intelliguntur, quia aversata est Christum, ideo retro ambulat. Fuit quippe tempus quando non ambulaverunt retro: nunc vero ambulant, & conversi sunt corde in Æ- E gyptum, ut retro * ambulent. *(* al. ambulant.)* Quid autem sit, retro ambulare, sive extendi in priora, considera. *Philip. 3. 13.* Justus eorum quæ retro sunt oblivisscens, in priora extenditur. Peccator posteriorum meminit, priora non appetens. Qui autem

Hhh

a Minus recte vulgati antea, *super ista quis* &c. Rabanus emendat, & Græcus ἐπὶ τούτῳ. Mox quoque vocem *peccans*, quæ deerat ex iisdem suffecimus.

b Desiderabatur in antea vulgatis versiculus iste, *Quis parcet super te, Jerusalem, aut quis contristabitur super te?* quem ex Rabano, Græcoque Origenis suffecimus, utpote contextui cumprimis necessarium.

c Apud Rabanum, *factus est Jerusalem, qui prius fuerat Jebus. Historia refert quia nomen &c.*

d Nullo fere sensu, aut certe nimium impedito, legerant vulgati hactenus libri, *unusquisque nostrum quandoque peccat: maxime quæ cum peccat ingentia in Jesum peccat.* Veram lectionem quam sponte probabis, Rabanus restituit, Græcusque Adamantii textus ἕκαστος ἡμῶν ἁμαρτάνων, καὶ μάλιστα ἡ μείζονα, εἰς Ἰησοῦν ἁμαρτάνει.

e Præponit Rabanus, *si*, conjunctionem. Græcus habet καὶ, *&*.

f Male antea erat, *perdidit*, castigat Rabanus, *prodidit*, prout & Græcus habet, προέδωκεν, atque ipse demum Huetius rescribendum conjecerat. Mox quoque rectius legit Rabanus, *rogare conversus ea qua &c.*

Mar. 13. 16. tem posteriorum meminit, prævaricatur in legem Jesu dicentis: *Ne convertatur retrorsum tollere vestimentum suum;* Luc. 17. 32. Inobediens est dicto ejus: *Mementote uxoris Loth,* [a] contemnit imperium Luc. 9. 62. Salvatoris dicentis: *Nemo mittens manum super aratrum, & respiciens retrorsum aptus est regno Dei.* In Lege quoque scriptum esse reperimus, Angelos ad Loth egredientem de Sodomis dixisse: Gen. 19. 17. *Ne respexeris retro, & ne steteris in tota regione: in monte salvum te fac, ne forte comprehendaris.* Habes & hunc intellectum dignum spiritu Dei: *Ne,* inquit, *respexeris retro,* idest in priora, extende. Dimisisti Sodomam, ne revertaris in Sodomam. Dimisisti vitia atque peccata, ne regrediaris ad ea. Ne steteris in tota regione. Etiam si præcedens imperium custodieris, de A quo dicitur: *Ne respexeris retro,* non tibi sufficit ad salutem, nisi & consequens observaveris: *Ne steteris in tota regione;* non enim expedit incipienti proficere, ut stet in regionibus Sodomorum. Et si Sodomam transcendisti, & a Satanæ regione discedens, incipis liber esse suppliciis, expedit ut salveris in monte. *Ne respexeris retro, nec steteris in tota regione: in monte salvum te fac, ne forte comprehendaris.* Si B vis a Sodomorum ruina non comprehendi, ne convertaris retro, ne steteris in regione eorum, ne ad alia pergas loca, sed cum inde discesseris, ascende in montem, in quo solo salus est, nomen Jesu Christi, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA UNDECIMA

Ab eo loco in quo scriptum est: *Heu mihi ego mater.* Jerem. XV. 10.
Usque ad locum in quo ait:
Si conversus fueris, restituam te. Jerem. XV. 19.

Medici corporum, ægrotantibus assistentes, & juxta disciplinam artis suæ volentes curare eos qui in infirmitatibus constituti sunt, [b] vident tristia, injucunda pertractant, & in alienis calamitatibus mœrore proprio conficiuntur: semper enim conversatio eorum in gemitu, semper in curis est, numquam cum lætis consortium habent: cum vulneratis, cum his quorum carnes incommodis variis debilitantur, qui febribus æstuant, qui do- D lore torquentur, jugi servitio perseverant. Et si quis eorum vult implere medicinam, non indignatur, non obliviscitur propositi artis suæ, postquam cum his fuerit quos sermo præfatus est. Hæc idcirco in prooemio diximus, quia & Prophetæ medici quodammodo sunt animarum, & illuc semper ire Luca 5. 31. jubentur, ubi languentes sint: *Non enim necesse habent sani medicum, sed ii qui se male habent.* Quod autem a delicio- E sis ægrotantibus medici patiuntur, hoc sustinent Prophetæ ac magistri ab C his qui curari nolunt. Odio quippe habentur quasi præcipientes adversum desideria languentium, quia prohibent deliciis, & cibis variis uti eos, qui cum sint infirmi, nolunt escis infirmorum vesci. Fugiunt ergo inobedientes atque languentes medicos, & maledictis atque injuriis repellunt, eaque prorsus iis faciunt, quæ faciat quis inimicis & hostibus suis. Abominantur enim eos quasi inimicos venire, quasi id tantummodo desiderantes, quomodo dolores & victus parsimonia, ex eorum dispositione nascantur: quomodo acutissimo ferro corpora secent; & execrantur eos quasi auctores tantorum cruciatuum, & non sanitatis quæ ex doloribus redditur. Populus igitur ægrotabat variis languoribus, & misit illis medicos Prophetas Deus. Unus ex medicis & Jeremias fuit, corripiens peccatores, & convertere [c] volens a vitiis ad virtutes. Illi vero cum deberent ea quæ dicebantur audire, econtrario accusabant Prophetam apud judices

[a] Delevimus hic superfluam conjunctionem, *cum* ad Rabani & Græci textus fidem. Pleraque autem alia levioris momenti supra atque infra emendamus.
[b] Unus ms. Reg. apud Huetium, *videntes eos vexari, tristantur, injocunda* &c.
[c] Ex Græco textu βουλόμενος, rescribere in Latino non dubitavimus, *volens*, pro quo antea satis incongrue erat, *videns*. Auctor porro sum, ut hujusce Homiliæ prooemium cum illo conferas, quod præponitur Adbreviationi illi supposititiæ, quam excudimus in Appendice Quarti Tomi ex Veronensi ms.

dices similes sui. Ex quo factum est ut semper in calumniis & in tristitiis fuerit Jeremias, [a] eorum perversitatis, quantum in se fuit, curam gerens. Juxta propriam autem incredulitatem adhuc ægrotantibus istiusmodi aliquando loquitur: *Et dixi: Non loquor, neque nominabo nomen Domini. Et factum est ut ignis ardens in ossibus meis, & dissolutus sum undique, & ferre non possum.* Aliquando autem videns se maledictis semper clamoribus, & injuriis insectari: *Heu mihi*, inquit, *mea mater, ut quid me genuisti virum, qui judicer & discernar omni terræ?* Et quia ægrotantes bene consulentem, & juxta medicinæ disciplinam audire contemserunt: *Non profui*, inquit. Rursusque quia illo spiritales pecunias commodante, auditores accipere noluerunt, ut utilitatem consequerentur, & fructum ex his quæ acceperant, redderent, ait: *Neque profuit mihi quisquam.* Verum hæc anticipans loquutus sum, priusquam exponerem: *Non profui, neque profuit mihi quisquam.* Jer. 20. 9. Duplex quippe scriptura est: nam in multis exemplaribus continetur: *Non profuit, neque profuit mihi quisquam.* In his vero quæ exemplaria veriora sunt, & cum Hebræis consonant, habetur: *Non debui, neque debuit mihi quisquam.* Oportet igitur & id quod in usu est, atque in Ecclesiis legitur, exponere; & hoc quod in Hebræis codicibus invenitur, intactum non præterire. Prædicavit Jeremias mandata divina; nemo his quæ prædicabantur attendit. Quamobrem quasi medicus libens ac promtus medicamina languentibus tribuit, & illis non secundum artificium curantis, sed juxta voluntatem suam agentibus dicit: *Non profui, neque profuit mihi quisquam.* Quodammodo enim beneficium consequitur ipse qui curat, si fructum sui laboris in ægrotante conspiciat, & per lætitiam mentis etiam ipse consequitur utilitatem, secundum illud, quod alibi dicitur: *Beatus qui loquitur in aures audientium.* Hanc igitur utilitatem [b] quam consequitur magister ab auditoribus suis si proficiant audiendo, dum fructus ex salute eorum consequitur, quodammodo Jeremias videns de Judæis non habere se, dicit: *Non profuit mihi quisquam.* Si enim debet auditoribus prodesse, quod loquor: auditores vero quæ dicuntur, abjiciunt: & ego dico: *Non profui, neque profuit mihi quisquam;* quia hanc utilitatem non sum consequutus, quam consequitur is qui beatus efficitur, dum in aures loquitur audientium. Potest autem & aliter intelligi. Quiquunque discipulis præcipit, iste, si ingeniosos, & audientis naturæ habeat auditores, quanto plus præcipit, tanto plus proficit, illis interrogantibus, & de eo quod dicit sæpe quærentibus, qui sit sensus in dicto, qui ordo, quæ scripti voluntas. Unde econtrario ait: *Non profui, neque profuit mihi quisquam.* Quia autem & alia nobis expositio residua est, propter exemplaria certiora, in quibus continetur: *Non debui, neque debuit mihi quisquam*, & hunc locum consideremus. *Qui omnibus omnia restituit, cui vectigal vectigal, cui* Rom. 13. 7. *timorem timorem, cui tributum tributum, cui honorem honorem*, & universis omnia repræsentat, nulli debens aliquod officium, verbi gratia, honorans parentes fratres ut fratres, filios ut filios, Episcopos ut Episcopos, Presbyteros ut Presbyteros, Diaconos ut Diaconos, fideles ut fideles, cathecumenos, ut cathecumenos; si omnia omnibus reddat, nulli debet officium. Si vero reddere debet, & non reddit, non potest dicere: *Non debui*; cum enim debuerit, non exsolvit. Quod autem sequitur: *Non debuit mihi quisquam*, sic intelligendum est: Ego quidem fœnerari volui: & spiritales pecunias commodare, sed illi averterunt aures suas ab iis quæ dicebantur, neque voluerunt præbere se dociles, ut mihi deberent quæ audiebant. Idcirco non debuit mihi quisquam. Si quis enim voluerit sermones qui dicuntur audire, debitor fit eorum, & quasi debitor etiam usuras reddere exigitur. Ex quo magis expedit auditoribus accipere disciplinæ verba cum fœnore, & fieri debitores, quam non accipere, nec debere. Accusantur quippe tales, dicente Propheta: *Non debuit mihi quisquam.* Quod ait: *Heu mihi, mea mater, quare* Jer. 15. 10.

 me

[a] Unus apud Huetium Reg. ms. *eorum perversitate, qui quantum in se fuit, curati erant; juxta propriam autem incredulitatem adhuc ægrotabant.* Alter, *ob eorum perversitatem, qui tantum in se fuit, curam gerebat eorum, juxta propriam autem incredulitatem, adhuc illis ægrotantibus istiusmodi &c.*

[b] Apud Rabanum, *ovans consequitur magister ab auditoribus suis, si proficiant audiendo, dum fructus ex salute eorum quodammodo metit. Jeremias in Judæis non habere se locum dicit. Ideo inquit, Non profuit &c.*

me genuisti virum, qui judioer & discernar omni terræ? non sic existimo convenire aliis Prophetis ut Jeremiæ; multi siquidem Prophetarum post aliquod spatium, primo mali, & jam post peccata conversi, prophetare ceperunt: Jeremias vero a puero sumpsit vaticinationis exordium. Et hujus rei possumus de Scripturis accipere testimonium. Isaias non audivit: *Autequam te plasmarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Prophetam in Gentibus posui te*: neque ait: *Nescio loqui, quia juvenis ego sum*: sed, visione sibi revelata, ait: *Væ mihi misero, quoniam compunctus sum, quia immunda labia habens in medio populi immunda labia habentis ego habito, & regem dominum Sabaoth vidi oculis meis, & missum est ad me unum de Seraphim, & tetigit labia mea, & dixit: Ecce abstuli iniquitates tuas, & peccata tua purgavi.* [a] Pristina igitur peccata purgata sunt, & dignus effectus Spiritu Sancto Isaias prophetavit. De aliis quoque similia si quæras, reperies. At non talis Jeremias, ab ipsis enim cunabulis Spiritu sancto plenus prophetare orsus est: propter quod ait: (secundum communem quippe sensum primum debemus exponere,) *Heu mihi, mater, quare me genuisti virum, qui judicer & discernar ab omni terra?* Quidam autem hunc locum interpretans, ait Prophetam non ad matrem corporalem hæc loquutum fuisse, sed ad eam quæ generet [b] Prophetas: nec aliam esse matrem Prophetarum, nisi sapientiam Dei, ad quam ait: *Heu mihi, mater mea*: quasi dicat: Cur me genuisti, o Sapientia? Filios vero Sapientiæ & alibi legimus, Scriptura dicente: *Amittit Sapientia filios suos*. Heu mihi, inquit, mater mea, Sapientia, quasi dicat: Cur me genuisti virum qui judicer? Quis ego sum qui in hoc natus sum, ut judicer atque discernar propter increpationes, propter correptionem, propter magisterium, dum corrigere nitor habitantes super terram? Si Jeremias dicit: Cur me genuisti virum qui judicer, & discernar terræ? non possumus exponere quid sit, *omni terræ*; neque enim ab omni terra dijudicatur Jeremias, nisi forte violenter Scriptura trahentes, dicamus positum esse, *omni terræ*, pro omni Judæa. Necdum quippe prophetia ejus illo tempore in universam terram pervenerat: nisi forte sicuti & in aliis multis locis ostendimus Jeremiam pro Domino nostro Jesu Christo positum, sic & in præsenti loco interpretemur. Annotavimus in principio hujus libri dictum: *Prophetam in Gentibus posui te, regna eradicare, & subvertere, & disperdere, & ædificare, & plantare*. Porro Jeremias ista non fecit, sed Dominus meus Jesus qui eradicavit regna peccati, & ædificatione nequitiæ subversa, fecit in animabus nostris justitiam, veritatemque regnare. Quomodo igitur magis illa conveniunt Christo quam Jeremiæ, sic, arbitror, & alia plura, & hæc quæ nunc dicuntur ad Dominum sunt referenda. Et primo quidem videndum est an possit id quod incongruum, & blaspemum videtur esse si referatur ad Dominum, id est: *Heu, mihi mater*, Salvator noster dicere miserans alios. Ad quod probandum exhibenda sunt testimonia, quæ manifeste nulli alii apta sint nisi Salvatori: quomodo videns Jerusalem fleverit super eam, quia dixerit: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos*, & reliqua. Nec non & illa quæ manifeste a Salvatore dicuntur: *Heu mihi, quoniam factus sum sicut qui collegit stipulam in messe, & sicut racemos in vindemia, cum non supersit botrus ad manducandum uvæ primitiva. Heu mihi, anima, quia periit reverens a terra, & qui corrigat inter homines non est. Omnes in sanguine judicantur*. Venit enim ut meteret fructus, & quasi stipula in segete reperta propter plurimos peccatores, ait: *Heu mihi quoniam factus sum sicut qui colligit stipulam in messe*, Venit vindemiare botros uvæ in hominibus, & in messe sceleribus inventis, dicit: *Et sicut racemos in vindemia, cum non supersit botrus uvæ ad manducandum primitiva*. In alio quoque loco similia his ad Patrem loquitur dicens: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Quid tantopere nominibus profui, qui nec in sanguine meo, quem fudi pro eorum salute, profecerunt? quæ utilitas

Isai. 6. 5. — Mat. 23. 37. — Mich. 7. 1. — Psal. 29. 10.

[a] Mss. Reg. quos laudat Huetius, *Post pristina igitur peccata dignus est effectus Sancto Spiritu*.

[b] Unus apud eumdem Huetium Reg. ms. *Prophetas, Dei sapientiam, nec alia &c.*

tas in sanguine meo, dum descendo de A cælis, dum venio in terram, dum contumeliis * affector, dum porto corpus humanum? quid his omnibus dignum inter homines perpetratum est? *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Tale ergo est quod in Jeremia dicitur: *Heu mihi, mater mea, quare me genuisti virum?* Non juxta quod Deus Salvator est, dicit: *Heu mihi, mater*, sed juxta B id quod homo est, sicut in alio Propheta: *Heu mihi*, inquit, *anima mea, quia reverens periit a terra*. Anima autem hominis est quæ conturbatur, & tristis est usque ad mortem, non Verbum quod erat a principio apud Deum, quod numquam mœret, numquam turbatum est, numquam dixit: *Heu mihi*: neque enim * Verbum sustinet mortem, sed homo qui istos patitur affectus, ut sæpe exposuimus: *Quare me genuisti virum, qui judicer, & discernar omni terræ?* Si consideres [a] ubique Martyres C condemnatos, & de singulis Ecclesiis exhibitos ad tribunal, videbis quomodo per singulos Martyres Jesus Christus condemnetur. Ipse enim est qui in perhibentibus [b] veritati testimonium judicatur: & hoc fideliter * suscipies, quia non te dixerit esse in carcere, cum fueris in carcere: non te esurire, cum esurieris: [c] cum sitieris, non te sitire, sed D semetipsum. *In carcere*, inquit, *fui & venistis ad me: esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi & potastis me*. Itaque si condemnatur etiam Christianus, non pro alia tamen re, neque pro sceleribus suis, sed pro hoc tantum quod Christianus est, Christus est qui condemnatur, ex quo efficitur, ut in omni terra condemnetur Jesus, quotiesquunque is addicitur, qui pro eo condemnatur. Non solum autem apud judices sæculi, E & tribunalium potestates Christus addicitur, sed etiam si calumniam Christianus ab aliquo * patiatur, & provocetur ad litem, tunc quoque [d] Christus dijudicatur injuste: *Quasi quem me genuisti virum, qui judicer, & discernar omni terræ*. Possumus & aliter intelligere quomodo Jesus condemnetur, & dijudicetur in omni terra. Quis improborum non condemnat Christianam religionem? quis Gentilium saltem transitorie non excutit eam? quis Judæorum non de Christianis loquitur? quis de Philosophis? quis de imperitis? [e] Ubique Christus condemnatur atque discernitur: & ab aliis quidem condemnatur, ab aliis non condemnatur. Si autem non condemnatur, * excipitur; * aperis ei ostium & * ingreditur ad te; credis in eum, * vescitur tecum. Si vero de religione audiens Christiana non * susceperis eam nihil aliud * facis quam * condemnas Jesum, ut mendacem, ut seductorem [f] hominum, ut in errorem mundum detrahentem. *Quasi quem me genuisti virum, qui judicer, & discernar omni terræ*. Quiquunque penitus ei non credunt, condemnant illum. Qui autem credunt, & adhuc ambigunt, dijudicant illum. Duo igitur apud homines Christus perpetitur: ab incredulis condemnatur, ab ambigentibus discernitur. Si portas imaginem cælestis, deposita imagine terreni, non es terra condemnans eum, neque [g] terra in qua judicatur atque discernitur: *Virtus mea defecit in his, qui maledicunt mihi*. Apostolus loquitur de Salvatore nostro, quia crucifixus ex infirmitate sit. Cui Prophetes similia testatur dicens: *Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium tuum, cui revelatum est? Annuntiabitur coram eo sicut infans, sicut radix in terra sitienti. Non est species ei neque gloria; vidimus eum & non habebat speciem neque formam, sed species ejus inhonorata, & deficiens circa filios hominum. Homo in plaga & dolore, sciens ferre infirmitatem, quia aversa est facies ejus, depretiatus est nec computatus. Hic peccata nostra fert, & pro nobis dolet; & nos existimavimus in doloribus eum esse, & in plaga & in vexatione. Ipse autem vulneratus, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Doctrina pacis nostræ super eum: livore ejus sanati sumus*. Igitur su-

Margin notes: * f. efficior. — * al. sermo. — Mich. 7. 2. — * al. suscipe, sciens. — Mat 25. 36. — * al. patitur, & provocatur. — * al. excipietur. — * al. aperies — * al. ingredietur. — * al. ceperis — * al. facies — * al. condemnabis. — 1. Cor. 15. 49. — Jer. 15. 10. — Isai. 53. 1. 2. & seq.

a Vitiose legebatur antea, *utique*, quod Rabanus castigat, *ubique*, concinente Græco textu πανταχοῦ. Mox quoque deerat nomen *Christus*.

b Hic quoque ex Rabano restituimus, *veritati*, cogente Græco ipso archetypo, τῇ ἀληθείᾳ. pro quo antea legerant vulgati libri *divinitati*.

c Verba, *cum sitieris*, quæ deerant suffecimus ex Rabano, probante Origene in Græco, ὅταν σὺ πεινῇς.

d Pro *Christus*, male præferebant vulgati, ut antithesim captarent, *justus*: est vero in Græco Χριστός, & penes Rabanum, ut reposuimus: seriesque orationis postulat, *Christus*.

e Iterum, *ubique* ex Rabani lectione, & Græco, πανταχοῦ, rescripsimus pro *utique*. Liquet enimvero hanc esse Scriptoris mentem, ut *ubique*, sive in omni terra ex proposito Jeremiæ textu Christum adjudicari & damnari probet

f Vocem *hominum* suffecimus ex Rabano, ipsoque Origene, ὡς πλανῶντα τοὺς ἀνθρώπους. Alterum quoque *ut* ex iisdem supplemus.

g Falso erat in antea vulgatis, *neque in terra tua judicatur*, pro, *neque terra in qua judicatur*; quemadmodum restituit Rabanus scripsitque olim Origenes, οὐδὲ ἡ γῆ ἐν ᾗ καταδικάζεται.

suscepit infirmitates peccatorum nostrorum, & portavit [a] nos, & venit ad eos qui maledicebant sibi, & virtus ejus defecit ab eis qui maledicebant e cælestibus descendentem. Simul enim & assumpsit servi formam; Verbum caro factum exinanivit se, & juxta Apostolum dicentem: *Exinanivit seipsum formam servi accipiens*, nunc quoque loquitur: *Virtus mea defecit in iis? qui maledicunt mihi*. (Philip. 2. 7.) Videamus autem [b] ipso nobis tribuente sensu, & sermone, si possumus & aliud quid manifestius ab eis quæ dicta sunt dicere. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. (Joan. 1. 9.) Lux vera Filius est Dei, quæ * illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. (* al. illuminavit.) Quiquunque rationalis est, particeps veræ lucis efficitur. * Rationalis autem est omnis homo. (* al. Rationabilis.) Cum igitur omnes homines rationales sint, in quibusdam virtus rationalis augetur, in quibusdam minuitur. Si videris animam vitiis [c] plenam, & perturbationibus servientem, videbis quomodo virtus Verbi deficiat in ea: si videris sanctam & justam, videbis * quod per singulos dies virtus Dei proficiat, & crescat in ea: (* al. ut) & hoc quod scribitur de Jesu, aptabis ei. Neque enim tantummodo [d] in se Jesus *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*; (Luc. 2. 52.) verum & in singulis profectum sapientiæ, & ætatis, & gratiæ recipientibus, proficit Jesus sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines. Sermo ergo Filius Dei qui erat Deus Verbum, qui habitat in dicente: *Heu mihi, mater mea*, & reliqua, juxta naturam majestatis suæ loquitur: *Virtus mea defecit in maledicentibus mihi*. Si quis maledixerit Verbo, statim recipit vicem, & tormenta perpetitur. Virtus quippe Jesu defecit in eo, cum ratio minuitur. Si quis econtrario benedixerit & receperit Jesum, virtus ejus diversa, quam est in maledicentibus ei passa, perpetitur; ut enim in maledicentibus defecerat; sic in benedicentibus crescit: *Fiat, Domine, dirigentibus eis, si non adstiti tibi in tempore malorum eorum*. (Jer. 15. 11.) Quid est hoc quod dicitur: *Fiat, Domine*, qui potest ex ipso sermone consideret. His ipsis, Domine, dirigentibus, qui maledicebant mihi, virtus quæ deficiebat in eis, fiat in eis, cum ad pœnitentiam conversi post maledicta quibus me persequebantur, ambulare ceperint rectam viam. *Fiat, Domine, dirigentibus eis, si non adstiti tibi*. Reddit rationem quare, iis qui maledicebant sibi, postulat directionem atque virtutem dicens: *Si non adstiti tibi in tempore malorum eorum*. Adstitit Patri propitiatio pro peccatis nostris, & deprecatus est eum in tempore malorum nostrorum: neque enim adstitit post tempus afflictionis nostræ, sed cum adhuc peccatores essemus, Jesus Christus pro nobis mortuus est. (1. Joan. 2. 2.) *Si non adstiti tibi in tempore malorum eorum, & in tempore tribulationis eorum, exsurgat inimicus: ego adstiti tibi pro eis*. Quis autem est inimicus noster, nisi zabulus, qui tribulabat nos, & jugo servitutis premebat; adversum quem adstitit Patri Salvator, & de captivitate nos liberans, reddidit libertati. Hæc prophetice Dominus dixerit. Potest autem * de Propheta eadem dixisse pro populo, (* f. &) & in tempore malorum eorum. Super quem respondit Deus, & loquitur ad populum, qui a Salvatore sive Propheta fuerat accusatus, dicens: *Ferrum & opertorium æreum virtus tua dura, indomabilis, quæ molliri non quærit, quæ vix producatur*. (Jer. 15. 12.) Ferrum & opertorium æreum virtus tua, idest secans & dividens, & bene composita disturbans, maledicta virtus. *Divitias tuas & thesauros tuos in deprædationem dabo gratis*. (Jer. 15. 13.) (1) Concedit Deus, & dat eos commutationem propter omnia peccata eorum. Utrumne hos quos sibi in terra thesaurizaverint? unusquisque enim hominum thesaurizat sibi; si est peccator, in terra; si justus, in cælo, ut nos * docuit Evangelium. (* al. docet) * Aut quod dicit, istius- (* al. an)

a Rescripsimus, *nos* ex Græco ἡμᾶς, & Regiis mss. apud Huetium, antea erat *eas*.

b Totidem in Græco est verbis: ἴδωμεν εἰ αὐτοῦ διδόντος τοῦ λόγου δυνάμεθα καὶ ἄλλο σαφέστερόν τι &c. Totidem & Rabanus Latine legit, satis commoda sententia, atque expedita. Sensum, sive sermonem heic accipe ipsum, ad quem continuo interpretationem suam refert, λόγον, sive Verbum. Erat vero in antea vulgatis libris, *Videamus autem, ipso nobis sensum tribuente, si ex hoc sermone possimus & aliud &c.* Nec minus male in uno Reg. ms. penes Huetium, *ipso nobis sensum tribuente sermonem, si possumus & aliud quid manifestius &c.*

c Istud, *plenam*, neque Rabanus novit, neque ipse Origenes.

d Supplemus ex Rabani lectione voces, *in se*, quæ & contextui necessariæ, & ab ipso Origene profectæ sunt, ἐν τῷ καθ' ἑαυτὸν μόνον ὁ Ἰησοῦς &c.

(1) Duo inter hæc verba *gratis* & *concedit* videri possunt ex Hieronymianis codicibus excidisse hæc aut his similia in commutationem propter omnia peccata tua. *Quos thesauros peccantium in devradationem* concedit Deus &c. quæ sub interrogandi nota legenda sunt. Absque his certe præmissis minus cohæret inferior contextus: sunt vero illa & in Græco archetypo ἀντάλλαγμα διὰ πάσας τὰς ἁμαρτίας σου. τίνας θησαυροὺς τῶν ἁμαρτανόντων δίδωσιν εἰς προνομὴν ὁ Θεός, καὶ δίδωσιν αὐτοὺς ἀντάλλαγμα διὰ κ.τ.λ. Verum ex hoc ipso Græci textus conspectu pronunciarim, ob earundem vocum ἀντάλλαγμα διὰ πάσας &c. quibus ea concluduntur, recursum, in eo ipso, quo Hieronymus utebatur, Græco exemplari fuisse solenni scribarum lapsu prætermissa, neque enim in Latino tanta potuit verborum similitudo fraudi fuisse amanuensibus.

istiusmodi est: Ecce unus thesaurus Jeremias, alius thesaurus est Isaias; thesaurus erat & Moyses, & reliqui. Hos thesauros abstulit Deus a populo, & per Christum qui dixit: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, largitus est nobis. Dabo ergo propter peccata tua thesauros tuos in deprædationem. Dedit nobis thesauros illius populi Dominus, quia primum illis credita sunt eloquia Dei, & nobis deinceps attributa. Idque quod scriptum est: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, * asserimus jam esse completum. Non quod Scriptura ab eis ablata sit: habent quippe Legem & Prophetas, habent volumina divinarum literarum: [a] sed quod non intelligant ea. Atque ita regnum Dei ablatum est ab eis, dum Scripturæ sensus aufertur. Cessavit apud eos Legis & Prophetarum interpretatio: legunt omnia, & non intelligunt. Expleta * est illa, post adventum Domini prophetia: *Dic populo huic: Auditione audietis, & non intelligetis, & cernentes videbitis, & non scietis, incrassatum est enim cor populi hujus*. Necnon & illud quod ab Isaia dicitur: *Auferet Dominus a Judæa, & ab Jerusalem validum & validam, gigantem & hominem bellatorem, & judicem, & Prophetam, & arbitrum, [b] & prudentem architectum, & sapientem auditorem*. Hæc omnia abstulit ab illis Deus, & nobis qui ex Gentibus sumus, si tamen accipere voluerimus, tradidit. *Et thesauros tuos in deprædationem dabo, commutationem propter omnia peccata tua in omnibus finibus tuis*. Quod dicit tale est: Ista omnia [c] propter peccata tua, quæ in universos fines tuos provenerunt, tibi reddita sunt. Nullus quippe finis illius est populi, qui non peccatis ejus repletus sit: nec poterat non omnis peccatis eorum finis repleri qui, quantum in se fuit, * interfecere justitiam, si est Christus justitia, interfecere sapientiam, si est Christus sapientia; interfecere veritatem, si est Christus veritas. Unde propter crudeles contra Filium Dei acclamationes hæc omnia perdiderunt. Et resurgens Dominus meus Jesus Christus non apparuit ultra interfectoribus suis, sed tantum credentibus sibi ex mortuis victor ostensus est. *Et dabo te in servitutem inimicis tuis, in terram quam nesciebas*. Servivit populus Judæorum inimicis suis, & dispersus est in terram quam ignorabat. *Quoniam ignis accensus est in ira mea, super vos ardebit*. Post ista quæ exposuimus, & comminationis verba ad populum, ille qui superius oraverat, complet orationem, & prioribus quæ sequuntur, adjungit: *Tu cognovisti, Domine, memor esto mei, & visita me: innocentem me fac a persequentibus me non in patientia*. Et Prophetes potest hoc dicere, persequutionem passus ab his quos increpabat, qui veritatem audire nolebant, inimicus quippe eis factus est vera dicens. Potest autem & Salvator hæc dicere, usque ad crucem persequutionem passus a populo, *Non in patientia*. Quid est hoc quod ait: *Non in patientia?* [d] Longanimis fuisti semper huic populo delinquenti; sed super hoc [e] quod etiam adversum me erexit temeritatem suam, noli esse longanimis. Et revera non fuit patiens Deus; si enim * consideres tempora passionis Dominicæ, & ruinæ Jerusalem, quando subversa est, videbis quomodo non in patientia abusus sit eis Deus. A quinto decimo quippe anno Tiberii Cæsaris usque ad subversionem Templi [f] numerantur anni quadraginta duo; quia oportuerat modicum aliquid interesse temporis

Mat. 21. 42. — * al. asserimus. — * al. jam. — Mat. 13. 14. — Isai. 3. 1. — * al. eo interfecit. — Jer. 15. 14. — Jer. 15. 15. — * al. consideras

a Apud Rabanum, *sed absque intelligentia; atque ita* &c.

b Exciderat vox, *prudentem*, quam Rabanus atque ipse Origenes supplent: καὶ σοφὸν ἀρχιτέκτονα.

c Sic & Rabanus, *propter peccata*, & Origenes διὰ τὰς ἁμαρτίας præferunt, sicque rectus postulat sensus. Erat tamen in hactenus vulgatis libris satis mendose, *ista omnia peccata* &c. Subsequentem quoque contextum non uno in loco leviter hiantem sarcimus.

d Glossema, *hoc est, in patientia*, perperam in vulgatis antea libris intrusum hinc amovimus: quod neque in Græco esset archetypo, nec in Latina interpretatione Rabano cognitum, nec denique orationis contextui sit nisi incommodum.

e Imperfecto obscuroque sensu lectum hactenus, *sed per hoc etiam* &c. Pristinam integritatem Rabani vetus lectio, *sed super hoc quod etiam* &c. restituit: comprobat & Græcus Adamantii textus, ἐπὶ δὲ τοῖς κατ' ἐμοῦ τετολμημένοις &c.

f Penitus deerant verba istæc, quæ præcipua contextus sunt, *numerantur anni quadraginta duo*, quare & subsequens sensus laborabat. Ad Rabani lectionem, Græcique archetypi fidem τεσσαράκοντα καὶ δύο πεπλήρωται ἔτη, pristinæ integritati locum reddidimus. Addit Huetius locum Origenis lib. 4. contra Celsum τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη καὶ δύο οἶμαι, ἀφ' οὗ ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, γεγονέναι ἐπὶ τὴν Ἱεροσολύμων καθαίρεσιν. In eoque, ait, præceptorem suum Clementem Alexandrinum sequutus est, qui Stromat. lib. I. sic habet ἀφ' οὗ δὲ ἔπαθεν (Κύριος) ἕως τῆς καταστροφῆς Ἱερουσαλὴμ γίνονται ἔτη μβ. μῆνες γ. Hæc nimirum fuit eorum ratio, qui Christum anno Tiberii XV. passum crediderunt, & anno circiter uno prædicasse. Origenes lib. 4. περὶ Ἀρχῶν cap. 1. Christum ait, *anno & aliquot mensibus docuisse*, & Homil. 32. in Luc. *Juxta simplicem intelligentiam ajunt uno anno Salvatorem in Judæa Evangelium prædicasse, & hoc esse quod dicitur, Prædicate annum Domini acceptum, & diem retributionis*. At in an. XVIII. Tiberii mortem ejus confert Eusebius, cum post annos, XL. excisa docet Jerosolyma Hist. lib. 3. cap. 7. Utraque opinio Magnis sese auctoribus tuetur. Minime autem stare potest Phlægontis Tralliani sententia quem in Olympiadicis sive Chronicis scripsisse refert Origenes a XV. Tiberii anno ad Jerosolymitanam ἅλωσιν XL. annos intercessisse.

a poris [a] in pœnitentiam derelinqui, propter eos qui per signa atque portenta Apostolorum credituri erant. *Scito quomodo accepi propter te opprobrium a contemnentibus sermones tuos.* Potest fieri ut Prophetes hoc dicat contemtus a populo b peccatore super [b] his quæ prædicabat: (Jer. 20, 7.) ait quippe & alibi: *Complevi dies meos in irrisione.* Opprobrium ergo patitur ab his qui sermones Dei audire contemnunt, & deprecatur ut Dei habeat au- (Jer. 15, 16.) xilium dicens: *Scito quomodo acceperim* B *propter te opprobrium a contemnentibus sermones tuos.* (* al. consummavi) * *Consumma eos.* Prophetes potest hoc dicere, sed magis convenit Salvatori, cujus post passionem venit consumtio Jerusalem & interfectio populi Judæorum. Post hæc quia multa c passi sunt Prophetæ propter [c] legationem verbi, & increpationes Dei, quas ad populum proferebant, oportet auditores paucis commoneri de vita eorum, atque promissis, & nostra voluntate, ut juxta C possibilitatem virium si volumus requiem consequi cum Prophetis, etiam opera eorum facere nitamur. Quod autem loquor istiusmodi est: frequenter in oratione dicam: Deus omnipotens, da nobis partem cum Prophetis, da cum Apostolis Christi tui, tribue ut inveniamur ad vestigia Unigeniti tui. Hæc loquentes non sentimus quæ petimus: re enim hoc dicimus: Fac nos sic odio haberi, ut odio habiti sunt Prophetæ, & da nobis verba D talia super quæ persequutionem patiamur: da in istas incidere calamitates quas Apostoli sustinuerunt. Dicere quippe, da mihi partem cum Prophetis, nolentem pati id, quod Prophetæ, omnium injustissimum est: dicere, da mihi partem cum Apostolis, nolentem ex affectu Pauli vere loqui: (2. Cor. 11, 23.) *In laboribus plurimum, in plagis abundanter, in carceribus supra modum, & in mortibus sæpe*, & reliqua omnia est iniquissimum. Si itaque volumus E requiescere cum Prophetis, consideremus vitas Prophetarum, quomodo ex eo, quod increpabant & arguebant delin- d quentes, judicati condemnatique sunt [d]: (Heb. 11, 37.) *Lapidati, secti in occisione gladii occubuerunt, circumeuntes in melotis & in caprinis pellibus, in egestate, in tribulatione & miseria, in solitudinibus errantes.* Eo tempore quo erant Synagogæ plurimæ in Israel, nihilominus illi in desertis, &

A montibus, & speluncis, & cavernis petrarum latitabant. Quid ergo est? Si quis vult imitari vitas Prophetarum, increpet, arguatque peccatores, statim odium merebitur, statim ei detrahetur, statim patietur insidias. Quod etiam nunc in Ecclesiis sæpe videmus accidere. Peccaverit quodlibet quispiam: is qui præsidet populo, & regit Ecclesiasticam disciplinam, ejicit eum de congregatione sanctorum: illico ille circuit civitatem, lacerat eum, B qui quantum in se fuit Ecclesiam vindicavit. Verum nos non præbeamus his aurem, qui propter excommunicationem sui tam præpositos, quam omnem Ecclesiæ conventum vesano ore dilacerant. Beati vero Apostoli omni admiratione digni innumerabilibus propter veritatem injuriis affecti loquebantur: *Propterea* (2. Cor. 12, 10.) *complaceo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persequutionibus & angustiis pro Christo.* Hoc tan- C tum laborare convenit, ut pro nulla alia re nisi pro Christo sustineamus contumeliam, & necessitatis caussa sit Christus. Id optemus ut maledicta perpessi, pro veritate nos maledici sciamus, qui eam defendimus, & Scripturarum voluntate omni cum fiducia eam prædicamus. Igitur quantum possumus ad vitam Prophetarum, & Apostolorum conversationem imitandam nos extendamus, molestias & pericula non vitantes. Athleta D enim si difficultatem certaminis fugerit, cum lætitia non coronatur, & laudis gloriam non consequitur. *Et erit sermo tuus mihi in lætitiam.* Non ait, *Est:* sed, *Erit;* siquidem in præsenti tempore carceres, exilia, contumelias, ac labores mihi tribuit, sed horum omnium finis erit lætitia. *Et erit sermo tuus mihi* (Jer. 15, 17.) *in lætitiam, & gaudium cordis mei, quia invocatum est nomen tuum super me, Domine* [e] *pater omnipotens.* Etiamsi Chri- e E stus hoc dicit, non abhorret ab intellectu: nomen quippe Patris invocatum est super eum. *Non sedi in concilio ludentium.* Si quando videbat Prophetes non sollicitorum concilium, sed ludentium, fugiebat illud. Unde oportet nosse differentias conciliorum, solliciti, atque ludentis. Si hoc concilium nostrum sollicitum est, si omnia cum Ecclesiastica diligentia quærit, si sermo cum disciplina, si vita sollicita est, si negotia cum cau-

a Falso excusi hactenus libri, *in patientia dereliquit*, cum & Græcus præferat συγχωρηθῆναι εἰς μετάνοιαν: & Rabanus, *in pœnitentiam derelinqui*, quæ eadem Latine sententia est, prout & nos reposuimus, verissime legerit. Leviora inferius nonnulla, Lectore, inscio, castigamus.

b Apud Rabanum, *super quem prædicabas ea*, Græco abludente.

c Mss. Reg. penes Huetium, *legationem, & increpationes Verbi Dei.*

d Iidem apud Huetium mss. *Serrati, secti*, &c.

e In Græco & penes Rabanum nomen, *pater*, non habetur.

A cautela, concilium est, non ludentium, sed sollicitorum. Si autem dereliquerit studium religionis, & vacaverit lusibus mundi istius, qui veniunt a pravitate, fit concilium ludentium. Ait itaque Prophetes: *Non sed in concilio ludentium, sed timebam a facie manus tuæ.* Cum duo mihi essent proposita, sedere in concilio ludentium, & offendere majestatem tuam, aut certe surgere de eo, & ea facere quæ tibi placita erant, magis elegi surgere de congregatione B ludentium, [a] ut amicus tuus essem, quam contraria faciens, inter eos, qui hostes sunt, computari. *Non sedi in concilio ludentium, sed timebam a facie manus tuæ.* Et Salvator noster non sedit in concilio ludentium, sed surrexisse se docens ait: *Dimittetur vobis domus vestra deserta.* (Luc. 13.) Reliquit enim sermo [b] divinus concilium Judæorum, & aliud sibi concilium ex Gentibus congregavit. *Solus sedebam.* Et ipse tantum sine exC positione sermo ædificat audientes, quando est multitudo peccantium, nec sustinet secum * justum pie vivere, [c] non indecens est fugere congregationem eorum, & imitari Prophetam loquentem: *Solus sedebam*: imitari [d] Eliam miserabiliter conquerentem: *Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam accipere illam.* (3. Reg. 19. 14.) Si autem voluerimus sacratius aliquid accipere in eo quod diD citur: *Solus sedebam*, forsitan inveniemus dignam interpretationem Spiritu Sancto. Qando vitam multitudinis imitamur, nec conversatio nostra a populo melior, nec, contemto judice Deo, ab hominum malitiis separatur, non possumus dicere: *Solus sedebam*; sedemus quippe cum plurimis. Quando autem vita nostra fuerit istiusmodi, ut nullus nobis [e] sensu, sermone, gestis coæquetur; tunc possumus dicere: *Solus sedeE bam.* Licet ei qui non est Presbyter, aut Episcopus, aut Diaconus, aut alia qualibet decoratus Ecclesiæ dignitate, bene

* al. juste ptum.

viventi dicere: *Solus sedebam, quia amaritudine plenus sum.* Si arcta & angusta est via quæ ducit ad vitam, (Matt. 7. 14.) expedit tibi ab omni dulcedine recedenti, ut amaritudine in præsenti sæculo complearis. An ignoras quoniam solennitas Dei adjunctis amaritudinibus celebratur? Ait quippe sermo divinus: *Cum habueritis diem festum, azyma* (1) *super amaritudinem manducabitis.* (Exod. 12. 8 (1)) Simul autem considerandum puto quid velit hæc jussio, quæ præcepit agentem pascha Dei azyma cum amaritudinibus manducare. Et de azymis quid est mea interpretatio, Apostolus Paulus exposuit. De amaritudine vero quod sequitur, necesse est ut aliquid Apostolicæ disputationi simile [f] reddatur. De azymis itaque Apostolus ita dicit: *Festa celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* (1. Cor. 5. 8.) De amaritudinibus necesse est ut talis ratio reddatur, quæ doceat sic eas celebrandas, quomodo azyma comedantur. Habeto sinceritatem & veritatem, & amaritudines te sequentur, & manducabis azyma cum sinceritate & veritate. Quia Paulus istiusmodi azyma comedebat, sequebatur eum amaritudo dicentem: *Inimicus vobis factus sum vera dicens.* (Galat. 4 16) Manducabat amaritudines *in dolore, in labore, in vigiliis frequenter, in fame & siti*, (2. Cor. 11. 27.) extra cætera quæ pro totius mundi salute pandebat, & quæ eum faciebant præsidem veritatis azyma cum amaritudinibus manducare. Et Lex quidem hæc dicit: *Azyma cum amaritudinibus comedite & implemini*, sicut & alio loco dicitur de quibusdam: *Manducate & implete vos.* Propheta vero non ait: Amaritudinem comedi; sed: *Amaritudine repletus sum*: hoc est, in me tantum sæculi persequutionum pondus * incubuit, ut plenus amaritudine fierem. *Quare qui me contristant, confortantur in me?* Multa passus est Jeremias ab his qui veritatem audire nolebant, & erant illo in hoc sæculo fortiores, quoniam

* al. incumbit.

a Unus mſ. Reg. ab Huetio laudatus, *& amicus tuus esse.*

b Vitiosa perissologia excusi antea libri, *sermo Dei divinus.* In græco tantum est, τοῦ Θεοῦ, penes Rabanum. quod retinemus, *divinus.*

c Ita ad verbum Græcus Origenis textus, ὡς οὐδὲν ἄτοπόν ἐστι φεύγοντα τὸ συνέδριον &c. optime adeo Rabanus in suis olim legit exemplaribus, quemadmodum restituimus, *non indecens est fugere* &c. corrupta autem & falsa hæc erat vulgata lectio, *tunc indigens est fugere* &c.

d Pro *Eliam*, quod & in Græco est nomen, & penes Rabanum, & loci postulat sensus. deridiculo errore legebatur, *etiam.*

e Reg. unus, Huetio teste, mſ. *sensus vel sermo peccantis coæquetur.*

(1) Huetius ait, LXX. reddiderunt μετὰ πικρίδων, quod Hebraice est על מררים. Jonathan סמרר על חזרת, *cum parthenio & iasybis.* Hieron. *cum lactucis agrestibus*, Cyprianus *cum picridibus*, Ambrosius *cum amaritudine*, quemadmodum & plerique interpretes. Rufinus Homiliam Origenis XXIII. in Numeros interpretatur *Manducabitis enim azyma cum amaritudine sive picriis.* מררים generale nomen est, quo amara omnia, et si esus mentio sit, amara omnia edulia continentur. Id autem his locis ad certam speciem LXX. interpretes revocarunt πικρίδας nempe, quod deterius est Lactucæ genus. LXX. autem Hieronymus sequutus est.

f Iterum unus mſ. Reg. apud Huetium, *simile reperiatur.*

non eſt regnum Dei de ſæculo iſto, ſed de alia quadam viventium regione, ut Salvator ait: *Si eſſet de hoc mundo regnum meum, miniſtri mei laborarent ut non traderer Judæis.* Confortantur ergo adverſus eum in ſæculo iſto. Et quod juſtus debilior ſit a perſequentibus ſe, vide Martyrum paſſiones. Judex in altis tribunalibus ſedet ad ructum, & ad delicias [a] ſententias promens: Chriſtianus in quo Chriſtus habitat, judicatur plenus amaritudine, & ad mortem uſque ſubjectus, confortatis inimicis ſuis adverſum ſe. *Plaga mea firma eſt.* Qui confortantur in me, vulnera inferunt mihi: & plaga mea firma eſt. Sive de cruce Domini prædicatum, ſive de juſtis, ſive ſpecialiter de Jeremia volueris accipere, non abhorrebit a ſenſu. *Plaga mea firma eſt unde ſanabor?* Et Salvator poteſt dicere, *Unde ſanabor?* reſurrectionem ſuam poſt clavorum annuntians vulnera: & juſtus qui poſt plagas recipit ſanitatem. *Facta eſt mihi* (ſubauditur plaga) *ſicut aqua mendax non habens fidem.* Si quidem plaga mea non manet,

Joan. 18, 36. — Jer. 15, 18. 19.

A ſed ſuper me tranſit. *Ideo hæc dicit Dominus: Si converſus fueris, reſtituam te.* Ad omnes hæc loquitur Deus, quos reverti vult ad ſalutem. Videtur autem quiddam ſignificare myſterii in eo quod ait: *reſtituam te*; nemo quippe reſtitui poteſt, niſi in eum locum unde ante diſceſſerat, ut puta ſi membrum corporis mei fuerit a compage disjunctum, medicus illud in priſtinum locum reſtituere conatur. Si aliquis ſeparatur e patria, in B exilium mittitur, & poſtea per indulgentiam eorum qui poſſunt exules ſolvere, redditur libertati: reddit unde fuerat expulſus. Miles quoque abjectus ex ordine ſuo, reſtituitur ordini, ſi acceperit veniam. Ita & nunc dicitur ad mortale genus, ideſt ad nos homines, qui a Deo fueramus averſi: Si converſi fueritis, reſtituam vos. Finis quippe repromiſſionis reſtitutio eſt, ut in Actibus Apoſtolorum legimus: C *Uſque ad tempora reſtitutionis omnium quæ loquutus eſt Deus per os ſanctorum Prophetarum ſuorum*, in Chriſto Jeſu, cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA DUODECIMA

De eo quod ſcriptum eſt: *Ecce ego mitto piſcatores multos: dicit Dominus;* &c. Jerem. XVI. 16.

IN Evangelio quod ſecundum Matthæum eſt, ſcribitur Salvator noſter veniſſe juxta mare Galilææ, & ibi vidiſſe Simonem & Andream fratrem ejus mittentes retia in mare. Erant quippe piſcatores. Ibique additur: *Videns autem eos Jeſus, dixit eis: Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum. Et relinquentes ſua retia ſequuti ſunt eum.* Et fecit eos Salvator de piſcatoribus piſcium, piſcatores hominum. Alios quoque duos fratres invenit Dominus, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navicula cum patre Zebedæo reficientes retia ſua. Quos cum ſimiliter ad Evangelii miniſterium provocaſſet, piſcatores hominum reddidit. Si quis ergo juxta hanc hiſtoriam conſideret Diſcipulos Salvatoris, ut habeant non ſolum gratiam ſermonis, ita Scripturarum ratione contextam ut retia, quæ poſſint ſuper humanas animas gyro artificis ſuperfundi, & conſideret hoc ipſum cum ſumma ratione fidei, videbit quomodo non tunc tantum Salva- D tor, ſed & uſque ad præſentem diem mittat hominum piſcatores, inſtituens eos animas liberare de mari, & ex acerbiſſimis fluctibus ad auram producere liberiorem. Verum illi piſces cum ſagenis, retibus atque hamis extracti de aqua fuerint, moriuntur. Apud nos vero cum aliquis fuerit ſermonis rete comprehenſus, & eductus de mari ſæculi: moritur quidem & ipſe, ſed peccato, ſed mundo: ut conſurgens Chriſto, vi- E vat Deo. Si ergo poſſis, ad intelligendum ſenſum quem conamur exponere, animo inducere, piſces de mari extractos aliam rurſus vitam aſſumere, & aliud corpus induere, tunc ſcies quo nobis profecerit exemplum. Nemo blaſphemet, nemo male laceret, non vocetur crimen quod ab alterius abductum eſt intelligentia. Et tu igitur cum de ſæculi iſtius fluctibus per Diſcipulos Domini fueris extractus, muta corporis vitia, muta ſenſum animæ; non ſis ille piſcis qui in ſalſis verſabaris undis, ſed

Matt. 4. 18. — Matt. 4. 21.

[a] Pro duobus hiſce verbis, *ſententias promens*, quæ ex Rabano ſubſtituimus, cogente recto ſenſu, ipſoque Origene ſcribente, ὁ δικαστὴς καθέζεται δικάζων, καὶ τρυφῶν ἐν τῷ δικαστηρίῳ. In antea vulgatis libris nullo ſenſu, aut certe incongruo legebatur, *prominens*.

sed de profundo gurgite erutus ad meliora convertere, secundum illud Apostolicum: *Nos autem omnes revelata facie * gloriam Domini contemplantes in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu.* (2. Cor. 3. 18.) (* al. claritatem heic & infra.) Et cum fueris ab Apostolis ac Discipulis Jesu marinis fluctibus liberatus, noli quærere profundum, sed in montibus sit conversatio tua; ut jam non habeas opus piscatoribus, qui te rursus de fluctibus extrahant, sed aliis quibusdam, quos venatores Scriptura nuncupat, qui te postea venentur de monte, de colle, de locis altioribus: ibi sit deambulatio tua, ibi mens, gressus & statio: obliviscere maris: obliviscere vallium ac profundorum: veni ad montes, Prophetas; veni ad colles, justos; * in ipsis sit conversatio tua; (* al. ibi) ut cum dies mortis advenerit, mittantur venatores, alii quidam a piscatoribus, qui super assumtionem constituti sunt [a] animarum, & te cum cæteris sanctis de colle & de monte, de altiori loco accipiant. Vide autem si non sacrata voce in eadem sententia Propheta consentit dicens: *Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: Et post hæc mittam venatores multos, ut capiant eos supra omnem montem & collem.* (Jer. 16. 16.) Si vis & tu ab his venatoribus capi, cave ne verseris in vallibus, ne in alia humili regione consistas. Quære colles, quære montem, in quem, viso populo, Dominus ascendit, & sequuti sunt eum Discipuli, ex quo aperiens os suum docuit eos, dicens. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* (Matth. 5.) & reliquas septem beatitudines. Neque vero [b] putes licere his venatoribus, aliunde homines, nisi de montibus ac collibus capere, & quod sequitur, *de cavernis petrarum.* Unde * possum intelligere petras? (* al. possumus.) unde cavernas petrarum? Venio ad Exodum: quæro aliquam interpretationis occasionem, ibique invenio volentem Moysem videre Do-

A minum, & Dominum eidem promittentem, atque dicentem: *Ecce pono te in caverna petræ, & conspicies posteriora mea, faciem autem meam non videbis.* (Exod. 33. 22.) Si consideres * quid ibi petra dicatur, & foramen petræ, [c] in quo Moyses super petram stans, (* al. qui) & de petræ caverna intuens, videat Deum per foramen petræ, intelliges & cæteras petras, & petrarum foramina. Quæ igitur est petra? Dominus Jesus Christus: *Bibebant enim de spiritali sequente eos petra.* (1. Cor. 10. 4.)
B *Et super petram statuit pedes meos,* (Ps. 39. 3.) in trigesimo nono Psalmo dicitur. Quod est foramen petræ? Vide * Deum apud Deum Patrem, Verbum Deum, (* al. eum) videbis integram petram: vide dispensationem assumti corporis, videbis foramen petræ, per quod posteriora Dei juxta possibilitatem imbecillitatis suæ humanus intuetur aspectus. Hoc enim est quod ait: *Videbis posteriora mea.* (Exod. 33. 23.)
C Inveni unam cavernam unius petræ, quæro alias petras, & alias cavernas: venio ad chorum Prophetarum atque Apostolorum, & transcendentium sanctorum Angelorum, & dico quia omnes imitatores Christi petræ * sint, (* al. sunt) ut petra est ille qui docuit. Et sicut iste habet foramen per quod videntur posteriora Dei: eodem modo unusquisque [d] nostrum qui per sermones suos viam pandit ad intelligendum Deum,
D * facit & se foramen petræ. (* al. se facit esse.) Si autem aliter vis intelligere petram, & petræ foramen, vide per Moysen Legem: per Isaiam prophetiam: per Jeremiam alia eloquia divina. Sin vero Angelus fuerit & loquatur in homine, juxta illud Propheticum: *Angelus qui loquebatur in me,* (Zach. 2. 3.) asto in Angelo, & per foramen ejus Angelice video Deum. Exemplum habeo necessarium, ut doceam quomodo possit aliquis in Angelo consistens videre Deum. Scriptum est in Exodo: *Apparuit Angelus Domini in flamma rubi Moysi, videbat Moyses quia ardebat rubus, & non comburebatur.* (Exod. 3. 1.) Et

 non

a Deerat vox, *animarum*, in antea vulgatis libris, quam ex Rabani lectione ipsoque Origenis textu, οἱ ἐπιτεταγμένοι ἐπὶ τῷ παραλαμβάνειν τὰς ψυχάς, ad sensum, qui mutilus erat, integrandum suffecimus.

b Apud Rabanum, *neque vero potest licere*. In Græco tantum est, οὐκ ἔξεστί γε &c. Pro eo autem quod paulo post legimus, *capere*, juxta Rabani lectionem ipsumque Origenem in Græco, συλλαβεῖν, minus recte lectum est antea, *quærere*.

c Trium fere subsequentium versuum heic lacunam implevimus, qui solenni Antiquariorum lapsu ob earundem vocum, *foramen petræ*, recursum ex editis antea libris exciderant, eorumque defectu, aut nullus, aut ad rem non erat præsentis periodi sensus. Siquidem legebatur: *Si consideres quid ibi petra dicatur & foramen petræ, intelligis & cæteras petras &c.* Nos de mutilatione loci primum Rabanus admonuit, cujus lectionem religiose descripsimus, heicque inseruimus. Tum vero asseruit Origenes ipse, cujus hæc ipsa sunt verba, ἐὰν νοήσῃς ἐκεῖ τὴν πέτραν, καὶ ἴδῃς ἐκεῖ τὴν ὀπὴν τῆς πέτρας, τίνα τρόπον ἐπὶ τῆς πέτρας ἑστὼς καὶ τὴν ὀπὴν τὴν ἐν τῇ πέτρᾳ ἰδὼν βλέπει τὸν Θεὸν διὰ τῆς ὀπῆς τῆς πέτρας. ὄψει τε καὶ τὰς πολλὰς πέτρας &c. Quæ ad verbum Latine sic habent, *Si consideres ibi petram, & videris ibi foramen petræ, quomodo* (Rabanus legerat in Hieronymianis exemplaribus, *in quo Moyses*) *super petram stans, & quod erat in petra foramen videns, vides Deum per foramen petræ: intelliges & multas petras &c.*

d Apud Rabanum, *unusquisque justorum*, in Græco dumtaxat est, *unusquisque*, ἕκαστος.

non ficuti ceperat Scriptura in eo quod dixerat : *Apparuit Angelus Domini*, fic & in reliquis fubfequuta eft, ut diceret : Ego Angelus Domini; fed ait : *Ego Deus Abraam, & Deus Ifaac, & Deus Jacob*. Erat ergo ibi Deus in Angelo vifibilis, & per foramen ejus apparebant pofteriora ejus. Quia igitur nefcis quo tempore mittantur venatores, cave ne aliquando de monte defcendas, ne relinquas colles, ne de cavernis petrarum exeas. Si enim foris fueris inventus, dicentur tibi ea quæ ii, qui foris funt, merentur audire: *Stulte, hac nocte* [a] *animam tuam repetent a te : quæ autem parafti cujus erunt?* Dicentur autem tibi ifta, fi dixeris: *Deftruam apothecas, & majores ædificabo, & dicam animæ meæ: Anima: habes bona repofita in annos multos; requiefce, comede, bibe, lætare*. Animadvertis de montibus & collibus defcendentem? animadvertis confiftentem extra petræ foramen? quomodo erret & ea putet bona effe quæ nulla funt, dicens: *Dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona repofita*: frumentum * & ubertatem terrenorum fructuum effe arbitratus eft bona, nefciens quia vera bona non nafcuntur in maledicta terra, fed in cæleftibus regionibus: thefaurizavit fibi in terra, quia in terra effe thefauros arbitratus eft. Si quis antem, fublata cruce, fequitur Dominum Jefum, & thefaurizat fibi in cælo, non dicitur ei : *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te*: fed venientes venatores, & quærentes animalia de montibus, de collibus, de cavernis petrarum, etiam illum cum eis pariter accipient de venatione fublimi, & ad fublimiora beatitudinis regna portabunt. *Quia oculi mei fuper omnes vias eorum*. Super omnes vias iftiufmodi hominum qui in montibus converfantur, in collibus ambulant, in cavernis habitant petrarum, habet oculos Deus. *Non fe abfconderunt a facie mea*. Qui fancti funt, non fe abfcondunt a facie Dei; qui autem injufti, abfconduntur a facie ejus. Adam poft tranfgreffionem cæleftis mandati *audivit vocem Domini Dei deambulantis in paradifo poft meridiem, & abfcondit fe*. Sanctus hoc non facit, fed confcientia actuum fuorum habet fiduciam * ad Deum: *Si enim confcientia nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad Deum, & quodquumque petierimus, accipiemus ab eo*. Verum Adam quamvis peccaverit, tamen non * ufque ad perfectam malitiam mens ejus * corruit, & ideo * abfconfus eft a facie Dei. [b] Cum autem peccavit impiiffimus fratricida, animadvertite quid fecerit: *Egreffus eft a facie Dei, & habitavit in terra Naid*. Si ad malorum comparationem venias, melius eft abfcondi a facie Dei, quam fugere eum. In alio quippe confcientiæ vulnus * inflictum tenebras, & fecreta perquirens, levare oculos non patitur ad cælum. In alio autem ex defperatione nata contumacia negligit Dominum. *Non fe abfconderunt* ergo *a facie mea, neque * abfconditæ funt iniquitates eorum contra oculos meos*. Jufti fuper quas injuftitias non fe abfconderunt a facie Dei? Aliquando fuerunt in peccatis, quando erant in mari, ex quo a pifcatoribus extracti funt. Ne itaque fufpicentur, quia non ex mifericordia Dei, fed ex proprio merito [c] de profundo ad montes venerint, * commonens illos fermo divinus, & in illis nos [d] delicti prioris, & idcirco poft profpera atque felicia, triftia * inferens dicit: *Neque abfconditæ funt iniquitates eorum contra oculos meos*. Quæ fequuntur difficultatem nobis interpretationis objiciunt: five enim intelligamus ea cohærere fuperioribus, nihilominus de retribuendis fuppliciis pertimefcimus : five videtur non hærere cum fuperioribus, quæ de pifcatoribus & venatoribus diximus, & fic non modicum nobis fcrupulum generant. *Et retribuam illis primum duplices injuftitias eorum, & peccata ipforum in quibus contaminaverunt terram meam, in morticinis abominationum fuarum, & iniquitatibus fuis, quibus impleverunt hæreditatem meam*. Quod ait, *primum*, five non intelligentes, quidam quod fcriptum eft, abftulerunt : five Septuaginta Interpretes, ficut & cætera, fecundum difpenfationem fuam au-

Marginal notes: Exod. 3. 6. — Luc. 12. 20. a — * al. nrilitatem. — Jer. 16. 17. — Gen. 3. 8. — * al. apud — 1. Joan. 3. 21. — * al. ufquequaque. — * al. corruerat. — * al. abfconditus. — b — Gen. 4. 16. — * al. in… — * al. abfconderunt. — * al. commonet. — d — * al. infert. — Jer. 16. 18.

[a] Cohærenter ad Græcum textum, ut ab ipfo laudatur Origene, ἀπαιτοῦσι τὴν ψυχήν σου ἀπὸ σοῦ, repofuimus ex Rabani lectione, *animam tuam repetent a te* : quemadmodum recurrit hic locus & paulo poft. In antea vulgatis erat, *anima tua repente auferetur a te*.

[b] Concinnior Rabani lectio videatur, *Cum autem impiiffimus fratricida animadvertit quid fecerit, egreffus eft &c.* In mff. vero Reg. apud Huetium, *Tu autem, impiiffimus parricida, animadverte, quid fecerit*, mendofe.

[c] Voces, *de profundo*, ex Rabani vetere lectione, & mff. Regiis apud Huetium, non renuente Græco textu fuffecimus.

[d] Denuo ex Rabani lectione fuffecimus heic verba, *delicti prioris*, quod & Origenes fcripfit, τῶν προτέρων ἁμαρτημάτων.

auferre [a] voluerunt, Deus viderit. Nos istum locum cum cæteris editionibus conferentes invenimus positum: *Et retribuam illis primum duplices injustitias eorum*: ut ostendatur quia etsi ex posterioribus factis digni effecti sunt beatitudine Dei, attamen quia aliquando peccaverunt, & humanis vitiis non carebant, primum oportet eos recipere sua delicta. Et vide si non vera sit ratio, quis peccata non recipit? nempe ille qui post credulitatem & baptismum audierit Dominum dicentem: *Dimissa sunt tibi peccata*, nec ultra * peccaveris. Si autem post lavacrum & veniam delictorum rursus ad pristinas sordes fuerimus reversi, & adhuc imperfecto sensu ab Apostolorum vestigiis recedentes, aut injusta gesserimus aliqua aut certe in ipsa justitia sint aliqua * mixta peccata, quid nobis fiat consideremus, utrumne egredientes de præsenti sæculo, si habuerimus vitia vel virtutes, recipiemus pro virtutibus præmia, & dimittentur nobis ea quæ scientes peccavimus; an plectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus. Sed neutrum horum verum est, quia & pro peccatis torquebimur, & pro justitia recipiemus præmia quæ meremur. Si enim post fundamentum Jesu Christi, non solum in tuo corde aurum, & argentum, & lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri vel argenti) superædificaveris; verum & ligna, fœnum, & stipulam, quid tibi vis fieri cum anima * sejuncta fuerit a corpore? utrum nam ingredi in sancta cum lignis tuis, cum fœno & stipula, * ut polluas regnum Dei: an propter lignum, fœnum, & stipulam foris residere? & pro auro, argento, & lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat lignum, fœnum, vel stipulam? Deus quippe noster apud eos qui possunt intelligere divina, ignis dicitur esse consumens. Et cum dicat Propheta: *Deus noster ignis consumens est*, non apposuit quid consumat, tibi derelinquens de manifestioribus intellectum. Neque enim

Matt. 9. 2. Joan. 8. 11.
* al. peccaverit.
* al. nata.
* al. seducta
* al. &
Deut. 4. 24. Hebr. 12. 29.

A id quod ad imaginem & similitudinem suam permanet, ignis iste consumit, non proprias creaturas: sed superædificata ligna, fœnum, stipulam. Locus est difficilis, & ad interpretandum nimii sudoris egens, ut cum primis secunda consentiant. Repromissiones legimus, & post prospera repente tristia prædicantur: *Et retribuam*, inquit, *illis primum duplices injustitias eorum*; necessario [b] appositum est, *primum*: primum quippe propter injustitias tormenta perpetimur, deinde propter justitiam coronamur. Neque enim econtrario ante tribuenda sunt justa, & sic reddenda peccata, ut cessantibus bonis vitia æterna permaneant, sed ante recipiemus mala, & deinde bona, ut, sublatis vitiis, virtutes permaneant in æternum. Observa omnem thesaurum Scripturarum, & invenies semper Deum ea primum comminantem quæ tristia sunt; & ea deinceps inferentem quæ lætitiam præbeant audientibus. Occidit, & vivificat: percutit & sanat; ipse dolorem facit, & rursum restituit, percussit, & manus ejus sanaverunt. Super his ergo, qui justus est, intellectu pio considerans quæ dicuntur, ingemiscat, & dicat: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *sine macula, & operatur justitiam, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos*. Nos etiam non his opprobremus qui a peccatis ad pœnitentiam convertuntur, Scriptura dicente: *Ne improperes viro convertenti a peccatis. Opprobrium non accepit adversus proximos suos: ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum magnificat*. Omnes igitur quiquunque materiam illius ignis habemus in nobis, primum recipiemus nostra delicta. Sed dicet mihi aliquis de audientibus, expone & id quod sequitur: *Duplices injustitias eorum*. Esto quippe, * recipio mea peccata, ut compleatur id quod ab Apostolo dictum est: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus*

Deut. 32. 39.
Ps. 14. 1. 2. 3.
Eccli. 8. 6.
Ps. 14. 3. 4.
* al. recipere me.
1. Cor. 3. 15.

[a] Heic se Interpretibus LXX. parum æquum præbet Hieronymus; quodque mireris, cum eos ad libitum omnia & temere detruncare conqueritur, Origeni ipse aliena & spuria affinxit, voces illas nimirum: *sicut & cætera*. HUETIUS.

[b] Notam ex hoc præcipue loco Origeni inurunt, quod piacularibus modo, non æternis addixisse pœnis hominum scelera videatur: constet vero ex Fide post resurrectionem & judicium nullam superesse emendationis spem. Confer in hanc rem Bellarminum lib. 2. de Purgatorio cap. 9. atque Huetium Origenianor. lib. 2. quæst. XI. num. 17.

Luc. 12.47. *salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* cur vero duplicia recipio peccata? Cui respondendum est, quia *servus qui scit voluntatem Domini sui, & non facit eam, plagis vapulabit multis:* dignum siquidem est eos qui * de Gentibus sunt, simplicia recipere peccata, & nos duplicia, dicente Apostolo: *Voluntarie peccantibus nobis post cognitionem veritatis jam ultra non remanet pro peccato hostia. Horribilis autem quædam exspectatio judicii ignis, zelus comedere habens adversarios.* Prophetatum est de his qui a peccatoribus & venatoribus de profundo in montibus sunt abstracti, quomodo recipiant primum duplicia peccata sua. Posthæc de vocatione Gentium prophetatum est, non eorum qui necdum cognoverunt Christum, sed qui jam vocati sunt, ut sciant laudes referre pro gratia: & in Ecclesia consistentes, confiteantur, & adorent nomen ejus: *Domine, fortitudo mea, & * adjutorium, & refugium meum in die malorum, ad te Gentes venient ab extremo terræ, & dicent: Quoniam falsa possederunt patres nostri simulacra, nec est in illis utilitas.* Quomodo ab extremo terræ venerunt Gentes ad Dominum, & dixerunt: *Quoniam falsa possederunt patres nostri simulacra, nec est in illis utilitas?* Quinam isti qui veniunt ab extremis? Sunt alii primi terræ, sunt alii novissimi. Qui sunt primi? Sapientes sæculi, nobiles, divites, optimates. Qui sunt extremi? Stulta mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ea quæ non erant, ut destruat quæ sunt. *Venient Gentes ab extremo terræ*: quasi dixerit: de his omnibus qui sunt novissimi super terram, de fatuis, de ignobilibus, de abjectis. *Et dicent: Quoniam falsa possederunt patres nostri simulacra, nec est illis utilitas*: non quia vera sint idola, ad quorum distinctionem nunc falsa dicantur, sed idola quæ falsa sunt per naturam, nulla est in eis utilitas. Si faciet sibi homo Deos, & isti non sunt Dii. Non solum de corporeis simulacris faciunt sibi homines Deos, sed & de corde confingunt: qui enim possunt simulare alium creatorem extra universitatis Deum, [a] alium Spiritum Sanctum, alium Christum, alia sæcula extra hæc quæ cernimus, ii homines fecerunt sibi Deos, & adoraverunt opera manuum suarum. Omnes Philosophi qui varia dogmata prodiderunt, omnes hæretici qui auctores ad aliter credendum de Deo miseris mortalibus extiterunt, fecerunt sibi idola, & * animi voluptatem putaverunt Deum, & conversi adoraverunt opus manuum suarum, putantes vera esse quæ finxerant. Omnes igitur tam de visibili materia, quam de falsis dogmatibus fingentes sibi Deos, corripit nunc sermo divinus dicens: *Si faciet sibi homo Deos, & isti non sunt Dii; propterea manifestabo illis in tempore isto opus manuum mearum, ostendam illis virtutem meam:* in quo tempore, nisi in isto, quo Salvator noster assumpsit corpus humanum? *Et scient quia ego sum Dominus.* Deinde alia sequitur prophetia, (quam nescio quare apud Septuaginta non invenientes, in cæteris Editionibus, quæ cum Hebræo consentiunt sermone reperimus) quæ plena est necessariis rebus, & tam utilibus, ut possit si animus fuerit attentus, a vitiis revocare Lectorem. Sic autem sequitur: *Peccatum Juda conscriptum est stilo ferreo, in ungue adamantino, sculptum super pectus cordis eorum.* Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Judæi [b] qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in hoc loco pro *peccato Juda*, *peccatum eorum* posuerunt. Sed si figuraliter consideres (ut sæpe ostendimus) Judam Christum nuncupari, forsitan peccatum Judæ peccatum nostrum est, qui credimus in Christum de tribu Juda, & ex ejus secundum carnem stirpe nascentem. Si autem volueris sacratius intelligere de proditore Juda dictum: *Peccatum Judæ scriptum est in stilo ferreo, in ungue adamantino, sculptum super pectus cordis eorum*, repugnabit tibi quod sequitur, *Eorum*. Igitur (ut supra diximus) super nos qui peccamus ista conveniunt, quorum peccata non forinsecus alicubi conscribuntur, sed in cordis conscientia, stilo exarata ferreo, sculpta ungue adamantino. Quod autem peccata nostra scribantur in pectore, ex his quæ sequuntur, intellige. Antequam peccatum faciam nulla in corde meo peccati imago versatur: cum autem conscientia peccati ima-

Marginalia: * al. gentes; Heb. 10. 26. 27.; Jer. 16. 19.; * al. robur; * al. anima; Jer. 16. 20.; Jer. 17. 1.

[a] Addidimus ex Rabani lectione & Græco textu vocem, *alium*, quæ deerat. Paulo quoque infra, *homines*, substituimus pro *omnes*, ex iisdem Rabano & Græco: pleraque autem his similia passim taciti castigamus.

[b] Confer Hieronymum in Commentar. in hunc locum Tom. 4. col. 156. & quæ ibi a nobis adnotata sunt.

imaginem ſumpſerit, habeo formam illius, & ſemper ante oculos cordis mei delicti pompa depingitur. Et ſiquidem eſſet peccatum meum atramento conſcriptum, forſitan delerem illud; nunc autem ſcriptum eſt in ſtilo ferreo, &
* al. ſculptum. in ungue adamantino, * ſcriptum eſt ſuper pectus cordis mei, ut mecum ad tribunal veniat, & compleatur illud
Mat. 10. 26. quod a Chriſto prophetatum eſt: *Nihil abſconſum, quod non manifeſtabitur, & nihil occultum quod non palam fiet*. Nudabitur pectoris mei conſcientia, & aperto corde, videbuntur literæ peccatorum, quæ in ſtilo ferreo, in ungue adamantino ſculptæ ſunt. Atque ita univerſa
* al. peccantium. * ſpectantium multitudo leget in pectore meo ſignatas imagines peccato-

A rum: *Nihil enim * abſconſum, quod non revelabitur. Et inter ſe invicem cogitationum accuſantium ſive defendentium*. Rom. 2. 15. * al. abſconditum.
Et: *Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtet conſilia cordium*. 2. Cor. 4. 5.
Cui * manifeſtabit? utique non ſibi, * al. manifeſtetur.
qui antequam fiant cuncta cognoſcit: ſed his qui cum illo venturi ſunt, & propter puritatem mentis & corporis Agnum * ſequentur, oſtendet delicta in * al. ſequuntur.
B corde peccatoris expreſſa, ut reſurgant juſti in gloriam, peccatores vero in opprobrium & confuſionem æternam; a quibus liberet nos Deus reſurgentes cum Chriſto Jeſu, cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

HOMILIA DECIMATERTIA

De eo quod ſcriptum eſt: *Quomodo converſa es in amaritudinem vitis aliena*. Jerem. XI. 21. 22.
Uſque ad eum locum in quo ait:
Maculata es in conſpectu meo in iniquitatibus tuis, dicit Dominus.

Sap. 1. 13. DEus mortem non fecit, neque delectatur in perditione viventium. Creavit
a *enim ut eſſent omnia, & ſalutares* [a] *generationes mundi, nec eſt in eis venenum mortis, neque inferni regnum ſuper terram*. Deinde paulum ultra procedens re-
Sap. 2. 24. perio unde ſit mors: *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Omnia igitur bona in nobis & propter
b nos condidit Deus, ſed noſmetipſi [b] malitiam atque peccata propria in nobis attraximus voluntate. Unde & in præſenti lectione per Prophetam nunc queritur Deus, & quodammodo dubius inquirit, quomodo in quibuſdam amara ſit anima, quam dulcem ipſe condiderat, & ait: *Quomodo converſa es in amaritudinem vitis aliena?* Quod dicit tale eſt, Ego feci pedes, quibus ingrederetur mortale genus; qua cauſſa factum eſt ut claudicent plurimi? Ego feci omnia membra valida, atque integra; quomodo video in multis debilia atque inutilia? Itaque non ſolum primi ho-
Gen. 1. 26. minis anima, ſed & univerſorum ad imaginem & ſimilitudinem Dei facta

C eſt, & antiquior eſt hæc imago quæ Dei eſt, imagine Zabuli, quam poſtea nobis induimus ob peccatum. Unde debemus magnopere laborare, ut quomodo delinquentes portavimus imaginem terreſtris: ita ad pœnitentiam converſi portemus imaginem cæleſtis, ad quam & univerſa primum condita creatura eſt, ob cujus in malum converſionem nunc peccantes ſermo corripiens ait: *Quomodo converſa es in amaritudinem vi-*
D *tis aliena? Ego autem plantavi eam fructiferam, univerſam veram*. Et ante diximus, & nunc eadem plenius ut intelligatis, repetimus, quia Deus bonam plantavit hominis animam, ſed ipſa vitio ſuo adverſus conditoris depravata ſit voluntatem. *Ego autem plantavi te vitem fructiferam, univerſam veram*: non ex parte veram, & mendacem ex parte plantavi, ſed univerſam veram. Quomodo contra plantationem meam
E converſa es in amaritudinem, & facta es vitis aliena? Poſt hæc ſequitur: *Si abluta fueris nitro, & multiplicaveris tibi herbam* [c] *poam, maculata es in conſpectu* c

a Regii apud Huetium mſſ. *ſalutares fecit generationes*.

b Unus ex iiſdem mſſ. *malitia atque peccato proprio nobis attraximus mortem*.

c Hieronymus: *& multiplicaveris tibi herbam poam*: & tota hac Homilia, πόαν, non aliter vertit, quam, *poam*: at Hebræa habent Jerem. 2. 22. בורית, ubi id LXX. reddiderant. πόαν, Hieronymus, *herbam borith*. Ita Malach. 3. 2. מכבסים בורית vertunt LXX. πόα πλυνόντων, Hieronym. *herba fullonum*. Quid ſit בורית, multifariam diſputatur: alii ſmegma eſſe volunt, & quidquid detergendi facultate pollet, a ברר, *expurgare*; Syrus exponit, *ſulphur*; alii ſaponem; alii, ςρυθίον, herbam a Latinis lanariam dictam; ſive radiculam; alii herbam eam quæ Saponaria appellatur, quaque expurgandis,

ctu meo in iniquitatibus tuis, dicit Dominus. Ergone hoc arbitrandum est, quia anima peccatrix nitro conata sit purgare maculas suas, & assumens poam, quæ oritur ex terra, immunditiam delictorum a se mundare contenderit? Unde nunc ad eam loquitur sermo divinus: *Si abluta fueris nitro, & multiplicaveris tibi poam, maculata es in conspectu meo, in iniquitatibus tuis, dicit Dominus*. An id quidem verius existimandum est, quia ut sacra volumina omni virtute sunt plena, ita & Dei sermo omni virtute sit plenus, & habeat istiusmodi fortitudinem, quæ possit purgare vitia, &, sordibus defricatis, ad colorem pristinum revocare? (Hebr. 4. 12.) *Vivus est quippe sermo Dei, & efficax, & acutus super omnem gladium utrimque acutum*, & reliqua. Ex quibus diximus pro passionibus animæ remedia habere sermonem, esse in eo nitrum, esse poam, quibus sordes abluantur. Neque vero omne peccatum nitro sermonis & poa potest emundari, sed sunt aliqua delicta, quæ non indigeant facili curatione, nec ad nitrum & poam tantum abluta discedant. Sic nunc dicitur: *Si ablueris te nitro, & multiplicaveris tibi poam, maculata es in conspectu meo in iniquitatibus tuis, dicit Dominus*. Et quomodo sunt quædam vulnera quæ malagmatibus, & oleo, & alligaturis redduntur pristinæ sanitati: alia vero sunt istiusmodi, de quibus dicatur: (Isai. 1. 6. 7.) *Non est malagma imponere, neque oleum, nec alligaturas, sed terra vestra deserta, civitates vestræ igne exustæ*: sic sunt quædam peccata quæ animam sordidant, & indigent homine qui habeat poam, nitrique sermonem; alia vero talia sunt, ut non possint supradicti sermonis virtute curari, neque enim sordibus comparantur. Idcirco sciens differentias peccatorum, per Isaiam Dominus dicit: (Isai. 4. 4.) *Lavabit Dominus sordes filiorum Sion (in sanguine.) Emundabit de medio eorum spiritu judicii, & spiritu combustionis sordes & sanguinem*. Sordes spiritu judicii, sanguinem spiritu combustionis. Si peccasti, & peccatorum sorde pollutus es, lavabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum. Si autem mortale peccatum est, non possumus nitro poaque mundari, sed spiritu judicii, spiritu combustionis & pœnæ. Forsitan & Jesus baptizat Spiritu Sancto [a] & igne: non quia eundem in Spiritu Sancto atque igne baptizet; (a Luc. 3. 16.) sed quo sanctus baptizetur Spiritu Sancto, & is qui post fidem & [b] magisterium Dei rursum ad scelera conversus est, cruciatu purgetur incendii. Beatus qui lavacrum accepit Spiritus Sancti, & ignis lavacro non indiget. Miserabilis autem & omni fletu dignus, qui (post lavacrum Spiritus) baptizandus est igni. Utrumque siquidem habet baptisma Jesus: (Isai. 11. 1.) *Exiit namque virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendit*; virga peccatoribus, (flos justis.) Sic Deus & ignis consumens, & lumen in Scripturis dicitur, ignis peccatoribus, lumen sanctis: (Hebr. 12. 29. 1. Joann. 1. 5.) Et: *Beatus qui habet partem in resurrectione prima*. Si quis servaverit lavacrum Spiritus Sancti, iste in resurrectionis primæ parte communicat. Si quis vero in secunda resurrectione servatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur, ut quidquid habuerit lignorum, fœni, & stipulæ, ignis consumat. Quamobrem cum talia post mortem nobis residere videamus, Scripturas diligenter simul recitantes, reponamus eas in cordibus nostris, & juxta earum vivere præcepta nitamur, ut ante excessionis diem, si fieri potest, peccatorum sordibus emundati cum Sanctis valeamus assumi, in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMI-

dis, & detergendis pannis utuntur fullones. Verisimillima hæc est postrema sententia, quam tuetur Hieronymus in Jerem. 2. 22. *Pro herba borith*, inquit, *quam nos ut in Hebræo posita est, vertimus, LXX. transtulerunt*, πόαν, *ut significarent herbam fullonum, quæ juxta ritum provinciæ Palæstinæ in virentibus & humectis nascitur locis, & ad lavandas sordes eandem vim habet, quam & nitrum*. Matthæus Sylvaticus in Pandectis, voce, *Fullones*: *Saponaria vocatur herba fullonum, quod ex ea lavant, & abstergunt pannos fullones, borith, burith*: ita & in *Borich*, & in *Guaisdo*; ita & R. Jona. Unde dubitandum minime est, quin cum πόαν, *herbam*, reddiderunt LXX. Saponariam herbam intellexerint; quam cum propria voce appellare non possent, generali, πόαν, nuncuparunt; utpote cujus in detergendis vestibus tritissimus esset & notissimus usus, dubioque locum non relinqueret. Theodoretus in hunc locum, πόαν, τὰ ἀπὸ γῆς φυόμενα ῥύμματα ὀνομάζει. *Herbam appellat, quæ detergendi vi prædita e terra proveniunt*. Porro ex πόα factum est Rabbinicum, פואה, quod Rubiam tinctorum significat. Usurparunt quoque Arabes: Græci reddunt, ἐρυθρόδανον. Hinc Philo in libro, τίς ὁ τῶν θείων κληρονόμος· φουὰ δὲ ἐρυθρὸν ἑρμηνεύεται. Origenes Homil. 2. in Exod. *Phua, quæ apud nos Rubens vel Verecunda dici potest*. Hieronymus De Nom. Hebr. in Exod. *Fua, rubrum*. HUETIUS.

a Contrarium porro docet Origenes Homil. 24. in Luc. eos nimirum dumtaxat igneo flumine a Christo baptizatum iri, qui aqua & spiritu fuerint baptizati, & purgatione eguerint. At Homil. 6. in Exod. & Homil. 25. in Num. & Hom. 3. in Psalm. 36. unumquemque igne purgandum pronuntiat, ut a nobis fusius in Origenianis explicatur. *Idem*.

b Mss. Regii apud Huetium, *mysterium*.

HOMILIA DECIMAQUARTA

De eo quod ſcriptum eſt: *Et dixit Dominus ad me in diebus Regis Joſiæ.* Jerem. III. 6.

Uſque ad eum locum in quo ait: *Juſtificavit animam ſuam Iſrael a peccatrice Juda.* Jerem. III. 11.

IPſum primum lectionis ſermonem, qui perobſcurus eſt, debemus excutere, & poſtea, ſi Dominus dederit viam intelligendi, ad altiorem ſenſum venire. In Regnorum libris fertur hiſtoria, quæ docet poſt Salomonis interitum, temporibus Roboam duodecim tribus fuiſſe diviſas: ideſt in decem tribus regnaſſe Jeroboam, & vocatas eas eſſe Iſrael: duabus vero præfuiſſe Roboam, & vocatas eas eſſe Judam. Quæ [a] diſcretio populi juxta fidem libri, uſque ad præſentem diem permanet. Neque enim in aliquibus voluminibus invenitur ubi Iſrael & Juda ſub uno rurſus imperio redigantur. Primus itaque peccavit Iſrael ſub Jeroboam, & cæteris ſucceſſoribus ejus; & tanta peccavit, ut a Deo traderetur captivitati, & ſerviret apud Aſſyrios uſque ad præſentem diem. Et Juda peccavit, traditusque eſt Babyloniis, non uſque ad hodiernam diem, ſed (ut Scriptura teſtatur) ſeptuaginta annis, de quibus Jeremias prophetavit, & Daniel. Si intellexiſti hiſtoriam quæ in Regnorum libris ſcripta eſt, conſidera verba Prophetæ, & videbis eundem exprimi ſenſum. Accuſatur Iſrael & dicitur: Audiens congregatio Juda, quod ob peccata ſua Iſrael traditus ſit captivitati, non egit pœnitentiam, nec converſa eſt ad me: ſed intantum peccata peccatis cumulavit, ut ad comparationem vitiorum ejus juſtior inveniatur Iſrael. Deinde Propheta prædicare jubetur ad Iſrael, ut quia Juda pejor illo factus ſit, convertatur ad Dominum, & Iſrael, & juda ſub uno imperio futuros eſſe, & ad priſtinam redituros concordiam. Quod ut planius fiat, ipſius Scripturæ verba ponenda ſunt: *Et dixit Dominus ad me in diebus Regis Joſiæ: Vidiſti quid fecit mihi habitatio domus Iſrael?* Non dixit Juda, ſed prius Iſrael. *Abiit ſubtus omnem montem excelſum, & ſubtus omne lignum nemoroſum, & fornicata eſt illic & dixi, poſtquam fornicata eſt hæc omnia: Convertere ad me, & non eſt converſa. Et audivit prævaricationem ejus,* ideſt populi Iſrael, *prævaricatrix Juda. Et viderunt,* ideſt, ii qui erant de Juda, *quoniam de omnibus comprehenſa eſt in quibus mœchabatur habitatio Iſrael. Dimiſi eam & dedi ei libellum repudii.* Dimiſi enim populum Iſrael, & ejeci eos in Aſſyrios: *Et dedi ei libellum repudii in manu ejus, & non timuit prævaricatrix Juda.* Poſt tanta quæ paſſa eſt Iſrael, dimiſſa a Deo, accipiens libellum repudii in manus ſuas, debuerat a vitiis Juda converti, & per aliena peccata correpta, ſibi ſimilia præcavere: quæ non ſolum peccare non deſiit, ſed priſtina ſcelera duplicavit, intantum ut ad comparationem ejus congregatio Iſrael, quæ prius fuerat ipſa damnata, ſit juſtior. *Et dedi ei libellum repudii in manus ejus, & non timuit prævaricatrix Juda ſoror ejus, ſed abiit, & fornicata eſt & ipſa, & facta eſt fornicatio ejus in nihilum, & mœchabatur in lignum & lapidem: & in his omnibus non eſt converſa ad me prævaricatrix Juda, ex toto corde ſuo, ſed in mendacium:* nec timuit ex his quæ fecerat Iſrael, ut toto corde converteretur ad me, & depoſito mendacio, in quo perſeverabat, vere ageret pœnitentiam. *Et dixit Dominus ad me, juſtificavit animam ſuam Iſrael a prævaricatrice Juda:* Peccata Iſrael cum Judæ vitiis comparata juſtificant quodammodo animam ejus. *Vade & lege ſermones iſtos ad Aquilonem.* Si intellexiſti hiſtoriam, videamus quid in his ſermo myſticus ſignificet. Vocatio gentium, exſpectatio Iſrael, habuit exordium, ut teſtantur Apoſtoli, poſt annuntiationem quam Judæorum prædicaverunt Synagogis: *Ad vos,* dicentes, *erat miſſus ſermo; ſed quia indignos vos* judi-

Margin notes: Jer. 3, 6, 7, 8. — Jer. 3. 9. — Jer. 3. 9. 10. — Jer. 3. 11. — Jer. 3. 12. — Act. 13. 46.

[a] Unus Reg. mſ. apud Huetium, *quæ diſceſſio.*

judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Paulus quoque sacra voce loquitur: *Illorum peccato salus gentibus facta est ad zelandum eos*. (Rom. 11. 11.) Igitur multa peccata illius populi fecerunt eum a Domino derelinqui, & nos ad spem salutis venire, qui alieni eramus testamentorum, & repromissionis. Unde etenim mihi nescio ubi extra sanctam terram nato, nunc de repromissionibus disputare, & credere in Deum Patriarcharum Abraam, Isaac, & Jacob, & in Jesum Christum qui omnium Prophetarum vocibus prædicatus est? [a] Si intellexisti duos populos, Israel & Gentium, intellige transmigrationem Israel * (* al. in,) de populo Judæorum, & de eo scriptum esse: *Dimisi eam, & dedi ei libellum repudii*. Dimisit enim vere Deus populum Israel, & dedit ei libellum repudii, ut [b] sequens firmat exemplum. Jubet lex Moysi mulieri displicenti viro suo dari libellum repudii, & dimitti eam, & tunc viro licere, ut alteram ducat. Juxta hunc sensum intellige accipientes Judæos libellum repudii, & omnino derelictos a Domino. Ubi enim jam apud eos Prophetæ? ubi signa virtutum? ubi manifestatio Dei? Non templum, non victimæ, non alius quilibet cultus voluminibus Legis expressus. Ejecti sunt de regionibus suis, atque ita dedit Dominus libellum repudii Israel. Post eos nos qui in Scripturis Judæi vocamur (Judæi autem propter tribum Juda, ex cujus Salvator stirpe descendit) conversi * (* al. simus) sumus ad Dominum, & novissima nostra, quæ utinam saltem in hoc tempore non complerentur, similia futura sunt peccatis Juda, immo pejora. Et ut credas in consummatione sæculi deteriora nobis eventura quam evenerunt Judæis, audi Salvatorem in Evangelio prædicantem: (Mat. 24. 12.) *Cum multiplicatæ fuerint iniquitates, refrigescet caritas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Et in alio loco: (Mat. 24. 24.) * (* al. Facient) *Fient signa & prodigia in cælo & in terra, ad decipiendos, si fieri* * (* al. posset) *potest, etiam electos:* tantaque incredulitas in universo humano genere futura est, ut Salvator noster (qui omnia quæ sunt ventura cognoverat) loqueretur: *Putas veniens Filius hominis inveniet fidem super terram?* (Luc. 18. 8.) Vere quippe si judicemus fidem [c] & veritatem, non multitudinem, & respiciamus voluntatem hominum, non congregationem, * (* al. videmus) videmus in tanto numero Ecclesiarum [d] fidelem difficile reperiri. Tunc erant vere fideles, quando Martyrum victimæ feriebantur, quando cruentas exequias prosequuti, tristes ad Ecclesiam [e] revertebamur, omnis erat multitudo lugentium, quando cathecumeni in prima statim [f] fide pro ferendo martyrio docebantur, quando mulierculæ & * (* al. infirmus) infirmior sexus usque ad mortem * (* al. fermanebat.) manebat intrepidus. Tunc vere signa de cælo, tunc fiebant portenta de terra. Tunc erant pauci quidem sed vere fideles, angustam & arctam ingredientes viam, quæ ducit ad vitam. Nunc vero quando facti sumus plures, (quia difficile est plures esse bonos, neque enim mentitur Jesus dicens: *Multi vocati, pauci autem electi*) (Mat. 20. 16.) ex tantis Christianam fidem pollicentibus pauci * (* al. sane) sane reperiuntur qui habeant fidem, & [g] veritatem, & beatitudine digni sint. Si itaque dicit: Primum propter peccata dimisi Israel, & reliqui eum in * (* al. comminationem) commigrationem: Judas autem audiens ea quæ acciderant Israel, noluit ad me converti: de nostris loquitur peccatis, qui legentes ea quæ passus est populus Judæorum, non timemus, neque dicimus: *Si naturalibus ramis non pepercit, quanto magis nec nobis parcet Deus?* Si illos gloriantes esse se olivam bonam, & * (* al. radicem) de radice Patriarcharum, Abraam, Isaac, & Jacob, Christus [h] clementissimus Deus pro suo merito eradicavit, quanto magis neque nobis parcet, si similia fecerimus? Vide benignitatem & severitatem Dei. Neque enim benignus tantum est, & non severus: neque severus tantum, & non etiam benignus. Si benignus esset

---

[a] Hieronymus. *Si intellixisti duos populos, Israel, & Gentium*: sententiam retulit, a verbis discessit. Origenes paulo inferius: εἰ τὰ ὑμεῖς ἰούδα, ἰούδα δὲ διὰ τὸν σωτῆρα ἐξ ἰούδα φυλῆς ἀνατείλαντα. & Homil. 9. ἄνδρες ἰούδα ἡμεῖς ἐσμὲν διὰ τὸν Χριστόν· πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐξ ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ κύριος ἡμῶν. & Homil. 16. ἀλλ' ἐὰν ἴδῃς τροπικῶς λεγόμενον τὸν Χριστὸν, μήποτε ἁμαρτία ἰούδα ἡμῶν ἐστι, τῶν πιστευόντων ἐπὶ τὸν Χριστὸν τὸν ἐκ φυλῆς ἰούδα. HUETIUS.

[b] Apud Rabanum, *ut relinquens firmet exemplum*.

[c] Legit Rabanus, *fidem nostram, & non multitudinem*.

[d] Legebatur antea, *fidem*: Rabanus juxta Græcum, *fidelem*, substituit, qui & mox, *fiebant*, legit pro, *feriebantur*. Græce quoque est, ἐγίνοντο.

[e] Sic habet Rabanus & Græcus ἠρχόμεθα: antea, *revertebantur*, erat in vulgatis.

[f] Idem, *in prima statim fidei perceptione de ferendo martyrio docebantur*, quod postremum verbum rescribere in textu non dubitavimus, cum minus bene antea esset, *ducebantur*: coegit enim & Græcum verbum κατηχῆντο.

[g] Rabanus, *& vera beatitudine dignam. Si &c.*

[h] Interserit Rabanus, *qui suavis &c.*

essent tantummodo, bonitatem ejus contemneremus: si severus tantum, desperatio nos salutis, propter peccata quæ fecimus, præcipitaret in vitia. Nunc vero quasi [a] Deus, necessariam quippe habemus homines bonitatem ejus ob pœnitentiam, & severitatem ob delicta: sicque benignus est, & severus, & loquitur ad nos per Prophetam dicens: *Vidisti quid fecit mihi habitatio domus Israel* (Israel in præsenti pro Judæorum populo accipe) *abjit super omnem montem excelsum, & subjit usque ad omnem lignum nemorosum*. Si consideres Pharisæum ascendentem Templum cum superbia, & non percutientem pectus suum, neque mala propria sentientem, quomodo dicat: *Gratias tibi ago, quia non sum ut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, & sicut iste Publicanus: jejuno bis in sabbato, decimas do de substantia mea*. (Luc. 18. 11.) Vides quomodo ascendit super omnem montem excelsum, & inflammatus arrogantia ista præsumat. Sunt autem alii qui ascendunt super colles, & fiunt subtus omne lignum non fructiferum, sed nemorosum: siquidem alterius naturæ est lignum, quod ubertate fertile est, alterius quod tantum abundat fronde foliorum. In nemoribus & lucis nemo plantat ficum, nemo vineam, nemo arbores fertiles, sed oblectationi visus tantum ligna frondentia. Tales sunt hæretici, qui orationem suam verborum decore componunt, non ut convertant audientes a vitiis, sed ut delectent. Igitur qui istiusmodi seductione persuasus est, abjit subtus omne lignum. Simulque attende quare non dixerit, omne lignum, & tacuerit, neque rursum addiderit omne lignum fructiferum, sed significanter adjecerit: *subtus omne lignum frondosum*. Quamobrem si intelligas cur præcipiatur in Lege: *Non plantabis omne lignum juxta altare Domini Dei tui, nec facies nemus*: (Deut. 16. 21.) nominatim quippe interdicitur ne lucus plantetur in Templo, si observaveris quare dictum sit: *Fornicata est illic, & dixi postquam fornicata est hæc omnia: Ad me convertere, & non est conversa, & vidit prævaricationem ejus prævaricatrix Juda*, de nobis dici intellige, qui derelinquentes pactum, quod cum Deo fecimus, non servamus, neque respicimus priorem populum, testamentum, & repromissiones, & nobilitatem generis per peccatum simile perdidisse. *Si essetis filii Abraam, opera patris vestri faceretis*: (Joan. 8. 39.) dicit eis Dominus. Et in alio loco Joannes Baptista: *Ne incipiatis*, inquit, *dicere in vobis, quia patrem habemus Abraam: dico enim vobis, quia potens est Dominus ex lapidibus istis suscitare filios Abraæ*: (Luc. 3. 8.) lapides esse nos significans, quia ad similitudinem lapidum obdurantes corda nostra renuimus veritatem. Et vere omnipotens Deus suscitabit filios Abraæ de lapidibus, si permaneamus in adoptione ejus, & spiritum per quem adoptati sumus, custodiamus in nobis. Vidit ergo prævaricationem Israel prævaricatrix Juda, quæ non servavit pactum quod cum Deo fecerat: *Et vidit quoniam de omnibus, in quibus mœchabatur, comprehensa est illa generatio*. Omnia quippe quæ passus est Israel, nos qui sumus Juda, legentes in sacris voluminibus, invenimus quoniam de omnibus [b] quibus comprehensa est, in quibus mœchabatur habitatio Israel, dimisit eam Dominus, & dedit ei libellum repudii. Et cum deberemus ex his quæ illi passi sunt, nos ad meliora converti, & inspicere * quod illi propter peccata traditi sunt captivitati, (* al. quia) & interfecti ab inimicis, & civitates eorum igni exustæ sunt: cum itaque, ut diximus, hæc nobiscum * deberemus reputare, (* al. debueramus.) quia si Deus naturalibus ramis non pepercit, (Rom. 11.) quantum magis nec nobis parcet? si illos qui de Patriarcharum genere descendebant, sic propter peccata dimisit, quid nos necesse sit vocatos ex gentibus pati? nihil horum reputamus, & ideo nos vocatos ut illi incitentur ad zelum, videntes servos * aliquando, liberos, ignobiles aliquando, (* al. nondum.) nunc Dei filios. Si autem illi tanta passi sunt, quanto magis nos, si peccaverimus, pejora patiemur? In quibus mœchabatur habitatio domus Israel, dimisi eam, & dedi ei libellum repudii in manus ejus, & non timuit prævaricatrix Juda hæc, quæ fecit habitatio Israel, quia dimisi eam, &

[a] Legimus cum Rabano, unoque penes Huetium ms. Reg. *quasi Deus, necessariam quippe habemus homines bonitatem* &c. cui lectioni concinit Græcus textus νῦν δὲ ὡς Θεὸς ἀμφότερον ἔχει· χρήζομεν γὰρ οἱ ἄνθρωποι μετανοοῦντες &c. Tantum ex eodem Græco malim suppleri præterea locum ita, *quasi Deus utrumque habet, necessariam &c.* Nihilosecius præferenda hæc lectio fuerat alteri hactenus impressæ, quæ non uno laborat mendo, *quasi dans necessaria, quippe habemus omnes bonitatem ejus ob pœnitentiam &c.*

[b] Mutilus sensus, aut verius nullus erat in antea vulgatis libris, *de omnibus mœchabatur habitatio &c.* prætermissis hisce, quæ ex Raban lectione substituimus, *quibus comprehensa est, in quibus mœchabatur &c.* Restitutam hoc pacto lectionem comprobat Græcus ipse archetypus, ὅτι περὶ πάντων ὧν κατελήφθη ἡ κατοικία τοῦ Ἰσραὴλ, ἐν οἷς ἐμοιχᾶτο.

& dedi ei libellum repudii. Nec timuit A prævaricatrix Juda, ut ne ipsa propter peccata sua, similia sustineret. Si quis nuper emtus domum emtoris & domini fuerit ingressus, sciscitatur ab aliquo conservo, quis de prioribus servis offenderit dominum, quid promeruerit: & si voluerit in domo domini perseverare, cavet ea facere, quæ eos fecisse * audit, qui verberibus & tormentis, & relegatione digni exstiterunt. Deinde diligentissime inquirens quid fecerunt illi qui libertatem a domino meruerunt, omni labore nititur, ut ea faciat, quæ eos fecisse cognovit. Et nos itaque qui non eramus servi Dei, sed idolorum, & Dæmonum, & postea ex gentibus congregati credidimus in Christum, legamus Scripturas, videamus quis justificatus sit, quis offenderit Deum, & cum omni observatione nitamur ea facere quæ justos legimus fecisse, & caveamus in hoc incidere in quæ inciderunt hi qui traditi sunt captivitati, & ejecti de hæreditate Dei. *Et non timuit prævaricatrix Juda*, * *sed abjit*, *& fornicata est & ipsa*. Post fornicationem, in qua * prius corruit Israel, fornicata est etiam Juda. *Et facta est fornicatio ejus in nihilum*, *& mœchabatur* * *in ligno &* * *lapide*. Quando peccamus duro contra Deum corde, nihil aliud facimus, nisi * cum lapide fornicamur. Quando in [a] voluptate peccamus, mœchamur subtus omne lignum nemorosum. *Et in his* B C D

*al. audivit
* al. &
* al. primus.
* al. lignum & lapidem.
* al. lapidem

A *omnibus non est conversa ad me prævaricatrix Juda ex toto corde suo*, *sed in mendacio*. Et nos conversi sumus ad Dominum; sed quia non ex toto corde conversi, dicitur: *Non est conversa ad me prævaricatrix Juda ex toto corde suo*, *sed in mendacio*. Neque vero ait: Non est conversa ad me prævaricatrix Juda & tacuit: sed. *Non est*, inquit, *conversa ad me prævaricatrix Juda ex toto corde suo*, *verum in mendacio*: ut ostenderet eos qui B convertuntur, si non ex toto corde convertuntur, in mendacio, non in veritate converti. Quapropter legamus Veteris Testamenti historias, & Prophetas, & si quos justificatos invenerimus, imitemur ea, per quæ illi justificati sunt. Legamus Evangelia, & omne novum Testamentum. Legamus Apostoli Pauli Epistolas universas, & scribamus in cordibus nostris, viventes juxta præcepta cælestia, ut non tradatur & nobis C libellus repudii, sed * cohæredes efficiamur cum Christo Jesu, [b] & videbimus quod plenitudine Gentium Ecclesiam Dei introeunte, in novissimis salvetur Israel, secundum illud eloquium: *Cum autem plenitudo gentium introierit*, *tunc omnis Israel salvus erit*, *& fiet unus grex*, *& unus pastor*, docens in commune populum suum magnificare omnipotentem [c] Dominum cum Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen. D

*al. hæredes
Rom. 11.25.
Joan. 10.16.

[a] Rabanus, *voluntate*, quod & mss. Reg. penes Huetium præferunt: tum erat, *peccavimus*, pro, *peccamus* in Græco est, ὅταν ἁμαρτάνωμεν.

[b] Mss. Reg. apud Huetium, *& plenitudine gentium Ecclesiam Dei introeunte*, *novissimus salvetur Israel*.

[c] Confer Huetium Origenianorum lib. 2. Quæst. num. 29. sub finem.



INCI-

INCIPIUNT

HOMILIÆ XIV. ORIGENIS IN EZECHIELEM

Ex Latina S. HIERONYMI Interpretatione.

HOMILIA PRIMA

De prima viſione Ezechielis. Cap. I.

NOn omnis qui captivus eſt propter peccata ſuſtinet captivitatem. Nam cum omnis multitudo Judæorum cauſſa peccati derelicta fuerit a Deo, & captivitatem ſuſtinens comprehenſa ſit a Nabuchodonoſor, atque ejecta de terra ſancta, in Babyloniam uſque perducta ſit: pauci tamen juſti, qui erant in populo non ob culpam ſuam ſuſtinuerunt captivitatem, ſed ob id ne peccatores, qui fuerant jugo captivitatis oppreſſi, omnino ſubſidium non haberent. Fingamus quippe, peccatoribus in Babyloniam abductis, juſtos in antiquis finibus reſediſſe: fiebat ut nunquam peccatores remedium conſequerentur. Diſpoſuit igitur clemens & benignus, & hominum amator Deus inter ſupplicia quibus peccatores punit, etiam viſitationis ſuæ miſcere pietatem, nec immoderata pœna miſeros premere. Semper talis eſt Deus noſter, excruciat nocentes, ſed quaſi pius pater tormentis clementiam ſociat. Si autem vis agnoſcere vera eſſe, quæ dicimus, vide quid acciderit in Ægypto a fame. Si voluiſſet interficere tantum Ægyptios, & punire cruciatos in ſeptennali fame, feciſſet utique quod voluerat, & neque Joſeph in Ægyptum deſcendiſſet, neque Pharao vidiſſet ſomnium de his, quæ Ægypto fuerant eventura, nec regi fuiſſet oſtenſum a Principe vinariorum, eſſe quendam, qui poſſit regi ſomnium interpretari. Nunc vero, ut cernis, Deus flagellat quaſi pater, parcit autem non ſolum Iſrael, verum & Ægyptiis, cum alieni ſint ab eo, propter propriam manſuetudinem. Et manifeſtum eſt quia boni Dei opus ſuper eos exerceatur, dum Joſeph deſcendit in Ægyptum, dum Pharao ſomniis admonetur, dum princeps vini interpretem indicat, dum interpres differit vaſa, atque ita ubertatis tempore, frugibus congregatis, poſterioris famis penuria vincitur. E quibus omnibus perſpicuum eſt, non eſſe immoderatam iram, quæ ab hæreticis in Creatore reprehenditur. Poteramus quidem multas hiſtorias retexere ad hæc probanda quæ dixi; ſed ne videar a propoſito recedere, compendium facio ſermonis. Propoſitum quippe mihi eſt explanare de eo, quod propter peccata ſua captivus abductus ſit populus Iſrael. Et ne forte aliquis arbitretur peccatores a Deo traditos, ab eo ulterius non gubernari, & ſemel in captivitatem redactos, ultra diſpenſationem ejus, & miſericordiam non mereri, præſentem locum diligentius conſideremus. Daniel non peccavit, Ananias Azarias, Miſael a peccato immunes fuerunt, & tamen captivi effecti ſunt, ut ibi poſiti captivum populum conſolarentur, & per exhortationem vocis ſuæ pœnitentes in Jeruſalem reſtituerent caſtigatos pro tempore. Septuaginta quippe annis ſervitutis ſupplicia pependerunt, ac ſic deinde in ſedes proprias reverſi ſunt, quia ſanctus Prophetarum ſermo dejectos animos ſublevaverat. Verum non ſolum ii quattuor

Alienis a ſe parcet Deus propter propriam manſuetudinem.

tuor in captivitate Prophetæ extite- A runt, sed & Ezechiel unus ex eis fuit, & Zacharias filius Barachiæ captivitatis tempore sub Dario Rege cecinit. Invenimus etiam Aggæum multosque alios Prophetarum iisdem prophetasse temporibus, ex quibus indicatur, Deum non tantummodo punire peccantes, verum & misericordiam miscere suppliciis. Quod si dubitas, audi voces tormenta patientium, quomodo sacratim, & in cruciatibus suis clementiam Dei B eloquantur: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potabis nos in lacrymis & in mensura.* Non ait indifferenter, in lacrymis; sed, *in lacrymis & in mensura.* Misericordia quippe Dei in pondere. Si non esset utile conversioni peccantium adhibere tormenta peccantibus, nunquam misericors & benignus Deus pœnis scelera puniret: sed quasi indulgentissimus pater ob hoc corripit filium, ut erudiat: quasi providentissi- C mus magister ita severitate frontis lascivum discipulum castigat, ne amari se sentiens pereat. Vide Salomonem sapientissimum omnium, quid de Dei correptionibus suspicetur: *Fili, noli esse pusillanimis in disciplina Dei, neque deficias correptus ab eo. Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Nullus est enim,* inquit Apostolus, *filius, qui quum peccaverit, non flagelletur a patre.* Et D ad hoc mirabiliter addidit dicens: *In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus.* Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, [a] adulterini, & non filii estis. Sed sit forsitan aliquis, qui ipso nomine iræ offensus criminetur eam in Deo. Cui respondebimus, non tam iram esse iram Dei, quam necessariam dispensationem. Audi quod E sit opus iræ Dei, ut arguat, ut corrigat, ut emendet: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Qui hæc loquitur scit furorem Dei non esse inutilem ad sanitatem, sed ad hoc adhiberi ut curet ægrotantes, ut emendet eos, qui sermonem ejus audire contemserunt. Idcirco nec deprecatur ne talibus remediis emendetur, ne cum pœnali medela recipiat pristinam sanitatem, quasi si servus jam inter flagella positus,

Multi Prophetæ in captivitate Babylonica.

Eccl. 7.

Hebr. 12.

a al. *si.*

Necessaria Dei ira.

Psal. 6.

Dominum precetur, repromittens ei se imperata facturum, & dicat: *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Omnia quæ Dei sunt, bona sunt, & meremur corripi. Ausculta quid dicat: *Arguam eos in auditu angustiæ eorum.* Ideo audivimus ea, quæ de tribulatione sunt, ut emendemur. In maledictis quoque Levitici scriptum est: *Si post ista non obedierint, neque conversi fuerint ad me, apponam eis plagas septem super peccata eorum. Si autem post hæc conversi non fuerint, emendabo eos.* Omnia Dei, quæ videntur amara esse, in eruditionem & remedia proficiunt. Medicus est Deus, pater est Deus, dominus est, non asper, sed lenis est dominus. Si veneris ad eos, qui puniti sunt secundum eloquia Scripturarum, compone Scripturas Scripturis, ut & te Apostolus docet, & videbis ibi dulcissima esse, ubi amarissima existimantur. Scriptum est in Propheta: *Non vindicat bis in idipsum in judicio.* Vindicavit semel in judicio per diluvium, vindicavit semel in judicio super Sodomam & Gomorrham, vindicavit semel in judicio super Ægyptum, & sexcenta millia Israelitarum. Noli existimare quod hæc ultio pœna tantum fuerit peccatoribus, quasi post mortem, & supplicia iterum a supplicio excipiendi sint. Puniti sunt in præsenti, ne in futuro jugiter punirentur. Cerne pauperem in Evangelio, squalore & penuria premitur, & postea in Abraæ sinu requiescit. *Recepit mala sua in vita sua.* Unde scis an receperint, qui in diluvio sunt necati, mala sua in vita? Unde nosti utrumne restituta sint Sodomæ & Gomorrhæ mala sua in vita sua? Audi testimonium Scripturarum. Vis Testamenti veteris testimonium discere? vis novi edocere? *Restituetur Sodoma in antiquum:* & adhuc dubitas an bonus sit Dominus puniens Sodomitas? Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii, dicit Dominus miserans Sodomitas. Benignus ergo est Deus, clemens est Deus. Solem suum vere oriri facit super bonos & malos: & pluit vere super justos & injustos: non solum hunc, quem oculis cernimus solem, sed & illum solem, qui oculis mentis aspicitur. Ego malus eram, & ortus est mihi

Levit. 26.

Num. 1.

Gen. 7. 19.

Exod. 14.

Luc. 16.

Marc. 6.

a Corrupte *adulteri* legebatur pro *adulterini*, & mox *si* pro *sit*.

Matth. 5. mihi sol justitiæ. Ego malus eram & venit super me pluvia justitiæ. Bonitas Dei est etiam in his, quæ amara existimantur. Igitur in civitate constitutus est Prophetes, & cerne quæ videat, ne Ezech. 1. dolores sentiat captivitatis. Deorsum videt labores, sed sursum elevans oculos, apertos suspicit cælos, cernit sibi referata cælestia, videt similitudinem gloriæ Dei, videt quattuor animalia, de quibus multus sermo, & difficilis interpretatio est. Cernit aurigam quattuor animalium. Cernit rotas se invicem continentes. Auriga quattuor animalium non totus est igneus, sed pubetenus a pedibus, & exinde usque ad summum electri fulgore rutilat. Non enim solum tormenta habet Deus; sunt in eo etiam refrigeria. Punit peccatores; sed per ea mysteria, quæ deorsum sunt. Neque enim Propheta ignem vidit in capite, aut in his membris, quæ a lumborum confinio ad summa consurgunt. Igneus est Dominus; sed a renibus usque ad pedes, ut demonstret, eos, qui in generatione versantur, igne indigere. Renis quippe coitus significatio est. Adhuc in lumbis Abraam patris erat Levi, quando Hebr. 7. ei occurrit Melchisedec. Et in Psalmo Iſa. 131. dicitur: *De fructu lumbi tui ponam super sedem meam.* Igneus est a renibus usque ad deorsum Dominus. Generationis enim & libidinis opera gehennæ suppliciis corripiuntur. Igneus est Deus; sed non totus est igneus: superiora ejus electrum sunt. Electrum non solum argento, verum & auro pretiosius est. Electrum autem pro exemplo fulgoris Scriptura posuit, non quod Deus vere electrum sit. Et quomodo non est tale electrum Deus, quale videbatur: sic non est talis ignis, qualis a renibus usque ad pedum finem apparuit. Ignis iste consumit, & non est appositum quid consumat, ut tu quærens reperias, quid sit illud, quod a Dei igne consumitur.

A Deus noster ignis consumens est. Quid consumit [a] ignis iste? Non ligna, quæ cernimus, non sensibile fœnum, non stipulam, quæ videtur: sed si superædificaveris fundamento Jesu Christi opera peccati ligna, opera peccati fœnum, opera peccati inferiora stipulam, venit ignis, & universa ista examinat. Quis est iste ignis, quem Lex prædicat, & Evangelium non tacet? Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. B Quis est, Apostole, ignis iste, qui probat opera nostra? Quis est ignis iste sic sapiens, ut custodiat aurum meum, ut argentum meum splendidius ostendat, ut illæsum relinquat eum, qui in me est lapidem pretiosum, ut mala tantum consumat quæ feci, quæ superædificavi ligna fœnum stipulam? Quis est iste ignis? *Ignem veni mittere super terram, & [b] quam volo ut accendatur:* Jesus Christus dicit, *quam volo* C *ut jam accendatur.* Bonus enim est, & novit quia si ignis iste fuerit accensus, malitia consumetur. Scriptum est in Prophetis: *Sanctificavit eum in igne ardenti, & voravit tanquam fœnum silvam.* Et rursum: *Emittit Dominus Sabaoth in tuum honorem contumeliam, & in tuam gloriam ignis ardens accenditur*, id est, ut tu glorificeris emittitur ignis in opera peccatorum tuorum. Vis adhuc a Propheta discere, quia tormenta boni Dei sint ad utilitatem eorum, qui ea D sustinent, constituta? Ausculta eumdem Prophetam dicentem: *Habes carbones ignis, sedebis super eos: ii erunt tibi adjutorio.* Hæc oportebat abscondere, & in medium non proferre, sed [c] hæretici nos impellunt, ut celanda efferamus in publicum, quia tecta sunt utiliter apud eos, qui adhuc parvuli juxta animæ ætatem sunt, qui metu indigent magistrorum, minis & terroribus corripiendi sunt, & possint consequi E bonitatem, ut per amara remedia a vulneribus peccatorum aliquando desistant.

Deut. 4. a
1. Cor. 3.
Luc. 12. b
Zach. 13.
Iſai. 47.
Hæretici impellunt ut celanda efferantur in publicum. c

[a] Paria habet lib. 1. *de Principiis* cap. 1. quæ huc referre operæ pretium est: *Quid enim*, inquit, *consumet Deus secundum hoc, quod ignis est? Numquidnam putabitur consumere materiam corporalem, ut est lignum vel fœnum, vel stipula: & quid in hoc dignum de Dei laudibus dicitur, si Deus ignis est hujusmodi materias consumens? Sed si consideremus quia Deus consumit quod exterminat: si consumit malas mentium cogitationes, consumit gesta turpia, consumit desideria peccati, cum se credentium mentibus inserit, & eas animas, quæ verbi ejus ac sapientiæ efficiuntur capaces, una cum Filio suo inhabitans, secundum quod dictum est: Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus, omnibus eorum vitiis passionibusque consumtis, sibi eas seque dignum efficit templum.* Ita & Homil. 2. in Cantic. Cantic. *Denique ob hoc Deus noster ignis dicitur esse consumens, & nihilominus lux in quo tenebræ non sunt, lux sine dubio justis, & ignis efficitur peccatoribus, ut consumat in eis omne, quod in anima eorum corruptibilitatis aut fragilitatis invenerit.*

[b] Confer quæ inferius ad hunc Evangelii locum in Homilia V. laudatum observamus.

[c] Puta Simonis, Valentini, Cerdonis, aliorumque id genus hæreticorum asseclas, qui duo principia, sive duos Deos statuebant: alterum malum, tametsi justum, mundi conditorem, Legis opificem: bonum alterum, Christi patrem, & Novi Testamenti auctorem. Adversus horum væsaniam cum alii Patres, ut sunt Tertullianus & Irenæus, tum præcipue Origenes passim velitatur, ut illi damnandæ ac confutandæ solertissimus audiat ab Auctore Dialogi *de recta in Deum fide.*

ſtant. Semper enim ſacramenta Dei propter parvulos auditores velaminibus quibuſdam operiuntur. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Legis & Prophetarum Deus abſcondit multitudinem bonitatis ſuæ non diligentibus, ſed timentibus ſe. Parvuli quippe ſunt, nec poſſunt cum emolumento ſuo diſcere quod amentur a Patre, ne diſſolvantur, ne deſpiciant bonitatem Dei. Quapropter cum audieris de populi captivitate, credere quidem vere accidiſſe eam juxta hiſtoriæ fidem, ſed in ſignum rei alterius præceſſiſſe, & ſubſequens ſignificaſſe myſterium. Nam & tu, qui vocaris fidelis, qui conſpicis pacem, Chriſtus quippe pax noſtra eſt, in Jeruſalem commoraris. Si autem peccaveris derelinquet te viſitatio Dei, & traderis captivus Nabuchodonoſor, & traditus duceris in Babylonem. Cum enim confuſa fuerit anima tua a vitiis, & perturbationibus, abduceris in Babylonem, quoniam Babylon, *confuſio* interpretatur. Etſi rurſum pœnitentiam egeris, & per converſionem veri cordis miſericordiam Dei impetraveris, mittitur tibi Eſdras, qui te reducat, & ædificare faciat Jeruſalem. Eſdras quippe interpretatur, *adjutor*, & mittitur tibi verbum juvans, ut revertaris in patriam tuam. Sacramentum eſt & id quod in ænigmate & a Daniele dicitur, & ab Apoſtolo abſcondente pariter & revelante narratur: *In Adam omnes morimur, & in Chriſto omnes vivificamur.* (1. Cor. 15.) Fuit quippe Adam in paradiſo, ſed ſerpens captivitatis ejus cauſſa exſtitit, & fecit, ut ejiceretur ſive de Jeruſalem ſive de Paradiſo, & veniret in locum hunc lacrymarum. Serpens hoſtis eſt contrarius veritati. Contrarius autem non a principio creatus eſt, neque ſtatim ſuper pectus, & ventrem ſuum ambulavit, neque fuit ab initio maledictus. Sicuti Adam & Eva non ſtatim ut facti ſunt, [a] non peccaverunt: ita & ſerpens fuit aliquando non ſerpens, cum in Paradiſo deliciarum moraretur. Unde poſtea corruens ob peccata meruit audire: (Ezech. 28.) *Tu ſignaculum ſimilitudinis, corona decoris in Paradiſo Dei natus es, donec inventa eſt iniquitas in te, ambulaſti immaculatus in omnibus* A *viis tuis.* De quo etiam Job memorat, quia in conſpectu omnipotentis Dei ſuperbierit: (Job. 11.) *Cecidit quippe de cælo Lucifer, qui mane oriebatur, contritus eſt ſuper terram.* Vide conſonantiam prophetici Evangelicique ſermonis. Prophetes dicit: (Iſai. 14.) *Cecidit de cælo Lucifer, qui mane oriebatur, contritus eſt ſuper terram.* Jeſus loquitur: (Luc. 10.) *Videbam Satanam, quaſi fulgur de cælo cadentem.* In quo differt dicere fulgur aut Luciferum B de cælo ruentem? Quod ad rem pertinet, omnis conſonantia de cadente eſt. Deus quippe mortem non fecit, nec malitiam operatus eſt. Liberum arbitrium & homini, & Angelo ad univerſa permiſit. (Liberum arbitrium.) Hic jam intelligendum eſt, quomodo per arbitrii libertatem, alii ad bonorum conſcenderint ſummitatem, alii corruerint in malitiæ profundum. Tu vero, homo, quare non vis arbitrio te tuo derelictum? C Quare ægre fers niti, laborare, contendere, & per bona opera te ipſum cauſſam [b] tuæ fieri ſalutis? An magis te delectabit dormientem, & in otio conſtitutum æterna proſperitate requieſcere? *Pater meus*, inquit Dominus (Joan. 15.) Jeſus Chriſtus, *uſquemodo operatur, & ego operor*; & tibi diſplicet operari qui ad opera natus es? Non vis opus tuum fieri juſtitiam, ſapientiam, caſtitatem? Non vis tuum opus eſſe D fortitudinem, aliaſque virtutes? Igitur in captivitatem ducuntur, qui propter peccata ſua ſervitutis meruere ſupplicia. *Et venit Jeſus Chriſtus prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum.* (Luc. 4.) Iſte clamat eis, qui ſunt in vinculis: Egredimini, & iis, qui verſantur in tenebris: Videte. Et nos fuimus in vinculis peccatorum, & nos aliquando verſabamur in tenebris, adverſum rectores tenebrarum mundi iſtius concertantes: E venit Jeſus omnium Prophetarum vocibus prædicatus, dicens ligatis: Exite: & conſtitutis in tenebris: Aſpicite. Si autem vis audire Ezechielem filium hominis in captivitate prædicantem, & iſte typus erat Chriſti: (Ezechiel typus Chriſti.) *Ideo factum eſt*, ait, *in trigeſimo anno in quarto menſe, in quinta menſis, & ego eram in medio captivitatis ſecus flumen Chobar, & aperti ſunt cæli.* Secus fluvium ergo Chobar Ezechiel cum triginta eſſet annorum apertos vidit cælos. *Et Dominus*

[a] Rectius hinc amoveas alteram negandi particulam, ut ſenſus conſtet.

[b] Præluſiſſe Origenem Pelagio, notum: ſuntque adeo caute cum hoc tum ejuſmodi alia ejus legenda dogmata.

Joan. 1. minus Jesus Christus *incipiens erat quasi triginta annorum secus fluvium Jordanem, & aperti sunt cæli*. Luc. 3. Et per omnem Prophetiam Ezechieli dicitur: *Fili hominis*. Quis autem [a] filius hominis, ut Dominus meus Jesus Christus. Respondeant mihi hæretici, [b] qui nativitatem illius ut phantasma eludunt, quare Christus filius hominis appellatur? Ego affirmo filium hominis eum fuisse. Nam qui passiones assumsit humanas, necesse est ut ante passionem susceperit nativitatem. Neque enim potuit humanos affectus, verba, consuetudines, crucem, mortem recipere, si non reciperet humanitatis exordium. Et consequens erat, nativitatem ejus auferentes, auferrent etiam passionem, & simpliciter dicere: Non est crucifixus Jesus. 1. Cor. 1. Nunc vero crucem confiteris, & non erubescis. Judæis scandalum prædicas crucifixum, & gentibus stultitiam, & minus scandalum passione vel morte, erubescis nativitatem ejus confiteri. Nimirum minus scandali est, Jesum natum fuisse, quam mortuum, aut si scandalum Christiana fides non veretur, cur times dicere minora, * qui majora ausus es confiteri? (* al. quia) Præsertim cum nativitas illius non ex semine viri, & mulieris somno convenienti esse credatur, sed juxta Prophetæ eloquium dicentis: Isai. 7. *Ecce Virgo in utero concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Hoc quod dicitur, *Emmanuel*, non unum nomen sonat, sed rem significat. Adveniente quippe Jesu, dicimus, *nobiscum Dominus*. Non frustra ergo in trigesimo anno prophetat Ezechiel. Nam & nomen ejus figura Christi est. Interpretatur quippe Ezechiel, *imperium Dei*: imperium autem Dei nullus est nisi Christus Jesus. Filius quoque Buzi scribitur, quod interpretatur, *contemtus*. Si venias ad hæreticos, & audias eos spernentes, & pro nihilo ducentes creatorem, & insuper etiam criminantes, videbis juxta illos contemtissimi Creatoris Filium Dominum nostrum Jesum Christum. Quod siquis reluctatur, & non vult hæc, quæ exposuimus, quasi prophetiam recipere, quæram ab eo cur scriptum est, in trigesimo anno vitæ Ezechielis apertos fuisse cælos, & vidisse eum eas visiones, quæ in libro ejus continentur. Quid mihi prodest annorum numerus, nisi hoc ut discam, trigesimo anno & Salvatori, & Prophetæ cælos fuisse reseratos, & spiritalibus spiritalia comparans, cognoscam universa, quæ scripta sunt, ejusdem esse Dei sermones? *Quippe verba sapientium ut stimuli, & quasi clavi in altum confixi quia compugentibus dati sunt a pastore uno*. Eccl. 12. Ego & hoc quod dicitur, *in quarto mense, quinta mensis*, juxta possibilitatem sensus mei investigans, precor a Deo, ut idipsum possim intelligere, quod Scripturarum ejus congruit voluntati. Novus annus imminet jam Judæis, & primus mensis apud eos a novi anni numeratur exordio. Agitur autem pascha de numero novi anni. *Principium mensium iste vobis erit in mensibus anni*. Exod. 12. Ab hoc anno numera mihi quartum mensem, & intellige baptizatum Jesum in quarto mense novi anni. Eo enim mense, qui apud Romanos Januarius nuncupatur, baptismum Domini factum esse cognoscimus, qui est mensis quartus ab anno novo juxta supputationem Hebræorum. Et quia de quattuor elementis mundi subsistens corpus assumserat, recipiens etiam sensus humanos, ideo forsitan & in quarto mense, & in

[a] Audi ipsum Origenem hujus appellationis, qua κατ᾽ἐξοχὴν Christus *Filius hominis* dicitur, caussam edisserentem in Commentar. in Matthæum cap. 22. ex Latina interpretatione: *Caussam reperire possumus, propter quam υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου (Filium hominis) vel, υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου (Filium hominis) se ipse sospitator frequenter appellat, quod quemadmodum hominum curam gerens Deus homo in parabolis dicitur, & quodammodo fortasse efficitur: ita & Servator, qui Filius Dei primo & præcipue est, Deus quoque est, & Filius amoris ipsius, & imago Dei invisibilis, sed in eo quod primo ipse præcipue est, non permanet; at juxta illius administrationem, qui homo, in parabolis dicitur, revera autem Deus est, Filius hominis efficitur, imitando Deum, quum homines regit, qui in parabolis appellatur homo, & aliquo modo efficitur. Nec sane homo aliquis quærendus est, ipsiusque filius dicendus est Servator, sed hac Dei natione stando, & parabolas quæ ipsum hominem esse sciscunt, sequendo, prudenter & caute intelligendus est, cum Filium hominis se ipse appellat.*

[b] Cum Docitarum hæresim tam sæpe Origenes infestetur elidatque validissimis argumentis, mirum plane est hoc ipsum illi objectum, quod ementitum Christi corpus, & specie tenus apparens, non verum crediderit. *Quarta*, inquit Pamphilus in Apologia, *criminatio, post istas est, quæ istis omnibus adversatur (cæca enim est malitia) quod dicunt eum dicere δοκήσει, idest, putative tantum, & per allegoriam, non etiam secundum ea, quæ juxta historiam referuntur, gesta esse omnia, quæ a Salvatore gesta sunt*. Neque enim decedit a vero alibi. Operæ pretium est suæ ipsum fidejussorem audire, tum aliis sexcentis locis, cum præcipue Homil. 14. in Lucam ex ejusdemmet Hieronymi interpretatione: *Jesus erat indutus vestibus sordidis. Quod quidem & adversus eos facit, qui negant Dominum nostrum, humanum habuisse corpus, sed cælestibus & spiritalibus fuisse contextum. Si enim de cælestibus, & ut illi falso asserunt, de sideribus, & alia quadam sublimiori spiritalique natura corpus ejus fuerit, respondeant quare potuerit spiritale corpus esse sordidum, aut quomodo hoc interpretentur, quod posuimus: Jesus erat indutus vestibus sordidis?* Paria habet & l. 2. *de Principiis* cap. 6. & lib. 5. in Epist. ad Rom. & lib. contra Celsum c. 2. quæ laudat Huetius, testimonia.

in quinto die mensis est intuitus visionem. *Et ego eram in medio captivitatis*. Videtur mihi ironicôs dictum: *Et ego eram in medio captivitatis*. Et ego, quasi si dicat juxta historiam quidem Propheta, & ego qui non tenebar in peccatis populi, eram in medio captivitatis: juxta allegoriam autem Christus, & ego veni in locum captivitatis, veni ad eos fines, ubi servi, ubi captivi detinebantur. Habes istiusmodi Salvatoris nostri voces in Prophetis, indignantis, quia non faciamus homines digna dispensatione ejus, & maxime nos, qui in eum putamur credere. *Psal. 29.* Dicit quippe ad patrem suum: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam*. Invenio quoque & aliam istiusmodi vocem, quæ ex Salvatoris nostri persona dicitur per Prophetam [quærentem animas plenas justitiæ, plenas sensuum divinorum, plenas sanctorum fructuum, & quærentem veritatis veros botros, sed invenientem plurimos peccatores, & inferaces bonorum, & idcirco dicentem: *Mich. 7.* *Heu mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemos in vindemia, ad quam non superfit botrus ad manducandum primitiva. Heu mihi*. Quod dicitur, *heu mihi*, non est primogeniti totius creaturæ, non est divinitatis vox, sed humanæ animæ, quam suscepit, unde infert: *Heu mihi, anima mea, quia periit revertens a terra: & qui corrigat inter homines non est*. Omnes in sanguine judicantur, unusquisque proximum suum tribulat. Hæc idcirco memorata sunt, quia ait Prophetes: *Et ego eram in medio captivitatis juxta flumen Chobar*: quod interpretatur, [a] *gravitudo*. Gravis autem est hujus sæculi fluvius, sicut & alibi sacrate dicitur. Et juxta simplices quoque historiam explicat: juxta eos vero, qui spiritaliter Scripturas audiunt, de anima significat, quæ in vitæ istius inciderit turbines. *Psal. 136.* *Super flumina Babylonis ibi sedimus, & flevimus, dum recordaremur Sion: in salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra, quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba canticorum*. Ista sunt flumina Babylonis, juxta quæ sedentes, & reminiscentes patriæ cælestis, lugent atque deplorant, ubi suspendunt organa sua, in salicibus Legis & mysteriorum Dei. Scriptum est in quodam libro, quia salignam omnes credentes accipiant coronam. Et in Isaia dicitur: *Isai. 44.* *Orietur quasi in medio aquæ fœnum, & salix super aquam fluentem*. Et in solennitate Dei, quando tabernacula ejus [componuntur, salignos ramos in tabernaculorum fixione constituunt. *Secus fluvium Chobar*. Secus flumen istud gravissimum sæculi. *Et aperti sunt cæli*. Clausi erant cæli, & ad adventum Christi aperti sunt, ut reseratis illis, veniret super eum Spiritus Sanctus in specie columbæ. *Ante [illegible]* Neque enim poterat ad nos commeare, nisi primum ad suæ naturæ consortem descendisset. *Eph. 4.* *Ascendit Jesus in altum, captivam duxit captivitatem, accepit dona in hominibus. Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. Et ipse dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios pastores & magistros in perfectionem sanctorum. Aperti sunt cæli*. Non sufficit unum cælum aperiri, aperiuntur plurimi, ut descendant non ab uno, sed ab [b] omnibus cælis Angeli ad eos, qui salvandi sunt. Angeli qui ascendebant & descendebant super filium hominis, & accesserunt ad eum, & ministrabant ei. Descenderunt autem Angeli, quia prior descenderat Christus, metuentes descendere priusquam Dominus virtutum omnium rerumque præciperet; quando autem viderunt principem militiæ cælestis in terrestribus locis commorari, tunc per apertam viam ingressi sunt sequentes Dominum suum, & parentes voluntati ejus. Qui distribuit eos custodes credentium nomini suo. Tu heri sub Dæmonio eras, *Matt. 18.* hodie sub Angelo. *Nolite*, inquit Dominus, *contemnere unum de minimis istis, qui sunt in Ecclesia. Amen enim dico vobis, quia Angeli eorum per omnia vident faciem Patris, qui est in cælis*. Obsequuntur saluti tuæ Angeli, concessi sunt ad mini-

a Vide quæ superius ad Hieronymi Commentarios adnotamus col. 5. not. a.

b In aliis libris est, *plurimis*. Videtur vero Origenes tum ibi, cum maxime subsequenti contextu, non quidem omnibus singulisque hominibus, sed sanctis tantummodo, qui Christi fidem profiterentur, custodem Angelum assignare. *Distribuit*, ait mox, *custodes credentium nomini suo. Tu heri sub Dæmonio eras, hodie sub Angelo*. Et locupletius paulo post. Confer quæ in hanc rem congessit Huetius Origenianorum lib. 2. Quæst. 5. num 18. Sed & illud animadvertendum, distinctionem hanc pluralis numeri a singulari Hebræam linguam minime pati.

ministerium filii Dei, & dicunt inter se. Si ille descendit, & descendit in corpus, si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eja omnes Angeli descendamus e cælo. Ideo & multitudo militiæ cælestis erat laudantium, & glorificantium Deum, quando natus est Christus. Omnia Angelis plena sunt: veni, Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, & suscipiens eum quasi medicus bonus, confove atque institue: parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens; & suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem. *Gaudium enim est majus in cælis super unum peccatorem pœnitentiam agentem, quam supra nonaginta novem justos, quibus non est opus pœnitentia. Exultat omnis creatura, collætatur, & applaudit his, qui salvandi sunt. Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat.* Et licet nolint ii, qui Scripturas Apostolicas interpolaverunt, istiusmodi sermones inesse libris eorum, quibus possit Creator Christus approbari, exspectat tamen omnis creatura filios Dei, quando liberentur a delicto, quando * auferantur de Zabuli manu, quando regenerentur a Christo. Verum jam tempus est, ut de præsenti loco aliqua tangamus. Vidit Propheta non visionem, sed visiones Dei. Quare non vidit unam, sed plurimas visiones? Audi Dominum pollicentem atque dicentem: *Ego visiones multiplicavi. Quinta mensis.* Hic annus quintus captivitatis regis Joachim: trigesimo anno ætatis Ezechielis, & quinto captivitatis Joachim, Propheta mittitur ad Judæos. Non despexit clementissimus pater, nec longo tempore incommonitum populum dereliquit. Quintus est annus. Quantum temporis intercessit? Quinque anni interfluxerunt ex quo captivi serviunt. Statim descendit Spiritus Sanctus, aperuit cælos, ut hi, qui captivitatis jugo premebantur, viderent ea, quæ videbantur a Propheta. Dicente quippe eo: *& aperti sunt cæli*, quodammodo & ipsi intuebantur oculis cordis, quæ ille etiam oculis carnis aspexerat: *Et factus est sermo Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem.* Sermo Domini, qui in principio erat apud Deum Patrem, Deus Verbum, sermo qui credentes efficit Deos. Si enim dixit illos Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, ad quosquunque sermo Dei factus est, facti sunt dii. Ezechiel quoque Deus fuit, quia factus est sermo Dei ad eum: *Ego dixi: Dii estis, & filii altissimi omnes. Vos vero ut homines moriemini, & quasi unus ex principibus cadetis.* Ubi habetis in Novo Testamento istiusmodi repromissionem? Si oportet instrumenta distinguere, & dicere inter se diffidentes Deos, quod quidem nefas est etiam suspicari, sed juxta abusionem dicimus, audacter profecto dicam, multo majorem in Veteri Testamento ostendi humanitatem, quam in Novo: *Ego dixi, Dii estis, & filii altissimi omnes.* Non ait, quidam dii estis, & quidam non estis: verum, omnes dii estis. Si autem peccaveritis, ausculta quid sequitur: *Vos vero ut homines moriemini.* Non est hæc culpa vocantis ad salutem, non ipse caussa mortis, qui invitat ad divinitatem, & ad cælestis naturæ adoptionem, sed in nostro peccato, & in nostro scelere consistit quod dicitur: *Vos autem ut homines moriemini, & quasi unus de principibus cadetis.* Multi principes erant & unus ex eis corruit, de quo & in Genesi scribitur: *Ecce Adam factus est*, non, quasi nos, sed, *quasi unus ex nobis.* Ergo quando peccavit Adam, tunc factus est quasi unus. *Et factus est sermo Domini ad Ezechielem filium Buzi.* Etiamsi de Salvatore hæc dicta volueris intelligere, ne timeas, habet & sic allegoria intellectum suum: venit sermo Domini ad eum, qui de Virgine nascebatur, id est, hominem, sermo semper in Patre manens, ut fierent utraque unum, & consociaretur homo, quem ob sacramentum & salutem universæ humanitatis indueret, divinitati ejus & naturæ unigeniti Dei. *Factus est sermo Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem in terra Chaldæorum.* Chaldæi de cælestibus disputant: Chaldæi nativitates hominum ratiocinantur. *In terra Chaldæorum*, quasi si dicat, eorum qui asserunt fatum, eorum qui caussas universitatis astrorum circuitu vendicant. Iste ergo nunc error, & ista

Apostrophe ad Angelum custodem. — Luc. 15. — Rom. 8. — * al. auferentur. — Osee 12. — Ps. 81. — Gen. 3. — Chaldæi qui.

ista mentis perversitas figuraliter in Chaldæorum terra significatur. *In terra Chaldæorum secus flumen Chobar. Et facta est illic super me manus Domini.* Et sermo Domini factus est ad Prophetam & manus, ut & factis ornaretur & verbis. *Et vidi visiones.* Aliqua perstringam, & licet pro angustia temporis ea, quæ dixi, possint sufficere, tamen etiam de toto corpore visionis summa quæque libabo. *Et vidi, & ecce spiritus surgens veniebat ab Aquilone.* Diligenter considera rerum numerum quæ dicuntur: *Spiritus surgens*, sive *auferens veniebat ab Aquilone*, ecce una res. *Et nubes magna erat in eo:* ecce duæ. *Et splendor in circuitu ejus:* ecce tres. *Et ignis refulgens:* ecce quattuor. *Et in medio ejus sicut visio electri in medio ignis:* ecce quinque. *Et lumen in eo:* ecce sex. *Post hæc similitudo quattuor animalium, & visio eorum, & narratio visionis:* ecce septem. *Et in medio animalium, quasi carbones ignis:* ecce octo. Quis potest ista minutatim exponere? Quis ita est capax spiritus Dei, ut hæc Sacramenta dilucidet? Oportebat accusatores Creatoris, & Dei Prophetarum primum intelligere quæ dicuntur a Prophetis, & postea criminari. Qui enim vere accusat, ea debet accusare, quæ novit. Si vero hæretici ne prope quidem sunt intellectui divino, quomodo rationabiliter accusant, quos eos nescire convincimus? Discant, quis in hac visione sit sensus. Primum apparet spiritus auferens. Secundo nubes magna in spiritu auferente. Tertio splendor in circuitu spiritus auferentis. Quarto ignis refulgens. Quinto in medio ejus sicut visio electri, haud dubium quin in medio ignis. Sexto splendor in eodem electro. Confiteor libenter a sapiente, & fideli viro dictam sententiam, quam sæpe suscipio. De Deo & vera dicere periculum est. Neque enim ea tantum periculosa sunt quæ falsa de eo dicuntur: sed etiam quæ vera sunt, & non opportune proferuntur, dicenti periculum generant. Margarita vera est, sed si perverse, discrimen ejus est, quod [a] dicit pedibus eorum. Et ut juxta nos aliquod ponamus exemplum collectiones istæ non solum in Ælia, non tantum Romæ, non in Alexandria, sed in omni semel orbe similitudinem referunt sagenæ, quæ ex omni genere piscium capit. Non possunt universa bona esse quæ incidunt in eam. Ait quippe Salvator: *Cum extraxerint, & secus littus sederint, eligent bona quidem in vasa sua, mala vero foras projicient.* Oportet ergo in sagena totius Ecclesiæ esse & bona & mala. Si jam universa munda sunt, quid derelinquimus judicio Dei? Et juxta aliam parabolam, & frumentum & paleæ in area continentur, cum frumentum tantum in Christi horrea congregandum sit, & discernantur paleæ ab eo, cujus ventilabrum in manu ejus, & mundabit aream suam, & congregabit frumentum in horreum, paleas vero consumet in igne inextinguibili. Neque enim assero aream totum esse mundum, sed aream intelligo esse cœtum populi Christiani. Quomodo unaquæque area circumscribitur, & est plena frumento, vel paleis, nec totum frumentum est, nec totum rursum palea: sic in Ecclesiis terrestribus alius est frumentum, alius est palea. Verum ubi non sua caussa, nec per voluntatem paleæ sunt (neque enim ex proprio arbitrio frumentum est) hic vero in tua potestate positum est ut sis palea, vel frumentum. Hæc nos docere debent, ut si aliquando aliquis in congregationibus nostris viderit peccatorem, non scandalizetur, neque dicat: Ecce peccator in cætu sancto est. Si hoc licet, si hoc conceditur, quare & ego non peccem? Dum in præsenti sæculo sumus, id est in area & in sagena, & boni & mali in ea continentur. Quando autem venerit Christus fiet discretio, & implebitur illud quod ab Apostolo dicitur: *Omnes nos oportet assistere ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui, quæ gessit, sive bona sive mala.* Hæc in procemio de interpretationibus visionum æstuans animus est loquutus, & ambigens quæ sileat, quæ proferat, quæ leviter tacta dimittat, quæ ex iis manifestius, quæ obscurius exponenda sint, si tamen poterimus implere quod cupimus. Primum ergo videtur spiritus auferens: id quod paulo ante diximus, quia Dominus noster ignis consumens sit, etiam nunc repetimus, & dicimus huic testimonio congrue-

Octo circumstantiæ visionis Ezechielis.

De Deo etiam vera dicere periculosum.

Ælia Jerosolyma.

Ecclesia capit bonos & malos.

Luc. 3.

Liberum arbitrium.

2. Cor. 5.

[a] Sic & Genebrardi & Basileensis vetustior editio habent. Nec dubito tamen, corruptum locum esse, aut mutilum; sed quando veteres libri suppetias non ferunt, ex ingenio refigere non libet.

gruere. Quomodo ponitur ſpiritus auferens? *Deus ſpiritus eſt*, & ſpiritus auferens cernitur. Quid a me aufert, & ab anima mea, ut merito auferens prædicetur? Utique mala: & tunc ſentio bonitatem ejus, ſi a me peſſima quæque ſuſtulerit. Neque vero putandum eſt finem eſſe beatitudinis, ſi a malis liberemur, initium felicitatis eſt carere peccato; & in Jeremia ſcribitur (omnia quippe quæ in Prophetis ſcripta ſunt clementiſſimo Deo vendico) *Ecce dedi ſermones meos in os tuum, ecce conſtitui te ſuper gentes & regna eradicare, & ſuffodere, & diſperdere, & ædificare, & plantare*. Benignus eſt Deus, dans ſermones ad eradicandum. Verum quid eſt quod eradicari debeat, & ſubverti? Siqua plantatio in animo mala eſt: ſiqua ſecta nequam, hanc eradicat, hanc ſubvertit ſermo propheticus. Utinam autem contingat ut mihi talis ſermo donetur, qui eradicet hæreticorum ſemina, & doctrinam ex Zabuli fonte manantem, qui de ejus anima, qui nunc primum Eccleſiam ingreditur, idololatriæ auferat plantationem. *Dedi ſermones meos in os tuum. Ecce conſtitui te eradicare, & ſuffodere*: ſcilicet ut ſi qua ædificatio peſſima eſt, deſtruatur. Quam vellem & ego ſuffodere, quidquid Marcion in auribus deceptorum ædificavit, eradicare, & ſubvertere, & diſperdere, ut Jacob diſperdidit idola. Uſque ad hodiernum diem eſt diſperdere & ædificare. Hæretici diſperdere & ſubvertere tantum audierunt, in ædificationis autem plantationiſque ſermone ſurdas aures averterunt. Neque enim volunt inſpicere, quia triſtia quæquæ prima dicuntur, & ſecunda quæ læta ſunt. Quare nunc iſta memoramus? Videlicet ut manifeſtetur Dei ſermo ſubvertere mala, & ædificare optima, eradicare vitia, quaſi agricola bonus, ut in purgato campo uberrima virtutum meſſis oriatur. Hæc propter ſpiritum auferentem. Vidit enim primum ſpiritum auferentem, deinde nebulam magnam in eo. Quando purgatus fueris ab auferente ſpiritu, tantum ut auferatur omne malum a te, & omne quod in tua anima nequitiæ verſatur, tunc incipies etiam magna nebula frui, quæ in ſpiritu auferente conſiſtit. Quæ nebula proxima eſt ei nebulæ, quam in Evangelio legimus, de qua venit vox: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui*. Spiritus vero auferens, deinde nebula magna in eo, poſtea ſplendidiſſimum lumen in circuitu ejus. Ablatum eſt a te malum. Data eſt tibi nebula magna, ut pluat imbrem ſuper vineam tuam. Secundum illud, quod alibi dicitur: *Mandabo nubibus, ne pluant ſuper eam imbrem*, ſuper peſſimam videlicet vineam. Si autem hoc de mala jubetur, haud dubium eſt quin econtrario ſi bona vinea fueris, pluat ſuper te nebula. *Et ſplendor in circuitu ejus*. Deinde: *Ignis fulgens, & in medio ejus quaſi viſio electri*. Dupliciter aufert a nobis mala Deus, ſpiritu & igni. Si boni & intenti ad præcepta Dei ſimus, & ſermonibus illius erudiamur, ſpiritu mala noſtra aufert, ſecundum illud, quod ſcriptum eſt: *Si autem ſpiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis. Si vero ſpiritus mala non abſtulerit a nobis, purgatione ignis indigemus*. Idcirco diligenter obſerva conjunctiones ſingulas. Prima conjunctio eſt ſpiritus & nebulæ, ſecunda ignis & luminis, tertia electri & ſplendoris, ac ſingula, quæ quaſi triſtia videntur, jucundiorum vicinitate penſantur. Sive enim ſpiritus oritur, ſtatim ſequitur nebula: ſive ignis apparet, adjunctum eſt ei lumen: ſive electrum præcedit, ſplendor in circuitu ejus eſt. Oportet quippe nos quaſi aurum in fornace, & electrum vehementiſſimo igne conflari. Et in hoc Propheta, quem nunc exponimus, habes ſedentem Dominum in medio Jeruſalem, & conflantem eos, qui mixti ſunt argento & ſtanno, & æramento, & plumbo, querula voce cauſſantem de his, qui habent in ſe commixtionem materiæ vilioris. *Argentum*, inquit, *commixtum facti eſtis, & tanquam granum de uva reprobum argentum facti eſtis*. Quando enim creaturæ Dei, quæ ab initio bona eſt, ſuperinducimus de malis noſtris vitia ac paſſiones: tunc argento & auro æs ſtannum plumbumque miſcemus, & neceſſarius eſt ignis ad purgandum. Ideoque ſollicite providendum eſt, ut quum venerimus ad ignem iſtum, ſecuri tranſeamus per eum, adinſtar auri argentique, & lapidis pretioſi, quæ ſine foco adultera ſunt, vel qui ſine foco adulteri ſunt: non tam uramur incendio, quam probemur. *Ecce ſpiritus auferens veniebat ab Aquilone*. Et hoc quod ab Aquilone veniebat ſpiritus auferens, & poſtea redit, habet ratio-

Joan. 4. Jer. 1. Matt. 3. Iſai. 5. Rom. 8. Ezech. 22.

rationem. Ab Aquilone quippe exardescunt mala super habitantes terram. Aquilo violentissimus ventus, quem alio nomine Dextrum vocamus, qui in quattuor cardinibus cæli, de quibus venti spirare dicuntur, frigidior est atque vehementior. Nec non & illud quod de ordine castrorum apud Israel in Numeris scribitur, hujus rei obtinet figuram. (Num. 2.) Novissima enim castra ad Aquilonem ponuntur Dan; prima castra Juda ad Orientem, deinde pone eum Ruben, postea secundum mare Effrem, in extremo, ut diximus, ad Aquilonem Dan. Et olla, quæ succensa describitur, a facie Aquilonis accenditur. Aquilo quippe figuraliter dicitur contraria fortitudo, id est, Zabulus, qui est vere durissimus ventus. *Venit* enim *ab Aquilone spiritus auferens, & nubes magna in eo*: vitia ab eo esse exposuimus. *Et splendor in circuitu ejus, & ignis fulgens*. Potuit dicere, ignis exurens, verum piguit (a) Scripturam tristitiam nominare, & opus ejus ascribere, ideoque pro pœnali vi splendorem tantum apposuit. *Et in medio ejus, quasi similitudo quattuor animalium. Ista visio eorum. Similitudo hominis in illis. Et quattuor facies uni, & quattuor pennæ uni, & crura eorum recta, & pennati pedes eorum*. Vides qualia sint quæ regantur a Deo, ut ibi: (b) *Qui sedes super Cherubim appare*. Cherubim interpretatur, *plenitudo scientiæ*, & quiquumque scientia plenus est, efficitur Cherubim, quem regit Deus. Quid sibi autem volunt quattuor facies? Quæ salvanda sunt genuflectunt Domino Jesu, & ab Apostolo tripliciter nominantur, *ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium terrestrium & infernorum*. (Phil. 2.) Quæ autem genuflectunt Domino Jesu, subjecta sunt ei. Et quæ subjecta sunt dicunt: *Nonne Deo subjecta est anima mea? Apud ipsum enim salutare meum*. (Ps. 61.) Et: *Oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus*. (1. Cor. 15.) Quid est ergo quartum? Cælestia, terrestria, & inferna tria tantum sunt. Nempe illud: *Laudate Dominum, cæli cælorum, & aqua, quæ super cælos est, laudet nomen Domini*. (Psal. 148.) Omnia ista reguntur a Deo, & ducuntur a majestate ejus. *Quoquunque spiritus ibat, ibant & animalia*. Hæc ipsa animalia habent similitudinem super se hominis, cum sint quattuor facierum. Nec dictum est in principio, quia facierum quattuor sint, sed quia inter quattuor facies eminet, & principatum tenet facies humana, describitur, & quæ dicitur facies humana, & facies leonis a dextris quattuor partium, & facies vituli a sinistris quattuor, & facies aquilæ a quattuor partibus. (Tripartita anima.) Videamus ergo an tripartitam animam significet, de qua etiam aliorum opinionibus disputandum est, ut animæ tripartitæ alia quarta fortitudo præsideat. Quæ est tripartitio animæ? Per hominem rationale ejus indicatur, per leonem iracundia, per vitulum concupiscentia. Spiritus vero qui præsidet ad auxiliandum, non est a dextris, ut homo, vel leo: non est a sinistris, ut vitulus; sed super omnes tres facies consistit. Aquila quippe in alio loco nuncupatur, ut per aquilam, spiritum præsidentem animæ significet. Spiritum autem hominis dico, qui in eo est. Atque ita omnia ducuntur nutu Dei, cælestia terrestria & inferna, & ea quæ super cælos sunt: & efficimur nos omnes Cherubim, quæ sub pedibus Dei sunt, quibus conjunctæ sunt rotæ, & subsequimur ea. Non sub rota, neque sub sæculi ditione rebusque versamur, cum jam per passionem Christi sumus a mundi negotiis liberati. *Et rota in medio rotæ*. Si consideres quomodo per contrarios eventus solvatur universitas rerum, sive in his, qui putantur errare, sive in his, qui ab errore dicuntur alieni, videbis quomodo rota in medio rotæ sit. Hæc autem regit omnia, & quoquunque vult torquet totius universitatis Deus in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

HOMI-

HOMILIA SECUNDA

De eo quod dicitur: *Fili hominis, propheta super Prophetas Israel, qui prophetant de corde suo*, usque: *Extendam manum meam ad Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacia.* Cap. XIII.

NUllam speciem peccatorum Scriptura reticet, de qua non doceat legentes. Oportuit enim verbum Dei missum ad sanandos eos, qui audiebant, omnem spiritum peccatorum perstringere, & universis hominibus loqui, ut nemo fraudaretur remediis salutaribus, & his medelis, quæ vulneribus possint prodesse curandis. Quomodo ergo dicuntur alia de populo, alia de sacerdotibus magnis, & quædam de presbyteris, ac nonnulla de dispensatoribus, & quidem bonis dispensatoribus laus, malis vero culpa ascribitur: ut alii exhortationem accipiant ad meliora, alii vero ut in pejora non corruant: sic oportet de falsis ac veris Prophetis divinam edoceri disciplinam, ut Prophetæ quidem accipiantur in eam demum partem, qui verbis Dei ministrant: per Pseudoprophetas vero designentur Ecclesiarum magistri, qui non recte, seu sermone, seu vita congruunt ei, quam prædicant, disciplinæ. Læti quapropter simus, si nos Scriptura commoneat, docens ut recedamus a vitiis, magis autem si ordinis nostri aliquos Dei sermo perstringat, volentes sanari, & converti a peccatis nostris. *Factus est sermo Domini ad Prophetam Ezechielem dicens ei, Fili hominis, propheta mihi super Prophetas Israel.* Fuerunt quidem & Prophetæ Israel nomine potius quam veritate. Sunt autem & hodie in vero Israel, idest, Ecclesia, quidam Pseudoprophetæ, & falsi magistri, quibus hic sermo prænuntiat. Si me arguat Dei sermo, tentabo converti, nec quia adversum me aliqua dicuntur, qui videor Doctor esse Ecclesiæ, debeo tacere: verum mihimetipsi non parcens, cuncta revelabo, quæ dicta sunt, ut convertar a vitiis, ut fiam non ex his, quos Scriptura nunc corripit, sed ex his, qui sermonem Dei verissime prædicantes, in Ecclesia exstiterunt magistri. *Propheta super Prophetas Israel, qui prophetant, & dices Prophetis.* Quomodo

A (1) opus Prophetarum erat hæc spiritu prædicere quæ videbantur: sic eodem spiritu opus est ei, qui exponere cupit ea, quæ sunt latenter significata, ut monstret, (2) non ad eum fieri prophetiam, qui contra Dei docet voluntatem, qui prophetat de corde suo. Juxta simplicem quidem intellectum, quidam Prophetarum de divino spiritu loquentes, non de corde suo loquuti sunt; sed de sensu Dei: quidam vero simulantes se B Prophetas, atque dicentes: *Hæc dicit Dominus*, Domino non loquente in eis, Pseudoprophetæ exstiterunt. Potest autem & super eos, qui docent in Ecclesiis, si aliter quam poscit veritas, docent, præsens sermo congruere. Si quis enim ea, quæ Jesus Christus Dominus loquutus est, (3) ipsa æque doceat, non de corde suo, sed de Spiritu Sancto loquitur sermones Filii Dei Jesu. Si consentit Sanctus Spiritus voluntati ejus, qui in C Apostolis loquutus est, non de corde proprio loquitur, sed de corde Spiritus Sancti, qui est loquutus in Paulo, qui est loquutus in Petro, & in cæteris Apostolis est loquutus. Si quis vero legens Evangelium, proprium sensum aptat Evangelio, non ita intelligens, ut Dominus loquutus est, iste falsus Propheta est, loquens de corde proprio in Evangelio. Et de hæreticis quidem nihil absurdum est hæc dicta intelligere. Differunt quippe quasi in Evangeliis, & quasi D de Apostolis, αἰώνων suorum fabulas proprio corde exponentes, non in corde Spiritus Sancti. Neque enim possunt dicere: *Nos autem sensum Christi habeamus, ut videamus ea, quæ a Deo donata sunt nobis.* Quum autem & super me venerit, qui dicor Ecclesiasticus, qui accipio librum sanctum, & nitor eum interpretari, hoc quod de hæreticis intelligi potest, quæso audientes, ut diligenter attendant, & accipiant gratiam spiritus de qua dictum est: *Discretio spirituum*, ut probati trapezitæ facti, diligenter

Contra Valentinianos.

1. Cor. 12.

(1) Legisse videtur Rabanus *quomodo opus Prophetarum erat hac dicere, qua jubebantur, sic eodem spiritu &c.*

(2) Idem contrario ferme sensu, *ut monstret, nunc ad eos fieri prophetiam, qui contra Dei voluntatem prophetant de corde suo.*

(3) Denuo idem, *qua Jesus Christus Dominus loquutus est, ipse qui docuit non de corde suo, sed de Spiritu Sancto.*

genter observent quando falsus sim magister, quando vero prædicem quæ sunt pietatis ac veritatis. Si itaque invenio in Moyse, & in Prophetis sensum Christi, non de corde proprio, sed de Spiritu Sancto loquor. Si autem nihil congruum inveniens, mihimetipsi confingor quæ loquar, fluctuans in sermonibus, qui sunt alieni a Deo, de meo potius corde, quam de Dei sensibus loquor: *Propheta, & dices Prophetis, qui prophetant de corde suo.* Non ait simpliciter de corde; sed *de corde suo. Et prophetabis, & dices ad eos: Audite verbum Domini.* Hæc ad me, hæc ad eum dicuntur, qui doctorem se esse promittit, ut timor Dei major oriatur in nobis, ne periclitemur quasi sub commentario scripto non ab hominibus, sed ab Angelis Dei, sic proferre sermonem. Novi quippe quia cum in judicio illo ordo consederit, de quo prophetavit Daniel:

Dan. 7. & libri fuerint aperti, omnes mei conatus, omnes meæ expositiones proferentur in medium, sive in justificationem, sive in condemnationem meam. In justificationem quidem mihi erunt, quæ benedicta sunt: in condemnationem vero, ea quæ secus quam veritas poscit

Matth. 12. explanata. *Ex sermonibus*, inquit, *tuis justificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis:* quasi habenti non omnes sermones, de quibus justificaretur, neque rursum omnes sermones, de quibus condemnaretur. Si aliquis a sermonibus purus est alienis, & eis qui possint reprehendi, ex sermonibus suis justificabitur, & non condemnabitur. Si autem nunquam recte loquutus est, sed semper protulit prava, ex sermonibus suis condemnabitur, & non justificabitur. Verum quia nos, qui non sumus ex omni parte perfecti, neque sic dicimus, ut semper justificemur, neque sic econtrario sumus peccatores, ut semper condemnemur, & habemus alia verba ex quibus justificemur, & alia ex quibus condemnemur: Deus super stateram suam utraque ponens, expendit diligenter, & judicat in quibus justus sim, & in quibus sermonibus condemnandus. Quod autem in sermonibus facit, hoc idem facit & in gestis. Necesse est enim, ut sint alia facta in quibus justificemur, & alia in quibus condemnemur. Neque enim sic perfectus sum, ut omnia facta habeam, in quibus justus existam: neque sic peccator, ut talia cuncta fecerim, quæ me omni ex parte condemnent. Esse autem & alia facta istiusmodi, & alia istiusmodi, ex hoc manifestum est quod dicitur: *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium: quorumdam autem & subsequuntur.* Rom. 2. Similiter autem & bona facta manifesta sunt, & quæ aliter habentur, latere non possunt. Æque de intellectibus. Propter quod & inter se invicem cogitationum accusantium, sive satisfacientium judicium me exspectat de omnibus, quæ facio, quæ intelligo, quæ loquor, & incertus opperior, quidnam mihi in illo judicio futurum sit. Quantoque magis timor Dei mihi incutitur ad recipienda cuncta quæ feci, tanto magis custodire me debeo: utinam quidem ab omnibus peccatis, sin autem hoc non possum, saltem queam a maximis. Hæc de eo, quod proposuimus de Prophetis, qui prophetant de corde suo, ad quos dicitur: *Audite sermonem Domini, hæc dicit Adonai Dominus, væ iis, qui prophetant de corde suo, qui ambulant post spiritum suum.* Duo peccata sunt, unum cordis, aliud spiritus. Primum de meliori parte videamus, ut possimus etiam ea, quæ contraria sunt, considerare. Apostolus loquitur: *Orabo spiritu, orabo & sensu.* Qui sensus in corde habet habitaculum: *Psallam spiritu, psallam sensu.* Igitur & spiritus est & sensus in nobis. Et quomodo Sanctus orat spiritu, orat & sensu: psallit spiritu, psallit & sensu: sic iste qui est falsus Prophetes de corde proprio prophetat, & ambulat non post spiritum Dei, sed post spiritum suum. Est quippe quidam spiritus hominis, qui versatur in eo, post quem procul absit ut ego ambulem; sed intelligens Sanctum Spiritum Dei post Dominum Jesum meum ambulem. Itaque Prophetæ, qui prophetant de corde, & ambulant post spiritum non tam Dei, quam suum, omnino, quod Græce dicitur ...... non vident, & est ambigua ex sermone sententia. Sive enim ea, quæ sunt generalia..... idest, generalia non vident, licet quadam ex parte conspiciant, sive (quod ego melius reor) omnino non vident, licet sibi ex parte quadam videantur videre. Alii quippe in nobis oculi sunt meliores his, quos habemus in corpore. Qui oculi aut Jesum Dominum vident, qui eos ad se intuendum creavit, aut certe cæci sunt. Si peccator sum, nihil video, nec possum veritatis lumen aspicere. *In judicium quippe*, ait, *in* Joan. 9.

Duo genera peccatorum.

1. Cor. 14.

in mundum istum veni, ut non videntes A
videant, & videntes cæci fiant. Si au-
tem justus, accipio gratiam a Deo, &
de me quoque dicitur *videns*. Prophetæ
enim vocabantur ante videntes. Et:
Qui vides, ait, *vade, descende in terram*
Juda, & ibi commorare, & ibi propheta-
Amos. 7. *bis. In Bethel autem, jam non adjicies*
ut prophetes. Et rursum alibi: *Visio quam*
Isai. 1. *vidit Isaias filius Amos*. Beatus cui re-
velabit Dominus oculos ad videnda mi-
rabilia de Lege Dei, juxta obsecratio- B
nem Prophetæ dicentis: *Revela oculos*
Ps. 118. *meos, & considerabo mirabilia de Lege*
tua. Videamus autem & alium sermo-
nem, per quem Pseudoprophetæ, &
falsi magistri corripiuntur, a quo quæ-
so ut, orantibus vobis, ego purus inve-
* f. ista niar. Quæ est ergo * igitur correptio?
Sicut vulpes in deserto, Prophetæ tui,
Israel. Animal vulpes nequam est, ver-
sutum, indomabile est, ferum est. *Di-*
Ezech. 13. Luc. 13. *cite*, ait Salvator, *vulpi isti: Ecce sana-* C
tiones perficio hodie, & cras, & tertia
die consumor. Has vulpes necessarias ha-
buit adversum alienigenas Samson, quarum
(1) caudis cum (1) igne vinctis (trecentas
enim ceperat) in perditionem eas fru-
gum misit hostilium. Istiusmodi sunt
falsi magistri, versuti, maligni, & be-
stiis similes. Si talis sum, vulpes sum,
sed non simpliciter vulpes, verum vul-
pes in desertis, vulpes in parietinis,
vulpes in rupibus, hæc enim in diver- D
(2) sis (2) sensibus continentur. Versipelles
isti & nequam semper in desertis, sem-
per in solitudinibus morantur. Ubiquum-
que enim anima habitatur a Deo, &
Spiritu Sancto plena est, ibi non po-
test hæreticorum doctrina penetrare,
nec valet eorum sermo perrumpere.
Ubi autem solitudo Christi, ubi deser-
tum justitiæ, ibi nequissimæ disciplinæ
Philip. 39. venena versantur. Idcirco: *Sicut vul-*
pes, ait, *in desertis Prophetæ tui, Israel*.
Non steterunt in firmamento. Si conside- E
(3) rare volueris (3) magistros, videbis
eos infirmos, instabiles, & non valentes
Ps. 73. dicere: *Statuit supra petram pedes meos,*
& direxit gressus meos: & quia non sunt
tales ut steterint, robusta radice fundati:
ideo non steterunt in firmamento, sed
dilexerunt movere pedes suos. Est au-
tem & hoc grande peccatum saltem pau-

lulum pedes movere, ut David Psalmi-
sta canit: *Quam bonus Israel Deus rectis*
corde: mei vero pene moti sunt pedes.
Beatus ille multumque felix, cui robu-
stissime consistenti firmos animæ pedes
habere concessum est, qui audire a Deo
dignus est: *Tu vero sta mecum*. Verum
non tales Pseudoprophetæ, non tales fal-
si magistri; neque enim sic steterunt in
firmamento. *Et congregabant greges filio-*
rum Israel, quos docent, quos instituunt
sive hæretici dogma impium prædican-
tes, sive falsi magistri decipientes eos,
quorum aures pruriunt, colligunt greges
schismatum adversum Ecclesiam Dei,
adversum domum Israel. *Non surrexe-* Rom. 6.
runt qui dicerent, In die Domini: falsa
videntes hi non surrexerunt. Isti vero
surgentes dicunt: *Consepulti sumus Chri-*
sto per baptisma, & consurreximus ei.
Habemus quippe ut pignus Spiritus San-
cti, quem accipiemus ad plenum post-
quam venerit quod perfectum est: sic
pignus resurrectionis, quia in resurre-
ctione perfecta nemo adhuc resurrexit de
nobis. Verumtamen resurreximus, Pau-
lo dicente: *Consepulti sumus Christo per*
baptisma, & consurreximus ei. Nondum
ergo resurrexerunt, hoc est, necdum re-
surrectionis baptisma consequuti sunt fal-
si Prophetæ, & falsi magistri, qui dice-
rent, (4) *In die Domini*, videntes quæ (4)
falsa sunt, neque aliquando possunt con-
spicere veritatem. Accipe exemplum.
Qui Scripturam legit, & aliter quam
scripta est accipit, Scripturam mendaci-
ter videt. Qui vero audit Scripturam,
ut (5) se veritatis intellectus habet, & (5)
sic eam interpretatur, videt veritatem.
Et sancti quidem non divinant. Non
enim divinatio in Jacob. Peccatores ve-
ro divinant falsa, dicentes: *Hæc dicit*
Dominus: & Dominus non misit eos.
Audi hæreticos, quomodo traditionem
Apostolorum habere se dicant. Audi
falsos magistros, quomodo affirmant do-
ctrinam suam Domini esse doctrinam,
sensum (6) suum congruere Propheta- (6)
rum, & dicunt: *Hæc dicit Dominus, &* Num. 23.
Dominus non misit eos. Et cœperunt susci-
tare sermonem. Non visionem falsam vi-
distis. Et hi enim volunt in defensio-
nem sui quendam pro se suscitare ser-
monem; sed arguit eos Dominus, &

Mmm di-

(1) Legit Rabanus *fune* pro *igne*. Vid. Jud. XV. 4. & seq.

(2) Idem *in diversis seditionibus continentur versipelles. Versipelles isti &c.*

(3) Interseri malim *falsos* cum Rabano, *si considerare volueris falsos magistros*: de illis enim proprie sermo contexitur.

(4) Penes Rabanum, *quæ dicunt a Domino videntes, falsa sunt, neque* &c.

(5) Apud eundem, *& sicut veritatis intellectus habet, sic eam interpretatur*.

(6) Supplenda vox *sensui*, quemadmodum & Rabanus habet, *sensum suum sensui congruere Prophetarum*.

dicit: *Non visionem falsam vidistis, & divinationes vanas loquuti estis, & dixistis, dicit Dominus, & ego non sum loquutus? Propterea dic: Hæc dicit Dominus pro eo quod sermones vestri mendaces sunt*. Orate pro nobis, ut sermones nostri non sint falsi. Licet quidam homines ignorantia judicii eos asserant falsos, Dominus non dicat, & recte nobiscum agetur. Si vero mille hominum eos dixerint veros, judicio porro Dei fuerint falsi, quid mihi proderit? Dicunt & Marcionitæ magistri sui veros esse sermones, dicunt & Valentini robustissimam sectam, qui fabularum ejus commenta suscipiunt. Quæ utilitas? Quia plurimi Ecclesiæ hæretica pravitate decepti in eorum conspiravere sententiam, hoc est quod quæritur, ut Dominus sermonum meorum testis assistat, ut ipse comprobet quæ dicuntur sanctarum testimonio Scripturarum. Propter hæc ergo ad nos dicit Adonai Dominus: *Extendam manum meam ad Prophetas, qui vident mendacia*. Hæ comminationes sunt adversum falsos magistros, & eos, qui loquuntur mendacia. Videamus autem quid de his comminetur: *In disci-* A *plina populi mei non erunt*. Non uno modo a Domino peccatores corripiuntur. Aliter arguitur populus Domini, aliter alienus ab eo: *Fili, ne neglexeris disciplinam Domini, neque fatigeris, dum argueris ab eo. Quem enim diligit Dominus castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit*. (Prov. 3.) Argue nos, Domine, verum in judicio, & non in furore: ista correptio populi est. Correptio peccatoris & alieni illa est, quam justus renuit B dicens: *Domine, ne in ira tua arguas me neque in furore tuo corripias me*. (Psal. 6.) De falsis itaque magistris, & de Pseudoprophetis dicitur: *In disciplina populi mei non erunt, neque in scriptura Domus Israel scribentur*. Sicut & alibi: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur*. Et nunc Scriptura ait: *In domum Israel non scribentur, & in terram Israel non intrabunt*. Extra repromissionis terram hæretici morabuntur, quæ C est terra valde bona, & in quam, ut introducamur, oramus, in libro viventium ante conscripti a Jesu Christo, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum Amen.

HOMILIA TERTIA.

De eo quod scriptum est: *Fili hominis, obfirma faciem tuam super filias populi tui, quæ prophetant de corde suo*, usque: *Obfirma faciem meam super hominem illum, & ponam illum desertum*. Cap. XIII.

PRimum de eo, quod dicitur: *Obfirma faciem tuam*, requirendum. Deinde si Dominus dederit, investigare debemus filias populi prophetantes de corde suo, & facientes ea, in quibus eas Dei sermo corripiat. Et quod sit alia facies præter hanc corporis nostri faciem, licet ex multis manifestum sit, attamen & ex his, quæ Apostolus memorat, indicatur: (2 Cor. 3.) *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu*. Hanc faciem corporalem omnes homines habemus revelatam, nisi forte calamitatibus & angustiis premimur. Vultus autem ille, de quo sermo Apostoli est, in multis tectus est, & in paucis revelatus. Qui enim fiduciam habet in vita immaculata, in sensu sano, in fide vera, iste tantummodo non habet confessionis, fraudulentiæ, peccatique velamen; sed propter puram conscien- D tiam, revelata facie gloriam Domini contemplatur. Procul autem absit a nobis, ut velatam habeamus hanc faciem. Hæc pauca de facie, ut possimus intelligere quid sit, quod sequitur: *Obfirma faciem tuam super filias populi tui*. Ista facies, id est, * principale cordis nostri, nisi obfirmata fuerit super eo, quod intelligendum est, ut quomodo videt, sic annuntiet gentibus, illud quod aspicitur, non videtur. Impossi- E bile quippe est, ut aliquis sine obfirmatione vultus, vagus, fluctuabundus, circumlatus omni vento doctrinæ, videat quod debet, videat ut debet. Oportet enim volentem intelligere habere faciem, in eo quod intelligere nititur, obfirmatam: ob hanc semper caussam propheturis primum jubetur, ut faciem suam obfirment; ut nostram autem & nos possimus obfirmare faciem in Evangelio in Lege in Prophetis in Apostolis, obfirma eam super Chri-

(* ἡγεμονικόν.)

Christo, & non super sæculi negotiis. Sed cum in mundialibus curis anima nostra versetur, cum semper ardeat habendi fame, non obfirmamus faciem nostram super ea, quæ imperavit Deus, sed super ea, quæ Dei sunt adversa præceptis. Quis putas in nobis immundus est ob obfirmationem faciei super his, quæ interdicta sunt? Quis intantum sollicitus & cautus, ut diebus ac noctibus in ea obfirmet cordis sui faciem, quæ jubentur? Nunc quoque si intellecturi fuimus præsentem scripturam quomodo Prophetæ dicatur: *Obfirma faciem tuam super filias populi tui*, ut videat ea quæ dicturus est, debemus obfirmare intelligentiam, plenum in intentatione cordis habere tractatum, quod sit hoc, quod significetur, ut tandem ratione superati, recedamus a litera. Ac secundum communem quidem intellectum, videntur quædam filiæ populi prophetantes hoc quod sequitur admisisse peccatum. Assumentes cervicalia consuebant, consuentes non ponebant ea sub capite, sed sub cubito audientium, & velaminibus quibusdam tegebant capita universæ ætatis. Hæc sunt, quæ prophetantibus filiabus populi reputantur quasi magna peccata. Quis autem potest in verbo consistens dicere, quia siquis cervicalia consuat, & consuta sub cubito ponat alterius, delinquat, & a Deo corripiatur? Quis potest asserere, quia siquis velamina faciat ad tegendum caput universæ ætatis, impie agat? Invitis nobis ab ipsa Scripturæ necessitas imponitur, ut ab apicibus literæ recedentes, verbum, & sapientiam, & voluntatem ejus requiramus ad aperienda peccata, quæ clausa sunt, ad illuminanda quæ caligant, ut possimus a maledicto extranei fieri, *omni cubito manuum*, sive *manus*. Qui in victu corporis occupati sunt, & ne per somnium quidem spirituales videre delicias, quas nos habere vult sermo divinus dicens: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, qui non noverunt voluntatem beatorum, de qua scribitur: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*: requirunt quasi amatores luxuriæ, & non amatores Dei, semper in corporalibus esse deliciis. Signum autem mihi videtur voluptatis carneæ, sub cubito manuum cervical assutum. Quia enim in tempore discumbendi ad beneficia corporalia videmur uti consutis quibusdam, & acu pictis sub

A litera interdum discedendum necessario.

A cubito manuum nostrarum, forsitan sermo divinus per istiusmodi figuram & argumentum eos culpat magistros, qui per vaniloquentiam, & beatas quasque repromissiones multitudinem audientium libidini, vitiis, voluptatique permittunt. Debet enim Dei verbum, & Deus homo ea proferre, quæ saluti sunt audienti, quæ illum hortentur ad continentiam, ad conversationem sanorum actuum, ad cuncta, quæ homo B studiosus laborum, & non libidinum debet incumbere, ut possit ea consequi, quæ a Deo sunt repromissa. Cum ergo aliquis aptus moribus populi ut placeat eis, quibus aures pruriunt, loquitur quæ gratanter accipiant, loquitur quæ vicina sunt voluptati, talis magister consuit cervicalia sub omni cubito manus. Sequitur hoc peccatum habentem, ut faciat etiam amictus ad velandum caput omnis ætatis. Cujus C autem rei figura sit etiam velamen, cautius consideremus. Qui fiduciam habet, & vere vir est, velamen non habet super caput suum, sed intecto capite orat Dominum, intecto capite prophetat: per signum corporalis rei etiam spiritalem latenter ostendens, ut quomodo non habet velamen super caput carnis suæ, ita non habeat velamen super principale cordis sui. Si quis vero confusionis velamen gerit, & pec- D cati, iste quasi muliebria velamina habet super caput suum. Itaque cum aliquis docuerit ea, quæ aurem populi mulceant, & strepitum potius laudatorum, quam gemitum moveant, si blandus inimicus palpaverit potius quam secuerit vulnera, talis homo amictus contexit in capite. Cum autem in luxuriosam orationem dicentis se sermo fuderit, & in lascivum persultaverit eloquium, contexit velamen su- E per caput omnis ætatis, non modo puerorum & juvenum, verum & senum. Quomodo enim faciat signa & portenta ad decipiendos (si fieri potest) etiam electos falsus Christus, & falsus Propheta: similiter & hi, qui ad voluptatem meditata deportant, & ista semper inquirunt, quæ delectent potius audientes, quam convertant a vitiis, faciunt velamina super caput non modo puerorum & juvenum, sed (si fieri potest) senum quoque & patrum, intantum ut etiam eos decipiant, qui juxta laborem animæ in spiritali ætate, & senio processerunt. Et

potuit quidem dicere Propheta super A filios populi tui, qui prophetant, sed quasi homines, qui velamina contexant, & cervicalia consuant sub omni cubito manus, mulieres sint, & nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait Propheta: *In filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & ea faciunt, quæ sequuntur*. Effeminatæ quippe sunt eorum magistrorum & animæ, & voluntates, qui semper sonantia, semper canora componunt, & (ut quod B verum est dicam) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum est in his, qui juxta gratiam & voluntatem audientium prædicant: idcirco omnes filias potius, quam filios dixit assuentes cervicalia. Et observa proprietatem verbi, *assuentes*, ait, non contexentes. An ignoras quod tunica Domini tui Jesu nihil in se habeat consutile, sed ex omni parte contexta sit? Istæ ergo consuunt dicta dictis fraudulenter & cal- C lide, assuentes potius quam contexentes: & faciunt cervicalia, non in quibus capita reclinent, sed in quibus cubitum: id est, ut manus eorum non sint in labore, non in opere lassescant, sed sint in requie, sint in otio, sint in his gestis, quæ voluptatibus serviunt. Hæc autem quæ diximus, ita se habere ut a nobis intellecta sunt, sequens sermo Prophetæ lucidius ostendit, dicens: *Hæc dicit Adonai Dominus*: *Ecce ego ad* D *cervicalia vestra, in quibus vos convertitis illic animas in dissolutionem*. Aperuit ænigma quod latebat, perspicue ostendens consuta cervicalia in dissolutionem animarum fieri. Quis autem potest super sermonem qui legitur, audiens Deum comminantem, quia ipse disrumpat talem subtelam, & talia cervicalia? Ait enim: Ecce ego, non jubeo, sed ipse disrumpo cervicalia consuta sub omni cubito manus. Dei opus est, omnem E arguere texturam & dissolvere universam fictionem pessimam, quæ nocet his, qui nolunt manibus operari, sed otiosus eis uti. *Et disrumpam ea a brachiis vestris*, id est, cervicalia, ne ulterius ea cubitis vestris subjecta habeatis. Et emittam animas, quas vos subvertitis, animas eorum. Quæ ergo subversio est consuere cervicalia, & subjicere cubitis? Sed ut sermonis sacramentum intelligas, videbis grandem subversionem esse, delicatum hominem juxta corpus efficere. Talia autem sunt verba hæreticorum, ubi non est conversatio rigida. Invenies discipulos Valentini moribus dissolutos ad nihil forte, ad nihil virile tendentes, similiter & sectatores Basilidis. Docent insuper & negare inverecunde, quasi præcepto [a], quod de eorum martyrio est. Non id docent quod ostendunt Ecclesiastici, parati tollere crucem, & sequi Salvatorem. Disrumpit ergo, qui hæc comminatur sermo Filius Dei, consutiones nequissimas. Præsta mihi, Christe, ut disrumpam cervicalia in animarum consuta luxuriam. Sed quid aliud sequitur? *Et velamina disrumpam*. Quæ se disrupturum esse testatur? non solum cervicalia, verum & velamina. Ideo autem disrupturum, ut caput nudum fiat, ut accepta fiducia, & revelata non solum facie, sed etiam capite, constanter vir Ecclesiasticus possit orare. *Disrumpam velamina vestra, & liberabo populum meum de manu vestra*. Licet vos subvertatis animas per cervicalia, & velamina, ego ista disrumpens liberabo populum meum. Liberat autem populum Deus per conversationem austeram, & a voluptatibus recedentem. *Et ultra non erunt in manibus vestris in subversionem*: in manibus vestris, qui decipitis audientes, jam non erunt ista cervicalia. *Et cognoscetis quia ego Dominus*. Si non conscissa fuerint cervicalia, si non velamina disrumpo, non cognoscetis quia ego Dominus. Deliciæ quippe & otium, & resolutio non sinunt cognosci eum, qui dicit: Ego sum Dominus. *Pro eo quo evertisti cor justi inique*. Quomodo in loco signorum dictum est, quia decipiant etiam electos Dei: sic evenit sæpe ut justos quoque hæretici supplantent. Amant enim homines voluptatem: quia statim ut apparuerit, tranquilla est, & la-

Hæreticorum conversatio dissoluta.

[a] Hæc nempe erat nefaria Basilidis doctrina, licere persequutionis tempore idola venerari, dum id specie tenus, non ex animo facias. Hoc ipse Origenes expressius notat in fragmento cujusdam Homiliæ in Psal. 82. ex Latina Henrici Valesii interpretatione. *Docet*, inquit, *præterea, indifferentem rem esse, Christum abnegare, & eum qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia*. Confer S. quoque Epiphanium Hæres. 19. cap. 1. & qui ejusmodi infidelitatem a Priscilianistis postmodum adoptatam confutat S. Augustinus lib. de Hæresibus, damnatque exemplo S. Petri, qui tametsi Christum ore tenus, non vero ex animo negaverit, gravioris tamen peccati reus fuit, quod amaris lacrymis lavit.

laſciva, & delectans ſenſum, & provocans nos ad uſum ſui. Fugimus amara, licet ſalutaria ſint, & nolumus laborare voluptatibus deliniti, neſcientes quia impoſſibile eſt, eumdem amatorem eſſe Dei. Propter quod Apoſtolus ait de peſſimis, quia ſint amatores voluptatis magis, quam amatores Dei. *Et ego non avertebam ad confortandas manus iniquorum. Ego non avertebam, ſed omnia quæ erant ædificationis diſpenſabam.* Iſtæ vero propheteſſæ effeminatæ animæ avertebant ad confortandas manus iniqui, hoc eſt, ut fortior manus iniquitate fieret, ne omnino averteretur de via ſua mala, & vivificaretur, id eſt, nullus penitus converteretur a via ſua peſſima, & vivificaretur. *Propterea falſa non videbitis, qui docetis falſa.* Jam vos non faciam ultra conatu proſpero pergere, ut poſſitis inſinuare quæ dicitis: & divinationes non divinabitis amplius: *Et liberabo populum meum de manu veſtra.* Oremus, ut & nos liberet Deus de manu talium magiſtrorum, qui ubiquumque fuerint, ad voluptates audientium loquentes, ſcindunt, ac dividunt Eccleſiam, quia plures ſunt magis amatores voluptatum, quam amatores Dei. *Et ſcietis, quia ego Dominus.* Si convertero divinationes veſtras, ſi fecero ſilere mendacia, tunc ſcietis quia ego Dominus. Hæc prior prophetia: ſequitur & alia, quæ ita contexitur: *Et venerunt ad me viri ſeniorum Iſrael, & ſederunt ante faciem meam.* Omnia Dei ſermo perſtringit, & nullam ſpeciem ordinum, qui in Eccleſia conſtituti ſunt, dimittit intactam; verum univerſa percurrens, omnes ſanare deſiderat, veluti nunc quædam ad Preſbyteros loquitur. Ea enim quæ præceſſerunt dicta ſunt de Magiſtris. Idcirco conſideremus & de Preſbyteris quid dicatur, excutientes noſmetipſos, nequis noſtrum Preſbyter talis ſit, qualis infra exponitur. *Et venerunt ad me viri ſeniorum Iſrael, & ſederunt ante faciem meam. Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Fili hominis.* Videamus accuſationem, ut ſcire poſſimus, utrumne eam in nobis deprehendamus. An non viri iſti poſuerunt cogitationes ſuas in cordibus ſuis, & pœnam iniquitatum ſuarum poſuerunt ante faciem ſuam? Numquid reſpondens reſpondebo eis: *Beati qui mundo ſunt corde.* Qui enim mundum habent cor, cogitationes ſuas non ponunt in cordibus ſuis, ſed magis habent in ſermone Dei. Qui autem laborant in ſæcularibus curis, & nihil aliud requirunt niſi quomodo præſentem tranſigant vitam, hi cogitationes ſuas ponunt in cordibus ſuis, ut puta ſi videris hominem nihil aliud cogitantem niſi mundi negotia, lucra corporalia, & ciborum abundantiam: ex his quæ indiguerit, in quibus ſollicitus eſt, in quibus ſuſpirat, futuram tantum alimoniam cum dolore conquirens, pœnam cogitationum ſuarum poſuit in corde ſuo. Arguens igitur quoſdam Preſbyteros iſtiuſmodi ait ad Prophetam ſermo divinus: *Viri iſti*, id eſt, ſupradicti Preſbyteri, *poſuerunt cogitationes ſuas in cordibus ſuis, & pœnam iniquitatum ſuarum poſuerunt ante faciem ſuam.* Nemo veſtrum exiſtimet cruciatus nobis ab alio, quam a nobis irrogari. Deus non facit pœnas, ſed ea quæ patimur ipſi nobis præparamus. Itaque teſtimonio, quo frequenter uſi ſumus, etiam nunc opportune utamur. Ambulate in lumine ignis veſtri, & in flamma quam accendiſtis. Non eſt ignis alterius niſi veſter, qui ligna, qui ſtipulam, qui materiam futuro incendio coacervaſtis. Dicit ergo de Preſbyteris, procul autem abſit a nobis. *Viri iſti poſuerunt cogitationes ſuas in cordibus ſuis, & pœnam iniquitatum ſuarum poſuerunt ante faciem ſuam. Sed reſpondens reſpondebo eis: Numquidnam dignum eſt iſtis me reſpondere, qui venerunt ad te Prophetam volentes diſcere ſermones meos? Propter hoc loquere ad eos, & dic eis: Hæc dicit Adonai Dominus. Homo, homo ex domo Iſrael.* Omnes [a] homines nati ſumus homines, ſed non omnes homines homines ſumus, ſicut

[a] Adponenda heic ſunt quæ totidem fere verbis commentatur Hieron. in Ezechielis cap. 14. quæque ex hoc Origenis loco deſcripta apparent. *Multi*, inquit, *habentes hominis faciem corporalem, diverſarum beſtiarum aſſumunt imagines, quas diſſipari Propheta cupiens, deprecatur*: Domine, in civitate tua imaginem eorum diſſipabis. *Illi, de quibus ſcriptum eſt*: Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, *non ſunt homines, ſed homines jumenta. Rurſum qui in Evangelio audiunt*, Serpentes genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? *non ſunt homines homines, ſed homines ſerpentes. Et de quibus ſcriptum eſt*: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; *ac de Herode*: Dicite vulpi huic; *non ſunt homines homines, ſed homines vulpes.*

sicut sæpissime notavi, id quod in Levitico scriptum est: *Homo, homo filiorum Israel, aut advenarum, qui appositi sunt in nobis.* Estote homines, homines scilicet, quia non omnes homines homines sunt. Ostendamus de Scripturis quomodo quidam homines non sint homines.

Qui non homines.

Homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, assimilatus est eis. Iste non est homo homo, sed homo jumentum.

Psal. 49.

Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Talis non est homo homo, sed serpens homo.

Matth. 3.

Equi in feminas insanientes facti sunt, unusquisque super uxorem proximi sui hinniebat. Et iste non est homo homo, sed homo equus. Absit igitur a nobis, ut tales simus, qui mereamur audire, non esse nos homines homines; sed aliud quid præter homines. Si enim boni & mansueti sumus, duplicamus hominis nomen: ut sit in nobis non simpliciter homo, sed homo homo. Considera an invenire valeamus, quid sit illud quod nomen hominis duplicet. Quando iste homo, qui est exterior, homo fuerit, eo qui est interior homo, serpente existente, non est in nobis homo homo, sed tantum homo. Quando vero interior homo juxta imaginem perseveraverit conditoris, tunc nascitur homo, & fit istiusmodi secundum exteriorem, & interiorem hominem, bis homo homo. Porro si quis in hoc vocatus, ut fiat homo homo, posuerit cogitationes suas in corde suo, & pœnam suam ante faciem suam, & venerit ad Prophetam: *Ego, inquit Dominus, respondebo ei in his quibus detinetur mens ejus.* Docet nos sermo præsens, quomodo poterat singulis respondere, nec importuna admovere medicamina, sed pro qualitate morborum congrua quæque proferre. Animadverte quod dicimus. Ad medicum decem vadunt decem habentes species infirmitatum. Non omnes eodem modo curat, sed alium isto, & alium illo: ut puta sanat emplastro, alii aliud tribuit medicamentum, nonnullis quod cauterium nuncupatur imponit, alium amara, alium dulci temperat potione, cujusdam vero vulnera crassiore unguine delinit. Sic & sermo Dei pro qualitatibus hominum loquitur, nec passim sapientiæ suæ ingerit sacramenta. Ait itaque: *Ego respondebo ei in his, quibus detinetur mens ejus.* Ut ista videlicet curet, in quibus

A mens ejus detinetur, ut non faciat declinare domum Israel. Quiquumque se ipsum exemplum non præbet bonæ vitæ, sed perversus incedit, iste per suam pravitatem, dum ad hæc quæ non debet, inclinatur, facit quodammodo etiam Dei populum declinare secundum corda eorum, quæ abalienata sunt a me. Et qui hoc facit, secundum alienatum cor a Deo, in cogitationibus suis facit. Propter quod

B respondetur eis, in iis, in quibus detinetur cor eorum, & dicitur: *Dic ad domum Israel: Hæc dicit Adonai Dominus, Convertimini, & avertite vos a studiis vestris.* Quia pollicitus est loquuturum se eis ea, in quibus detinetur cor eorum: ideo nunc quasi peccatoribus loquitur dicens: *Convertimini, & avertite vos a studiis vestris, & avertite facies vestras.* Nonne tibi videtur hoc facere? Facies vestræ obfirmatæ sunt,

C super ea, quæ non debent, convertite eas, & obfirmate in hæc, quæ vestro sunt emolumento. Propter quod homo homo de domo Israel, & de proselytis qui adveniunt in Israel, quiquunque abalienatus fuerit. Potest fieri & hominem hominem, sive creatum hominem hominem: seu perfectum sui hominem hominem effectum abalienari contingit: siquidem & justus secundum eundem Ezechielem convertitur

D aliquando a justitiis suis, & peccat. Si ergo istiusmodi homo posuerit cogitationes suas in corde suo, & pœnam iniquitatis suæ ante faciem suam, & venerit ad Prophetam, ut interroget eum in me: *Ego*, inquit Dominus, *respondebo ei in ipso, in quo detinetur: & obfirmabo faciem meam in hominem illum.* Considera quomodo in principio spoponderit clementer se responsurum, ac deinde quomodo si rursus venerit, necdum curatus, prioribus verbis, ob-

E firmabo, dixit, faciem meam super hominem illum, & ponam illum in desertum. Si enim non obedierit sermonibus commonitionis, sed in delicto perseveraverit, ponam eum in desertum, & in exterminium, & tollam eum de medio populi mei. Ne auferas nos Deus omnipotens de medio populi tui, verum conserva nos in populo tuo. Juste autem projicitur, qui digna facit abjectione, ut auferatur a populo Dei, & eradicetur ab eo, & tradatur Satanæ. Et in præsenti quidem potest quis egrediens de populo Dei, rursum per pœni-

pœnitentiam reverti, si vero eradicatus fuerit illo ex populo, de quo in quadam parabola dicitur venisse & recubuisse, & introisse quendam, qui non habebat vestimentum nuptiale dicente ad eum patrefamilias: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* (Matth. 22.) atque ita præcipiente ministris, ut vincientes eum manibus, & pedibus A mitterent in tenebras exteriores, difficillime in locum pristinum revertetur. Sed nos non eradicabimur, verum & in præsenti, & in futuro sæculo in Domino nostro Jesu Christo plantabimur, & in eo fructus uberrimos afferemus, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA QUARTA

De eo, quod scriptum est: *Terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendens manum meam super eam*, usque ad id, quod dicitur: *Et si fuerint tres viri in medio ejus, Noe, Daniel, & Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Cap. XIV.

SErmo Domini, qui factus est ad Prophetam, de peccatrice terra loquitur, quomodo propter delicta sua variis sit excruciata suppliciis, fame, bestiis malis, gladio, morte, morte autem repentina, quæ aut ex corrupti aeris vitio sit creata, aut ex quoquumque acciderit eventu, & dicitur. *Quod si etiam quattuor ultiones meas misero in terram peccatricem, fuerint autem isti tres viri Noe, Daniel, & Job in terra peccatrice, ipsi soli salvi erunt.* In C comminatione prima, in qua pœnam famis a pœnis cæteris aperuit, filiorum, & filiarum nomina tacuit. In eo vero sermone, in quo bestias malas minatus est terræ, ait: *Si filii & filiæ eorum salvi fient, sed ipsi soli salvabuntur. Terra autem*, & cum paululum reticuisset, adjecit: *Et erit in introitu.* Rursum in comminatione gladii: *Non liberabunt*, ait, *filios, aut filias.* Et in morte similiter est loquutus: *Non derelinquentur filii aut filiæ eorum, sed ipsi soli Noe, & Daniel, & Job liberabunt animas suas.* Ingens igitur nobis cura expositionis incumbit, & ob id diligenter debemus attendere, & obsecramus auditores, ut quasi ad aliquod grande spectaculum confluentes faciem mentis intendant, ne obscuritas, relaxatis sensibus, elabatur. Non dixit in præsenti, si peccaverint civitatis aut loci alicujus accolæ, sed si terra peccaverit. E Et scio, quia simplicior quisque cum audierit, si terra peccaverit, statim ad proclivem feratur intelligentiam, ut terram dicat nominatam pro his, qui morantur in terra: verum sequentia Scripturæ istam statim eximent expo-

B sitionem. Cum enim peccaverit terra, & in sua peccata corruerit, extenditur manus non super habitantes terram, sed super ipsam terram: prima correptione conteritur, ut videlicet ab ea firmamentum panis, auferatur, quasi pœna sit terræ si fames in ae obtineat, ut fruges semini denegentur. Nam quomodo homo peccator sine prole, & sterilis inter maledictos punitur, juxta id quod in quodam loco scriptum est (ex contrariis enim contraria intelliguntur) & de justo dicitur, non erit sine prole, neque sterilis in vobis, & peccatores sine liberis, & posteritate sui æterna infertilitate damnantur, ut (Gen. 20.) in domo Abimelech factum est, & earum quarum clausit Deus vulvam propter peccatum, quod in Isaac commissum est: sic & terra quodammodo sine prole & sterilis relinquitur, fame missa in eam. Putas verum est hoc, quod D asserere sermo præludit non de habitatoribus terræ, sed de ipsa terra dicitur? Possum paulisper ad altiora conscendens Scripturarum testimoniis approbare quomodo peccator terra dicatur. Dicitur enim ad Adam. *Terra es, & in terram ibis.* (Gen. 3.) Possumus dicere, quia & nunc delinquens terra peccator sit. Sed econtrario latissimam Scripturæ silvam recensens, coarctor ad suspicandum, quia animalis sit terra ista quam cernimus. Si enim hoc, quod scriptum est: *Qui aspicit super terra, & facit eam tremere*, (Ps. 103.) juxta id quod scriptum est v lumus accipere, intelligimus ad aspectum Dei terræmotus concitari: non quos Judæi suspicantur. Nam illi asserunt tremorem terræ commotio-

motionem ejus esse, quod longe a veritate diversum est. Et nos quippe solliciti & trementes propter peccata nostra in terra sumus, nec tamen tremor noster corpus concutit ad tremendum: sicuti & in alio loco dicitur: *Super quem respiciam*, ait Dominus, *nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* (Isai. ult.) Ex quo manifestum est mansuete & humiliter Deo servientem ad sermones ejus mente potius tremere, quam corpore. Et hæc quidem in medio dicta sunt satisfactione ejus testimonii, quod intulimus: *Qui aspicit terram, & facit eam tremere*. Accipe autem alia dicta de terra: *Offenditur terra ab his, qui insident in ea*. Quomodo offenditur terra, & quando aversatur ab his, qui in se commorantur? Quando fuerint peccatores. Accipe aliud exemplum: *Complacebit sibi terra in sabbathis suis*. Econtrario enim quædam terræ sabbatha nuncupantur, in quibus sibi complaceat & lætetur. Necdum dico: *Attende cælum & loquar, & audiat terra verba oris mei*. (Isai. 1.) Neque aliud: *Audi, cælum, & auribus percipe, terra*. (Jerem. 22.) Sed nec Jeremiæ prophetiam: *Terra, terra, audi verbum Domini, scribe virum istum abdicatum*. Multa nos latent propter paupertatem memoriæ, propter ingenii tarditatem. Multa sunt quæ condidit Deus rationabilia, & sunt capacia, non solum principatus & potestates, & rectores tenebrarum istarum, verum etiam & in meliore parte thronos, dominationes, & cætera, quæ in nostro intellectu Apostolus reliquit dicens: *Et super omne nomen, quod nominatur non solum in sæculo isto, verum & in futuro*. (Ephes. 1.) Aer quoque animalibus plenus est, secundum ejusdem Apostoli testimonium prædicantis: *In quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis & aeris spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ*. Est ergo terra, & universa animalia, & per partes animalium varietates. Quando enim offenditur terra, & rursum complacet sibi in sabbathis suis non omnis offenditur, non omnis exultat. Quodammodo enim erudita est cum habitatoribus suis, & didicit sabbatha sive in umbra, sive in veritate juxta naturæ suæ agere qualitatem. Unde sacratiore quadam intelligentia sabbathismus exercetur post septem annos terræ sanctæ, donec complaceat Deo in ea habitare. Si vero peccatores in ea fuerint, jam non ultra per septimanas annorum, sed per septuaginta terra sabbathum gerit. Habemus sermonem de septuaginta annis tam apud Jeremiam, quam apud Danielem sanctis litteris consignatum, & futurum est ut in die judicii non solum homo, sed etiam [a] universa conditio judicetur. (Jerem. 25. Dan. 9.) *Omnis quippe creatura congemiscit, & condolet*. (Rom. 8.) Si omnis creatura congemiscit & condolet, est autem creaturarum pars terra, & cælum, & cætera quæque, quæ sub cælo sunt, & quæ super cælos, & liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; quis scit & de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est, si rationabilis est, si indiget auditione sermonis prophetici dicentis: *Attende, cælum, & loquar, & audiat terra verba oris mei*. Et: *Audi, cælum, & auribus percipe, terra:* cur non dicamus, ut inter homines est homo audiens & faciens verba, quæ jussus est facere, & alius est qui audit, & non implet, quod præcipitur, sicut & Angelus prævaricator? *Angelos enim non custodientes principatum suum, sed deserentes proprium habitaculum suum in judicio magnæ diei vinculis sempiternis sub tenebris servabit*. (Judæ 1.) Quando ergo Angeli [b] prævaricantur, (Caute lege. b) & alii sunt, qui Dei præcepta custodiunt, & judicium præstolantur non solum hominum, verum etiam Dei, ut

[a] Nempe sideribus ipsis atque elementis Origenes bene vel male agendi potestatem adfinxerat. Vid. Huetium Origenianor. lib. 2. quæst. 10.

[b] Solennis hic error est Adamantii, Angelos vel nobis gubernandis delegatos, vel Ecclesiarum regimini adhibitos, pro hominum sibi commendatorum bene gestis mercedem, aut pro peccatis damnationem, & culpam recepturos. Errori ansam dedisse apparet prave intellectus locus in Apocalypsi, ubi Asianarum Ecclesiarum Angeli, qui non alii quam Episcopi sunt iisdem Ecclesiis præfecti, laudibus, aut reprehensionibus pro meritis excipiuntur. Sicut & ille 1. Cor. 6. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus*: & ex Petri altera 2. 4. *Angelis peccantibus non pepercit*, atque his similes in Scripturis alii. Excusare autem illum nititur S. Thomas p. 1. qu. 113. art. 7. & Genebrardus in Collectaneis, quasi id sibi voluerit, Angelos duci in judicium pro peccatis hominum, *non quasi reos, sed quasi testes, ad convincendum homines de eorum ignavia*. At vero Angelis omnibus, ut Huetius notat, primam gratiam morte sua promeruisse Christum, & iis qui in integritate perseverarunt, beneficium illud sanguine suo impetrasse, per Ecclesiam credere licet. Quod quidem Cyrillus lib. 9. de Adorat. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum cap. 35. aliique Patres videntur censuisse. Vide eumdem Huetium Origenianor. lib. secundo quæst. 5. num. 14. & 21. & seqq.

ut frequenter diximus tam de his, A quæ in Apocalypsi conscripta sunt, quam & ex aliis innumerabilibus, quare, inquam, non terræ & aeris judicium sit futurum? Si autem non putas huic disputationi consentiendum, per quam asserimus omnem creaturam judicandam, audi & aliud testimonium de terra. Interrogat Deus Cain, qui occiderit Abel fratrem suum: & post multos sermones quos in Genesi legimus, ad extremum de terra dicit B *Maledicta terra, quæ aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui de manu tua*. Ego nec illud prætereo: *Maledicta terra in operibus tuis*: & econtrario si quando benedicitur. Legimus & maledictam, & benedictam Dei vocibus terram. Vides ergo, quia merito dicitur: *Congemiscit omnis creatura*. Et ut ad præcedens revertar exemplum, offenditur terra in insidentibus sibi. Puto quia terra nos ut mater C sustinens, & lætetur super bonis filiis, & doleat super peccatoribus. Ita quippe patri filius insipiens dolor est, & ei matri, quæ genuit eum. Et non solum huic patri & matri, de quorum semine orimur, sed & illi matri, quæ vere mater nostra est. Accepitque Deus humum de terra, & plasmavit hominem. Igitur terra mater nostra est: lætatur quando filium justum sustinet. Lætabatur terra ferens Abraam, Isaac, D & Jacob. Lætabatur terra in adventu Domini nostri Jesu Christi, dignam se cernens filii Dei sustentatu. Quid necesse est dicere de Apostolis, & Prophetis cum de Domini adventu scriptum sit: *Omnis terra clamat cum lætitia?* Confitentur & miserabiles Judæi hæc de Christi præsentia prædicari, sed stulte ignorant personam cui videant impleta quæ dicta sunt. Quando enim terra Britanniæ ante adventum Christi unius Dei consensit religionem? Quando terra Maurorum, quando totus semel orbis? Nunc vero propter Ecclesias, quæ mundi limites tenent, universa terra cum lætitia clamat ad Dominum Israel, & capax est bonorum secundum fines suos. *Statuitque fines gentium juxta numerum filiorum Israel, & facta est pax Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Israel*. Capax est, inquam, ut animal juxta partium qualitates, & bonorum actuum, & malorum in quibus

Gen. 4.

Britannia & Mauritania tempore Origenis Christianæ.

Deut. 32.

aut laudem mereatur, aut pœnam. Cum igitur dicitur: *Terra, quæ peccaverit mihi, ut delinquat delictum*, mysterium quoddam significatur. Aliter quippe de habitatoribus, aliter de ea dicitur, quæ inhabitatur: *Cælum & terra pertransibunt*. Cur cælum prætergreditur, cur terra pertransit, nisi quia transitus sui quædam digna fecerunt? Et alio loco; *Corrupta est*, ait, *omnis terra*. Quando corrupta est? ante Diluvium, non quod per inundationem Diluvii sit corrupta. Ait ergo: *Terra quæ peccaverit mihi, ut delinquat delictum, extendam manum meam, & conteram ejus firmamentum panis*. Extendens Deus manum suam super peccatricem terram, famem immittit in eam. Possum & aliter interpretari, quia terra aliquando delinquat. Terra quippe est anima nostra, ut in parabola Evangelii significatur. Anima petra, anima terra bona & fertilis per multam patientiam. Ista igitur terra sæpe peccat, sæpe non peccat. Et siquidem peccaverit, extendit manum super eam, & conterit omne firmamentum panis ejus. Ne conteras, Omnipotens Deus, firmamentum panis ab ista terra nostra, quin potius largire nobis semen tuum, ut faciat in nobis fructum centuplum. *Et emittam in eam famem, & tollam de ea hominem & pecus*. Quomodo possum tam reconditas res in publicum proferre? unde mihi ut exponere valeam, cur fames, cur fertilitas, cur abundantia, cur egestas terræ accidant? *O profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*. Utrum propter homines & animarum malitiam immittatur fames? an propter Angelos, quibus sunt commissa terrena, si peccaverint accidant ea, quæ videmus accidere? Si autem sunt qui- E dam cælestis dispensationis ministri, qui fructibus præsunt, forte & propter illos infertilitas terræ eveniet. *Plurima* enim *operum ejus in absconsis sunt. Non possumus magnitudinem sapientiæ effari. Arenam maris, & pluviæ stillas, & dies sæculi quis dinumerabit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum sapientiæ quis investigabit?* Varie ergo mittitur fames super peccatricem terram. *Et auferam*, inquit, *ex ea hominem & pecus*. Aliud est terra, aliud homo. Non habitatores terræ, ut quidam putant, nunc pro ter-

Matt. 24. Gen. 6.

Matt. 13.

Eccl. 1.

ra [a] nominat. Si enim habitatores terræ per terram accipi velit, superfluum fuerat dicere: *Auferam ex ea hominem & pecus*. Gaudet enim terra quando plena est accolis: mœret quum id quod dicitur, acciderit: *Auferam ab ea hominem & pecus*. De quibus si Dominus, vobis orantibus, ministraverit sensum (si tamen sensus Domini capaces fuerimus effecti) volumus pauca differere. Quomodo pœna matris est in exilium destinatæ privari filiis, aut certe filios suos ad aliam videre provinciam destinari: sic quodammodo mater nostra terra flagellatur pro peccatis suis a Deo, quando aufertur ab ea homo & pecus: lætatur quando homines habet, magis autem quando habet homines optimos, & in Dei studiis viventes, sicut supra exposuimus. Dicitur ergo, *quando terra peccaverit*, quasi dicatur, si quando peccaverit mater, auferam de domo ejus filium: sic & nunc auferam de ea hominem. Lætatur quippe terra non super bestiis, & feris rabidis, sed super pecudibus, quia placida & mansueta animalia diligit. Et auferam de ea hominem & pecus. *Et si fuerint isti tres viri, de medio ejus*. Quomodo potest in terra peccatrice trium istorum pariter numerus commorari? Quomodo tam diversis temporibus, viventium potest inter se vita conjungi? In præsenti legimus in peccatrice terra eos pariter consistere, id est, Noe, qui in Diluvio fuit, & Danielem, qui in captivitate Babylonis commoratus est, & Job, qui temporibus Patriarcharum, & Moysi vixisse perhibetur. Hoc enim tempus invenimus vitæ Job. Quid ergo possumus dicere? Meminisse debemus, (ut sæpe jam diximus) quia ut homo hominem generat, & Israel generat Israel. Israel quippe cum esset Jacob, generavit Israel populum. Et invenimus in Scripturis, Israel nomen tam in uno homine quam in universo populo dici. Sic non solum Israel Israel, verum & Ruben generat Ruben, & Simeon generat Simeonem, & Levi Levi, & Judas Judam, & reliqui omnes, qui in tribu Juda sunt ab illius stirpe venientes Judas nuncupantur: & replicatæ sunt Scripturæ in tribu Juda nominibus Juda. Ea quæ in

Job quo tempore.

A benedictionibus Jacob, per Moysen de Ruben & Simeon & Levi, & Juda dicuntur, & cæteris non sic conveniunt Patriarchis, ut his qui cognomines eorum propter familiæ radicem exstiterunt. *Benjamin lupus rapax ad matutinum comedit, & ad vesperam dabit escam*. Benjamin ille nunquam fuit lupus rapax. Benjamin ille numquam in vesperam dedit escam, sed is, qui natus est ex tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis juxta legem Pharisæus, circumcisus octavo die, Benjamin prædicabatur lupus rapax ad matutinum comedens, quando juvenis fuit, & in vesperam dans escam, quando credens spiritalem præbuit cibum a se Ecclesiis institutis. Igitur Benjamin Benjamin generat. Quomodo ergo homo ex homine, Benjamin ex Benjamin, sic Juda ex Juda, Ruben ex Ruben nascitur, Ruben quippe vivat & non moriatur, & sit multus in numero. Intantum non erat de Patriarcha sermo, sed de populo, qui de Patriarcha descensurus erat. Cur hæc dicta sunt? videlicet ut præsentem locum exponerem de Noe, & Daniele, & Job. Quomodo enim Israel Israel generat, & Job Job, & Ruben Ruben, reliqui reliquos; sic Noe Noe. Et dicam quia de filiis Noe, Sem Noe fuerit. Cam vero non fuerit Noe: neque enim habuit similitudinem patris sui. Et ut non omnes, qui ex Abraam filii Abraam, licet sint de semine ejus, non sunt filii ipsius, quoniam peccatores sunt: sic hi, qui habent similitudinem factorum Danielis, Daniel sunt, qui imitantur patientiam Job, Job fiunt. Noli ergo dicere: Beatus Noe, quoniam dignus effectus est, ut in diluvio solus eligeretur a Domino, & cæteris inundatione pereuntibus, cum suis servaretur incolumis: sed considera, quia si & tu feceris ea, quæ fecit Noe, eris Noe. Audi Salvatorem dicentem: *Si essetis filii Abrææ, opera Abrææ faceretis*. Igitur siquis filius est Abraam, facit gesta Abraam: siquis filius est Noe, facit opus Noe: siquis filius est Danielis, facit id, quod fecit Daniel. Si quis sequitur per quod gloriosus effectus est, ut puta omnis qui substantiam suam perdit; & sustinens patienter tam jacturas rerum

Gen. 49.

Paulus nomine Benjamin intellectus.

Joan. 8.

[a] Expunximus heic alteram negandi particulam perperam intrusam.

rum familiarium, quam mortes filiorum dicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, ut Domino visum est, ita factum est: sit nomen Domini benedictum in sæcula*: qui inceditur corporis malis, & flagellatur vario malorum suorum dolore, & nihilominus in ipsis suppliciis glorificat Dominum, qui potest respondere divina, & inter cruciatus propheticam vocem emittere, qualem emisit Job, imitator est Job. Atque ita in hunc modum & Noe, & Daniel, & Job in eodem possunt tempore reperiri. Quia autem nunc Ezechiel non de his dixerit, quos in Scripturis lectitamus, videlicet quos aut translatio, aut mors de præsenti vita subtraxerit, de alio quoque loco approbare conabimur. Daniel qui traditus est Eunuchorum principi cum Anania, Azaria, Misaele, [a] eunuchus fuit, & est in præsenti dictum: *Noe & Daniel & Job, filios & filias non liberabunt*, & reliqua. Fingamus quippe filios habuerit Noe, quomodo filii Danielis, docebuntur, quem eunuchum fuisse Judæi tradunt? Verum quia fertilis & sancta fuit anima illius, & propheticis divinisque sermonibus multos liberos procreavit, idcirco dicitur: *si fuerint in tempore illo*, vel *isto ut Noe & Daniel & Job, & ipsi soli salvabuntur*. Et nos ergo possumus fieri Daniel, & ut non enumerem omnes sanctos, possum esse Paulus, si fuero imitator ejus dicentis: *Imitatores mei estote*, si cauterium, quo signatus est Paulus habuero, si eamdem figuram, qua ille figuratus est in Christo possedero, per quam, ut bonus pater ajebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*. Si vero ex dissimilitudine signa-

Job. 1.

a Daniel eunuchus. Dan. 1.

1. Cor. 11.

Galat. 4.

A culi coarguor, quia aliam formam habuerit Paulus quam ego in anima habeam, me ipsum decipio dicens: Filius meus es tu, semen Pauli. Non mirari quod filius Apostoli fias. Habeto virtutes, & eris filius Christi. *Filioli*, inquit, *adhuc pusillum vobiscum sum*. Cum autem fueris Christi, eris & omnipotentis Patris, quia unum sunt, unitæque naturæ. Ad hoc laborat justus, in hoc studium suum B omne convertit, ut Danielis & Job & Noe, & Abraæ filius ostendatur ad adoptionem Dei, & jam non vocetur hominum nominibus, sed vocabulis filiorum Dei. *Si ergo fuerint tres viri isti*. Non indiget Spiritus Sanctus, ut etiam nunc Noe & Danielem, & Job ostendat. *Tres viri isti in medio ejus*. Dicit mihi eruditus auditor: Tres in præsenti nominantur, sermo vero tuus plurimos affirmat, & Daniel & Job, & C Noe. Cui sic respondebimus: Omnis multitudo similium unus est, & non plures, qui similes sunt. Non plura corpora, sed unum corpus omnes sumus, juxta id quod scriptum est. *Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte*. *Et Salvator noster venit quærere, & salvare quod perierat*, in sacramento nonaginta novem ovium non errantium, & unius perditæ. *Venit* quippe *filius hominis quærere, & salvare quod perierat* D Quomodo enim unum corpus plura sunt corpora, & una ovis plures sunt oves, quæ perierant, hoc pacto omnes Noe Daniel & Job in unum Noe Job & Danielem rediguntur. *Ipsi in justitia sua salvabuntur, dicit Dominus Adonai*. Prius [b] nomen Dei quattuor literarum est, quod interpretatur naturaliter Deus.

Joan. 13.

1. Cor. 12.

Nomen Dei Tetragrammaton quid proprie significet. b

[a] Hebræorum hæc proprie sententia est, quam & studiose promovent, ut hac de caussa Danielem e Prophetarum numero excludant, juxta Moysen, qui eunuchos a cœtibus Israelitarum jussit exsulare. R. Eliezer in Pirke cap. 52. *Isti autem fuerunt Daniel, Chanania, Michael, & Azaria, qui facti sunt eunuchi in palatio regis Babel, neque generarunt filios*. Origenes paulo inferius ex ipso Danielis libro constare hoc ait: *Quid respondebis mihi de Daniele? & hic ante captivitatem in patria floruit nobilitate, & deinceps in Babylonem translatus eunuchus effectus est, ut manifeste ex libro ipsius intelligi potest*. Quod rursum luculentissime exponit ex Hebræorum traditionibus in Comment. in Matth. Sed & Hieronymus noster concinit lib. 1. in Jovinianum: *Superfluum autem est de Daniele dicere, cum Hebræi usque hodie autument, & illum, & tres pueros, fuisse eunuchos, ex illa Dei sententia, quam Isaias loquitur ad Ezechiam*: Et de filiis his, qui nascentur ex te, tollent & facient eunuchos in domo regis. *Rursusque in Daniele legimus*: Et dixit rex Asphanez principi eunuchorum, ut introduceret de filiis captivitatis Israel, & de semine regio, & de phorthommim pueros, in quibus non esset macula, pulchros facie, & intelligentes sapientia. *Et argumentatur, si de semine regio electi sunt Daniel & tres pueri; de semine autem regio eunuchos fore Scriptura prædixit, hos esse, qui eunuchi facti sunt*. Quin etiam in Commentar. in Danielem 1. *Unde & arbitrantur Hebræi, Danielem Ananiam & Azariam fuisse eunuchos: impleta illa prophetia, quæ ad Ezechiam per Isaiam Prophetam dicitur*: Et de semine tuo tollent & facient eunuchos in domo regis. Aliorum quoque Patrum hæc videtur fuisse sententia, ex laudato Isaiæ vaticinio derivata. Sanctus tamen Epiphanius in vita Danielis, eum pro eunucho habitum ob morum tantummodo castitatem, atque integritatem putat: in quam sententiam plerique alii postmodum concessere. Josephus non ipsum de nomine Danielem, sed aliquot ex his quos sibi pueros Nabuchodonosor selegerat, eju[s] fuisse jussu exsectos tradit.

[b] Eumdem errorem errasse videtur Hieronymus, sive ex Origene properanti calamo descripsisse in Commentariis in Ezechiel. lib. 9. cap. 28. *Ubiquumque*, ait, *juxta LXX. secundo penitur* Dominus, Dominus, *primum nomen tetragrammaton est, quod proprie ad Deum pertinet, & ineffabile dicitur: secundum commune, quod sæpe in hominibus invenitur*. Diximus vero in eum locum, cum plane constet, in Ezechielis, de qua sermo est Prophetia, perpetuam econtrario consuetudinem obtinere, ut primum commune, alterum Dei proprium sit nomen, videri non S. Doctoris, sed scribarum vete-

rum

Ergo emittitur propter peccata terræ fames. Terra vero secundum omnes sensus quos supra diximus, & quoscumque intelligentiæ auditorum relinquimus, ut ex nostris dictis ipsi sibi alias intelligentias reperirent. Videamus autem & alliud opus iræ divinæ emmittentis in terram peccatricem bestias pessimas. Ajunt etiam Judæi, si quando lupi homines devoraverint, impetum facientes in domos, & cæteræ bestiæ, ut historia refert, leones quondam in humanum genus immissos, & alio tempore ursos, istiusmodi devorationes ex Dei indignatione descendere. Et hunc interim sensum, ut sequamur literam ab altiori intellectu recedentes, nunc sequi videmus Prophetam. Qui autem spiritalis est, judicans omnia, & a nullo dijudicatur, confidenter dicit multas esse bestias, quas emittit Deus in peccatricem terram, si tamen terra nostra peccaverit: *Adversarius noster diabolus ut leo rugiens ambulat quærens quem devoret*. (1. Pet. 5.) Illa quoque historia, quæ Scripturas diligenter observantibus in planum se præbet intellectum, istiusmodi habet significationem: quando duo ursi ad parvulos missi sunt, qui contumelias faciebant Prophetæ, dicentes: *Ascende, calve, ascende calve*. Ursi namque illi in signum erant aliarum bestiarum, quæ vere feræ, vere sunt rabidæ, quæ mittuntur in hanc peccatricem terram. Procul autem absit a nobis, ut bestiæ ad nos pro Dei ultione mittantur, quin potius in oratione dicamus: *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi*. Ego novi perseverantes in fide justos feris traditos, & laceratos ab eis consummasse martyrium, nec tamen beatos esse desisse. Non enim bestiis fuerant traditi spiritalibus & invisibilibus, quæ lacerant animas peccatorum, & dentes suos in impiorum corda defigunt. Quemadmodum enim si pastor ex ore leonum evellat duo crura ovis, vel extremum auriculæ, ita evellentur filii Israel. Traditur ergo aliquando terra bestiis, ad eversionem, ut auferatur ab ea homo & pecus. (Amos 3.) Et observa diligenter differentias comminationum. In prima comminatione famis ait: *Ipsi soli salvabuntur Noe Daniel & Job*. In secunda vero, ubi bestias immissurum se esse testatur, filii & filiæ nuncupatæ sunt: *Verumtamen ipsi soli salvi erunt, dicit Adonai Dominus*. Qui locus dupliciter intelligitur. Ac primum secundum communem sensum exponamus ob nonnullorum insipientiam, qui sensum animi sui, Dei esse asserunt veritatem, & frequenter dicunt: Futurum est ut unusquisque nostrum precibus suis eripiat quoscumque voluerit de gehenna: & iniquitatem introducunt ad Dominum, non videntes, quod justitia justi super eum erit, & iniquitas iniqui super eum, & unusquisque in proprio peccato morietur, & in propria justitia vivet. Nihil mihi conducit martyr Pater, si non bene vixero, & ornavero generis mei nobilitatem, hoc est testimonium ejus, & confessionem, qua illustratus est in Christo. Nihil prodest Judæis dicentibus: *Nos de fornicatione nati non sumus, unum patrem habemus Dominum*, (Joan. 8.) & post modicum: *Abraam pater noster est*. Quæcumque dixerint, quæcumque sibi assumere voluerint, si non habuerint fidem Abraam, incassum gloriantur. Neque enim ideo salvabuntur, quia sunt filii Abraam. Quoniam ergo quidam non recte opinantur, necessario interposuimus etiam sensum literæ dicentis: *Filios & filias non liberabunt Noe Daniel & Job, sed ipsi soli salvi erunt*. Nemo nostrum confidat in justo patre, in matre sancta, in fratribus castis. Beatus homo, qui spem habet in semetipso, & in via recta. Ad eos autem qui in sanctis fiduciam habent, non incongrue proferimus exemplum: *Maledictus homo, qui spem habet in homine*. (Jer. 17.) Et illud: *Nolite confidere in hominibus*. Sed & aliud: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in principibus*. (Ps. 145. 118.) Quod si necesse est in aliquo sperare, omnibus derelictis, speremus in Domino dicentes: *Si consliterint adversum me castra, non timebit cor meum*. Cum hæc se ita habeant, etiam alia nobis quæstio oboritur, quam diligenter debemus excutere, ut Scripturarum veritas elucescat: Quare cum tanti sint justi, nunc tantummodo tres nominantur, Noe, Daniel, & Job? Au-

rum hunc fuisse lapsum, qui numericas notas I. & II. temere ibi commutarint; nam alibi, sive cap. 6 rectissime contrarium docet. At Origenis testimonio quam recte istæc aptari possit medicina, non video, neque enim heic tantum expressis verbis sed & inferius Homilia XII. satis luculenter idem asserendo fallitur.

Origenes Hebræum audit.

Audivi quondam a quodam Hebræo hunc locum exponente atque dicente, ideo hos nominatos, quia unusquisque eorum tria tempora viderit, lætum, triste, & rursum lætum. Vide Noe ante diluvium considera mundum integrum, & eumdem post Noe in totius orbis naufragio solum cum filiis suis, & animalibus in arca servatum: considera quomodo post diluvium egressus sit, & plantaverit vineam, quodammodo secundi rursus orbis creator existens. Talis est justus: vidit [a] mundum ante diluvium, id est ante consummationem: vidit mundum in diluvio, in corruptione, & in interitu peccatorum, quæ in die sunt eventura judicii: rursum videbit mundum in resurrectione omnium peccatorum. Dicit mihi aliquis: Concedo de Noe, ut tria tempora viderit, quid respondebis mihi de Daniele. Et hic ante captivitatem in patriæ floruit nobilitate, & deinceps in Babylonem translatus eunuchus effectus est, ut manifeste ex libro ipsius intelligi potest: vidit & reversionem in Jerusalem. Ut autem probetur, quod ante captivitatem in Jerusalem fuerit, & post captivitatem eunuchus effectus sit, assumamus id quod ad Ezechiam dictum est: *Accipient de filiis tuis, & facient spadones in domo regis.* (Isai. 39.) Deinde post septuaginta annos invenitur deprecans Deum, ut completo jam tempore captivitatis, rursum ingrediatur Jerusalem. Habemus orationem ejus in volumine proprio conscriptam, nec tamen possumus invenire ubi sit mortuus. Vidit ergo tria tempora, ante captivitatem, in captivitate, & post captivitatem. Talis justus est. Videamus autem, an & Job tria tempora habuerit. (Dan. 9.) Fuit quidem locuples, erant quippe ei oves septem millia, cameli tria millia, juga boum quingenta, & supellex multa valde, filii septem, & filiæ tres. Deinde accepit potestatem diabolus adversus eum. Vide tempora commutata. Dives in liberis pater, repente orbus efficitur: dives in censu Dominus ad ultimam deducitur egestatem: ecce duo tempora. Post hæc apparet ei Dominus, & loquitur ei de nube, & ipse Job ea, quæ sunt in libro ejus scripta, respondit. (Job. 1.) Igitur in primo tempore Dei laudibus prædicatur, in secundo tentationi traditur, & sævissimo ulcere percussus a pedibus usque ad caput tristia & dura perpetitur. Ad extremum factæ sunt ei oves quattuordecim millia, cameli sex millia, juga boum mille, asinæ pascentes mille, & nascuntur ei filii & septem & filiæ. (Job. ult.) Atque ita & in Job tria tempora deprehendimus, quæ in justis hominibus reperimus. Tria vident justi tempora; præsens, & commutationis, quando judicaturus est Deus, & futurum post resurrectionem mortuorum, id est, vitæ cælestis perpetuitatem in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Hæc habeut Hebræi interpretes Salomon & David.

HOMILIA QUINTA

De eo, quod quattuor ultiones pessimæ, id est, gladius, fames, bestiæ malæ, & pestilentia inducuntur super terram peccatricem: & de Parabola qua dicitur: *Fili hominis, quid fiet ligno vitis.*
Cap. XIV. & XV.

Fames, quæ propter peccatricem inducitur terram, juxta possibilitatem nostrarum virium discussa est, & post famem de bestiis pessimis diximus, quas immittet Deus super peccatores. Quattuor enim ultiones in principio proposuimus, e quibus reliquæ duæ sunt de romphæa, & de morte. Et in prima quidem filiorum & filiarum nomen tantum est: in secunda vero & tertia, quam nunc conamur exponere, filiorum & filiarum nomen annexum est, idest, in romphæa, qua corruunt, qui cæde ejus digna fecerunt. Quis est ergo iste gladius, idest, romphæa, quam nos formidare debemus, ne quando mittatur super terram nostram, super terram, quam

[a] Redolet hic locus sententiam illam Origenis, quæ in ejus scriptis tam sæpe occurrit, finem impositum iri damnatorum pœnis; tum plenam omnium ἀποκατάστασιν, & perfectam felicitatem futuram, cum Deus erit omnia in omnibus. Dicemus hac de re paulo fusius infra ad Homiliæ 10. perquam similem locum.

A quam figuraliter expofuimus, ut & nobis neceffe fit tranfire per gladium duplex aliquid habentem in pœna? Habitus quippe ipfius gladii dividit & fecat eum, in quem infertur: fi vero ad acumen aciei ejus etiam tactus ipfe pœnalis eft, dupliciter torquetur, qui hoc gladio puniendus eft. Scriptum eft enim: *Statuit igneam romphæam, & Cherubim cuftodire viam ligni vitæ*. (Gen. 3.) Et quomodo fi gladius acutus & cædens inferatur in corpus, duplicem B tribuit cruciatum aduftionis & cædis: fic & romphæa, quæ ad cuftodiam Paradifi ftatuta memoratur, quam nunc ob expofitionem gladii præfentis affumfimus, duplicia infert tormenta, dum adurit & dividit. Ut autem neceffarium aliquid, ex quibus Deus fenfum noftrum illuminat, in loco præfenti interponamus, accipe exemplum. Ajunt ftudiofi medicinalis difciplinæ, ad quafdam corporum curationes neceffariam C effe non folum fectionem ferri, verum etiam aduftionem. (Cancer morbus.) Nam ad eos, qui canceris veterno computrefcunt, candentem five novaculæ laminam, five quodquumque acutiffimi ferri genus adhibent, ut per ignem radices canceris evellantur, per incifionem autem putrida caro truncetur, & via pateat medicaminibus injiciendis. Quis putas noftrum canceris, ut ita dicam, habet fimile peccatum, ut non ei fuffi- D ciat, aut fimplex acumen ferri, aut fola ignis aduftio, fed utraque adhibeantur, quo uratur, & fecetur? Audi Salvatorem rationem ignis & ferri in duobus locis fignificantem. In alio loco ait: *Non veni mittere pacem fuper terram, fed gladium*. (Matth. 10.) In alio vero: *Ignem veni mittere fuper terram, &* [a] *utinam jam ardeat*. (Luc. 12. a) Igitur defert utrumque Salvator, gladium & ignem, & baptizat, quæ non potuerunt Spiritus E Sancti purificatione purgari. Sacramenta divina funt ineffabilia, & foli Deo cognita: plus tamen in gratiarum donatione, quam in tormentorum varietatibus conftituta. Neque enim medici ex difciplina artis fuæ rationabiliter eos, quibus medentur, fecant, urunt, dantque poculum amariffimi temperamenti, multaque alia, prout cauffa poftulat, faciunt: Deus autem univerfitatis Dominus, fine rationabili quadam fapientia, & fine difpenfatione digna majeftatis fuæ pœnas tantum infert peccatoribus. Neque enim, ut exiftimant, ad hoc tantum adhibet fupplicia, ut torqueat, fed quafi pater fcit vulnera omnium noftrum: fcit qua ex cauffa, quod ulcus natum fit, quæ putredo infelicis animæ, ex quo ducatur exordio, qualis fpecies doloris, ex quo peccato veniat: fcit & formas, modos, & numeros peccatorum, qui femel, bis, terque peccaverit, qui in una fpecie delictorum fæpe ruit, qui in diverfis vitiorum fpeciebus fingulis tantum vocibus erraverit. Hæc omnia nos juxta fapientiam Dei quærere *, fecundum illud, quod fcriptum eft: *Scrutans corda, & renes Deus*, & fupplicia, quæ ab eo irrogantur, fic intelligere, quafi digna Deo, & convenientia difpenfationi ejus, nos vult non tantummodo cruciari. (* fup. debemus) Omnia quippe ad hoc condidit, ut effent, & falutares fecit generationes mundi, & non eft in eis medicamentum perditionis, fed quia quod ille voluit nos contemnendo non fecimus, & ille quod cupierat, non exercuit in nobis, difputatio nos coegit, ut aliquid de pœnarum fpecie diceremus quæ inferuntur ad terram. Debemus autem noffe, quia non ftatim ubi fames fuerit, fequatur & mors. Poteft quippe fieri, ut aliquis famem fuftinens perfeveret in vita, licet inedia, & fqualore, & macie difcrucietur. Poteft fieri, ut, immiffis beftiis malis, ftatim non omnes pereant, fugæ auxilio refervati. Poteft evenire, ut, cedente romphæa, ceffet interitus. Modo vulnerantur quidam, & fecantur, & ut ita dicam, crebris ictibus [b] confunduntur, nec tamen pereunt. (b) Idcirco nunc pœna noviffima in enumeratione pœnarum mortis infertur. Iftiufmodi quiddam & facratiffimus Apoftolus fentiens loquebatur: *Noviffimus inimicus deftruetur mors*. (1. Cor. 15.) Audebo dicere, fed noviffimus inimicus deftruetur mors. Fuit quidam ante mortem inimicus, id eft

[a] Scripferit Origenes quemadmodum in Commentariis in Exodo, ubi hunc ipfum laudat Lucæ locum, πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν· καὶ εἴθε δὲ ἐκάη. *Ignem veni mittere in terram, atque utinam jam arfiffet*. Quod fi non ita conceptus Lucæ textus ipfe tunc fuerit, hæc certe fuerit fententia, quam probe retinuit, dum locum ex memoria recitat. Id ipfum quod in hodiernis codicibus fcriptum eft, καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη; Grotius ab Huetio laudatus ita diftinguit, καὶ τί θέλω; εἰ ἤδη ἀνήφθη. ficque exponit: *Quid autem eft quod opto. Utinam jamjam accendatur*: oftenditque fatis erudite εἰ cum Indicativo, *Utinam*, apud Helleniftas fignificare

[b] Legendum omnino eft, *confodiuntur*.

est romphæa: fuit quidam ante mortem inimicus, bestiæ pessimæ: fuit quidam ante bestias pessimas inimicus, fames. Hæc omnia inimica sunt religionis inimicis. Si enim non vis amicus fieri Deo invitanti te ad reconciliationem, & dicenti per Apostolum: *Obsecro vos per Christum reconciliari Deo*, quid de Deo caussaris, cum in caussis sub inimicorum imperio esse voluisti? An ignoras idcirco Deum in Ægypto immisisse furorem & iram, & angustiam, immissionem per Angelos pessimos, quia inimici illius erant, & ab ejus adversario regebantur? Procul autem absint a nobis quattuor istarum suppplicia pœnarum, fames, bestiæ pessimæ, gladius, mors. Quidquid enim horum fuerit illatum, ad eos venit qui inimici Dei sunt: amicos ejus præterit, neque ausum est eos contingere, qui de ejus necessitudine glorientur. Et quomodo de igne bene creditum est, Scripturis testantibus, quia transeant per eum justi, & non comburantur: *Uniuscujusque enim opus quale sit, ignis probabit*: sic & in his suppliciis inveniatur aliquis Daniel, Noe, & Job & nihil pœnarum sustinebit. Hæc specialiter per singula supplicia exposuimus, quæ in extrema parte in unum Propheta consocians ait: *Hæc dicit Adonai Dominus: Si autem quattuor vindictas meas pessimas, romphæam, & famem & bestias pessimas, & mortem immisero*. Quo? non super terram, sed *super Jerusalem*. Terra enim si puniatur, sufficit ei una correptio. Si autem corripiatur Jerusalem, super quam invocatum est nomen Dei, quattuor ei cruciatus pariter inferuntur. Multo nobis utilius fuerat divino non credidisse sermoni, quam post credulitatem adhuc rursum ad peccata converti, quæ ante commisimus. Considera enim quomodo Scriptura super terram singillatim supplicia dicat inferri, & non apponat quam terram: quando vero ad Jerusalem veniat: Si autem & quattuor vindictas meas pessimas, romphæam, & famem, & bestias pessimas, & mortem immisero in Jerusalem: nos indicans Jerusalem, qui peccantes quidem nos Jerusalem sumus, quæ destruitur, in præceptis vero permanentes, Jerusalem dicitur, quæ salvatur. Omnes lamentationes, quas legimus in Jerusalem, omnes querimoniæ, quibus eam plangit Deus, ad nos pertinent, qui gustavimus sermonem Dei, & postea mandatis ejus contraria fecimus. Non plectitur Salomonis jura contemnens, non sic punitur Lycurgi scita destituens. Aliud supplicium est ejus, qui legem Dei per Moysem traditam conculcat, & despicit: maxima omnium est ejus pœna, qui præcepta filii Dei pro nihilo duxerit. Irritam enim quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora supplicia mereri illum, qui Filium Dei conculcaverit? Ait ergo, quos enumeravimus, Filium Dei non conculcaverunt, sed tantum legem Dei ingressi sunt: maximeque hi, qui ante adventum Domini fuerunt. Sed neque hi, qui crucifixerunt Salvatorem meum, rei sunt ingentis pœnæ, sicut hi, quibus ait Apostolus: *Filium Dei conculcans, spiritui gratiæ contumeliam faciens*: & siquid aliud significat in eo loco in quo eorum peccata replicat, qui post fidem in Deum peccaverunt. Hæc propter quattuor ultiones pessimas, quæ inducuntur super Jerusalem. Et omnes quidem, qui didicimus divinas Scripturas, sive bene, sine male vivamus, Jerusalem sumus. Si male vivimus, illa Jerusalem, quæ cruciatibus punitur, & sustinet quattuor ultiones: si bene, illa Jerusalem, quæ in Dei sinu requiescit. Et est magna distantia, ut in reliqua terra, sic & in ipsa Jerusalem. Omnes enim, qui in Ecclesia peccatores sunt, qui sermonem Dei gustaverunt, & transgrediuntur eum, merentur quidem supplicia; verum pro modo graduum unusquisque torquebitur. Majorem pœnam habet, qui Ecclesiæ præsidet, & delinquit. An non magis misericordiam promeretur ad comparationem fidelis Cathecumenus? Non magis venia dignus est laicus, si ad diaconum conferatur? Et rursum comparatione Presbyteri Diaconus veniam plus meretur? Quæ autem sequantur, me tacente, cognoscitis. Idcirco formidans Judicium Dei, & ante oculos mihi proponens illum judicii ordinem, qui in Scripturis continetur, recordor dicti illius: *Pondus ultra te ne leves*. Sed & illud: *Noli quærere fieri judex, ne non valeas auferre iniquitates*. Quid mihi prodest quia prior sedeo in cathedra resupinus, honorem majo-

2. Cor. 5. — 1. Petr. 2. — Hebr. 10. — Ibid. — Pœna pro modo graduum.

majoris accipio, nec possum habere dignitate mea opera condigna. Nonne majori pœna cruciabor, quia honor justi mihi ab omnibus defertur, cum peccator sim? Necessarium fuit diligentius retractantem ea, quæ de quattuor terræ ultionibus dicebantur, id addere, quod Jerusalem quippe erat in tribu Benjamin: & Sacerdotes Templi, & Levitæ, qui Dei ministeriis serviebant, & cæteri ordines, quos Scripturarum sermo comprehendit, in ea morabantur. Hæc accipit quattuor ultiones pessimas, quæ non sunt similes in his, qui in ea habitant. Neque enim eodem modo, & ad populum, & ad Levitas comminatio dirigitur. Israelites enim peccans in Israeliticum delictum corruit. Qui autem major est ab Israelita, quanto nobilior fuerit in ordine idem Levites, & Sacerdos, tanto majora supplicia sustinebit. Si autem princeps Sacerdotum peccaverit, dicit ad eum Heli consacerdos suus: *Si delinquens peccaverit vir in virum? orabunt pro eo: si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo.* Hæc in expositionem ejus sermonis, quo comminabantur & singulæ specialiter in peccatricem terram ultionis, & pariter congregatæ in infelicem Jerusalem. Videamus autem & sequentia Scripturæ. Quæ cum in parabola audierit Propheta, nos tantum sensum debemus exponere, ipsum testimonii ordinem derelinquentes & auditorem mittentes ad librum: Lignum vitis ut in fructu est honorabilius Lignis omnibus, maxime his, quæ in saltu fructificant: sic ad cætera opera inutilius omnibus lignis est. Et vascula quædam possunt fieri, & in diversa opera necessarii usus ad ministrandum: de palmitibus autem vitis non solum vas aliquod, & in opus utile quid fieri non potest, sed neque paxillus quidem est utilis. Ait ergo sermo divinus, quia ut palmes vitis honorabilior fit cæteris lignis, si afferat fructus: sic ab omnibus inferior judicetur, si id non habeat, unde præcellit, atque in hunc modum eos, qui imbuti sunt eloquiis Dei, honorabiliores esse omnibus, & quoquumque modo in vineæ positos dignitate, cum afferant fructus, botros salutis, de qua scriptum est: *Ego vero te plantavi vineam fructiferam totam veram.* Et alibi: *Vinea Domini domus Israel est.* Et rursum: *Vineam de Ægypto transtulisti*, & reliqua. Si autem non attulerint fructus, intantum ut a Deo dici possit: *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienæ?* tunc multo deteriores inveniri ab his lignis, quæ licet viliora sint, tamen suos afferunt fructus. Quomodo enim præcellunt ligna silvarum vineas infæraces, eodem modo, intra quamdam dispensationem sapientiæ divinæ, ex lignis vilioribus aliqua domui necessaria fabricantur. Neque vero turberis, putans nos extra Scripturas affirmare quod dicimus futurum esse, ut de lignis silvæ aliquid utile fiat, idest, de me ipso si non attulero proprios naturæ meæ fructus. Siquidem & Apostolus imaginem quandam eorum vasorum, quæ sunt in humana conversatione assumit dicens: *In magna autem domo, non sunt * tantum vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia* (nota quia vasa lignea nuncupaverit) *& alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam.* Ista vasa lignea, quæ esse in magna domo Apostolus prædicat, non sunt facta de vitibus, non de palmitibus vinearum, sed ex aliis lignis, quæ vilioris ordinis in nemoribus fructificaverunt. Quantum ergo malum est, & quale discrimen, ut ligna quondam vilia inveniantur in magna patrisfamilias domo, & palmes vitis meæ inutilis in domo sit, & in ignem projiciatur? Hoc enim scriptum est, quia annuam putationem ejus consumat ignis. Hæc in Ezechielem. Salvator vero hujus parabolæ sensum in Evangelio ita perstrinxit, dicens: *Ego sum vitis, vos palmites, Pater meus agricola: omnem palmitem, qui in me manet, & fructus affert, Pater meus putat, ut fructus majores afferat: palmitem, qui manet in me, & fructum non affert, Pater meus excidit, & in ignem mittit.* Vides vicinitatem utrorumque sermonum? Vides quomodo Pater excidat, & in ignem jaciat? Nos insensati, quasi negligenda quidem Scriptura sit, nolentes ea discere, quæ nobis incutiant metum, sed ea audire cupientes, quæ prurientibus auribus incutiunt voluptatem, libenter audivimus quæ nos subvertant, quæ decipiant. Qui dicit proximo suo, ignoscit nobis peccata nostra Deus, siquidem & in talibus sacramentis ludimus, vicissim nobis pollicentes, mappam mittet Deus. Et quia bonus est, & omnium peccata dissolvit,

Eccl. 7. | 1. Reg. 2. | Ezech. 15. | Hier. 2. | Isai. 5. | Psal. 79. | 2. Tim. 2. | * al. autem | Joan. 15.

solvit, oportebat nos sedere, & sollicito corde dicere: Si heri peccavimus, hodie pœnitentiam agamus. Verum huic palmiti (animal quippe est) qui dicit: Potens est Deus, & bonus agricola, qui non me excidat, & in ignem mittat: respondebit agricola: Sed si talis est palmes, ut frustra sit in vite, nunquid poterit relinqui? Nonne si dimittatur impediet vitem, ne pro sicco palmite, virides & fructuum feraces afferat palmites? Quomodo enim boni agricolæ est excidere, & * amputare quæ sicca sunt, & tradere in escam ignis infructuosos ramos: sic boni Dei est, de omnibus vitibus infructuosos palmites amputare, & igni tradere in perditionem. Verum nos ipsi nos ludimus, & decepti pariter ac decipientes volumus magis errare cum plurimis, quam ab errore converti: cum magis id quærere debeamus, quod ædificet, quod timorem Dei augeat, quod ad pœnitentiam revocet, quod in confessionem sceleris adducat, quod nos faciat diebus ac noctibus cogitare, quomodo Domino placeamus, ut fiamus in vera vite Christo Jesu fructiferi palmites, & radici ejus adhærentes: cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

* al. computare.

HOMILIA SEXTA

De eo quod dicitur: *Fili hominis, notas fac Jerusalem abominationes suas*; usque: *Effudisti fornicationem tuam in omni transitu*. Cap. XVI.

Consideranti mihi constantiam Prophetarum, miraculum subit, quomodo vere credentes Deo magis quam hominibus contemserint mortem, pericula, contumelias, & omnia quæ passi sunt ab eis: qui arguebantur, dum voluntati Dei in prophetatione deserviunt. Admirabar quondam Isaiam antequam compararem Ezechieli, & obstupescebam quomodo diceret: *Audite sermonem Domini, principes Sodomorum, attendite legem Dei, populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus?* Dicebat enim hæc, cum posset dicere, vel tacere. Neque enim (ut quidam suspicantur) mente excidebant Prophetæ, & ex necessitate spiritus loquebantur. *Si alii*, inquit Apostolus, *revelatum fuerit sedenti, prior taceat*. Ex quo ostenditur potestatem habere eum, qui loquatur, cum velit dicere, & cum velit tacere. Et ad Balaam dicitur: *Veruntamen verbum, quod immitto in os tuum, hoc observa loqui*: quasi potestatem habente eo, ut accepto verbo Dei, diceret, seu taceret. Quid est ergo, quod in Ezechiele admiror? Quia cum ei fuisset imperatum, ut testaretur, & notas faceret Jerusalem iniquitates ejus, non posuit ante oculos ejus periculum, quod ex prædicatione erat sequuturum; sed ut Dei tantum præcepta servaret, loquutus est quæcumque mandavit. Esto sit mysterium, sit revelatio sacratæ intelligentiæ de Jerusalem, & his quæquumque super eam dicuntur; attamen prophetans, & fornicationis illam arguit, quia divaricaverit pedes suos omni transeunti, & maledica voce testatur, increpans scelerum civitatem. Sed quia confidebat Dei se facere voluntatem, paratus & mori & videre, loquebatur intrepidus. Videamus ergo ipsam prophetiam, & primo quidem, quomodo in potestate sit positum prophetæ, utrum dicat an non, consideremus. Factus est sermo Domini ad eum, dicens: *Fili hominis, testificare Jerusalem iniquitates ejus, & dices: Hæc dicit Dominus*. Non in necessitate aspirationis, sed in voluntate dicentis Dominus posuit, ut testificaretur ad Jerusalem iniquitates ejus, & ait: *Dices*. Quid dices? Hæc quæ sequuntur. In Propheta erat audiente, *dices*: utrum diceret necne, quomodo fuit positum in Jona. In potestate quippe ejus erat audientis: *Dic, adhuc tres dies, & Ninives subvertetur*, si velit dicere, vel tacere. Et quia in arbitrio ejus positum erat, & noluit dicere, vide quanta eum sunt consequuta postea: periclitata est navis propter eum, sorte repertus est latens, cetus devoravit abjectum. Hi ergo Prophetæ, quiquumqne post Jonam fuerunt, considerantes forsitan ea, quæ venerunt ei, sive aliis Prophetis;

Isa. 1.

1. Cor. 14.

Num. 22.

Prophetæ prophetabant sponte, & non ex necessitate spiritus.

Contra Montanum.

Ezechiel volens & non coactus vaticinatur.

Jon. 3.

tis: videbant quoniam ex omni parte angustiæ eis imminebant: secundum sæculum persequutio, si dicerent vera: secundum Dominum offensa, si timentes homines, proferrent falsa pro veris. Idcirco testificatus est Ezechiel, & notas fecit Jerusalem iniquitates ejus, & dixit: *Hæc dicit Dominus: Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa*. Quæ civitatum sic fuit elevata, & altum sapuit in mundo, ut civitas Dei? Et tamen hæc ipsa sibi magna promittens, quasi proxima Dei, & civitas ejus, quia peccavit, arguitur a Spiritu Sancto, ut degener, & extranea. Pater enim ejus Amorrhæus, jam non Deus. Quandiu non peccavit, pater ejus erat Deus: quando vero peccavit, pater ejus Amorrhæus factus est. Quandiu non peccavit, pater ejus Spiritus Sanctus fuit: quando peccavit, mater ejus Cethæa facta est. Quandiu non peccavit, radicem habuit Abraam, & Isaac, & Jacob: quando peccavit, radix ejus Chananæa facta est. Sæpe miratus sum id, quod dictum est a Daniele ad presbyterum peccatorem, cui pro peccato nomen imponens *Semen*, inquit, *Chanaan, & non Juda*. Magnus quidem Daniel constantissime præsbyterum peccatorem semen Chanaam appellans & non Juda. Major vero comparatione ejus Ezechiel, non uni presbytero, neque duobus hominibus nativitatem objiciens contumeliosam, sed, *Radix*, inquiens, *tua, & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*. Quia Jerusalem multa peccata commisit, ideo increpans illam Propheta, non uno neque duobus, sed tribus nominibus insignivit. Septem in Genesi gentes enumerantur a Deo in uno loco, quem tradidit filiis Israel. Septem autem hæ sunt. *In terram*, inquit, *Chananæorum, & Amorrhæorum, & Cethæorum, & Pheresæorum, & Evæorum, & Gergesæorum, & Jebusæorum*. Si possibile fuisset & septem istas congregare, ut per eas ignobilitatem peccatricis Jerusalem exprobraret, fecisset utique Propheta. Nunc vero quid fecit? Amorrhæum elegit ex septem, & Chananæum, & ait habere communionem peccatricem Jerusalem, quippe ad Chananæum, juxta radicem, & nativitatem, proprie ad Amorrhæum secundum patrem, proprie ad Cethæam secundum matrem. Si in Jerusalem tanta dicuntur, de qua tam grandia, & tam mira conscripta sunt, quæ ei sunt repromissa, quid futurum est misero mihi, si peccavero? Quis mihi erit pater, aut quæ mihi erit mater? Tantæ talisque Jerusalem radix, & generatio de terra Chananæorum, pater ejus Ammorrhæus, & mater Cethæa nuncupatur. Ego si peccavero, qui in Christo Jesu credo, & tanto me magistro tradidi, quis mihi futurus est pater? Non utique Amorrhæus, sed nequior quidam pater. Quis est iste? *Quivis, qui peccatum facit, ex Diabolo natus est*: Et iterum: *Vos ex patre Diabolo estis*. Si igitur Jerusalem dicitur de radice, & nativitate terræ Chananææ, quid dicetur ad nos? Inveniuntur & nobis patres, qui nos generant in peccatis. Ut enim si bonus fuero, & in optimo actu constitutus, dicit mihi Jesus: *Fili, dimittuntur tibi peccata tua*; dicit mihi Paulus discipulus Jesus: *In Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui*: ita si factus fuero peccator, generans me in peccatis Diabolus, & assumens sibi eam vocem, qua pater Deus ad Salvatorem loquutus est, dicit ad me: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et alii autem plures patres mei erunt, ad quos iturus sum. Unusquisque ad suos proficiscitur patres. Si quis est ab Abraam, dicitur ad eum: Tu autem vade ad patres tuos, cum pace educatus in senectute bona. Si quis vero egreditur de sæculo non cum pace, sed cum peccatorum bello, & senectute non bona, inveteratus dierum malorum, utique dicitur ad eum: Tu autem vade ad patres tuos cum bello nutritus in senectute mala. Docemur a Deo sub aliis nominibus, quid facere debeamus. *In qua die nata es, non alligaverunt manus tuas, sive non est excisus umbilicus tuus*. In Hebræo quippe sic habetur: *non est excisus umbilicus tuus*. Allegorice inducit Jerusalem quasi puellam ab infantia genitam. Quæ autem de Jerusalem dicuntur, sciamus ad omnes homines, qui in Ecclesia sunt, pertinere. Primum ejus tempus tale est, secundum quale describitur: procul autem absit a nobis ut tertium tempus tale habeamus, quale dicitur ad Jerusalem. Omnes enim qui primum fuimus peccatores, Jerusalem vocamur a Deo, & habemus ea, quæ prima dicuntur,

Dan. 3. 1. Joan. Matt. 9. Psal. 2. Gen. 15.

cuntur. Secunda autem si post visitationem & notitiam Dei perseveravimus in peccatis, ad nos pertinent. Tertia vero mala quæ penitus detestamur, secundum ordinem prosequemur. Nunc ut ad primum redeam, scriptum est quasi de Jerusalem: *In qua die nata es, non est excisus umbilicus tuus.* Adjutorio Dei indigemus, ut possimus umbilicum non præcisum peccatricis Jerusalem invenire, aut certe præcisum umbilicum ejus, quæ non peccavit, exponere. Sive igitur Jerusalem, sive cujuscumque alterius de alia Scriptura quæro umbilicum, ut spiritualibus spiritualia comparans, inveniam quomodo non sit præcisus umbilicus Jerusalem. Scriptum est in Job de dracone (Job. 40.): *Virtus ejus in umbilico, & fortitudo ejus super umbilicum ventris.* Scio ex his, quæ mihi gratia divina largita est, cum præsentem locum exponerem, me dixisse, quod draco sit fortitudo contraria. Iste est enim draco, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas, decipiens orbem terrarum universum. Istius fortitudo in umbilico est. Nec dubium: nam principium malorum omnium in lumbo versatur. Et ideo adhuc in lumbo patris constitutus, qui nasciturus erat, refertur, quia in lumbos semina humana collecta sunt. Fortitudo ergo contraria, ubiquumque sunt semina, ibi insidiarum suarum vim conatur ostendere. Adversum masculos virtus ejus in lumbis est, adversum feminas virtus ejus in umbilico ventris est. Et vide quomodo honeste viri mulierisque genitalia obtectis nominibus Scriptura nuncupaverit, ne per ea vocabula, quæ in promtu sunt, turpitudinem significaret. Si intellectum est exemplum, quod protulimus de Job, intellige mihi quia ut in viro præputium circumciditur, sic in femina [a] umbilicus amputatur. Cum enim pudica fuit mulier, & mundis usa mutationibus feminarum, scilicet ne in sordidas res, & in peccatorum turpitudines ruat, tunc umbilicus ejus abscisus est. Si vero peccaverit, non est umbilicus ejus abscisus. Increpat ergo Jerusalem quasi mulierem, cui non sit præcisus umbilicus. Septuaginta interpretati sunt in hoc loco: *Non alligaverunt ubera tua*, sensum magis eloquii exponentes, quam verbum de verbo exprimentes. Ubera autem in Canticis canticorum assumta sunt in cogitationum tuarum, & mentis loco. *Quia bona ubera tua super vinum* (Cant. 1.). Et recubuit super pectus Jesu (Joan. 13.), ubi ubera tua sunt, is qui communionem intellectuum ejus habiturus erat. Quando ergo sensus est rigidus, & notio obstricta atque solida, nec defluit sermo, manifestum est, quia alligata sunt ubera tua. Cum vero ea, quæ dicuntur dissoluta sunt, & defluunt, non sunt ubera alligata. *Aqua non es lota in salutem.* Videamus ea, quæ sunt in Jerusalem, ne forte & in nobis reperiantur. Verbi gratia dictum sit: Est quædam mulier nunc lota, verum quæritur an & in salutem? ut & nos timeamus propter hoc, quod ait, *in salutem.* Non lavantur omnes in salutem. Qui accepimus gratiam baptismi in nomine Christi, loti sumus: sed nescio quis lotus sit in salutem. Simon lotus est, & baptisma consequutus perseverabat in Philippi societate: verum quia non erat lotus in salutem, condemnatus est ab eo, qui in Spiritu Santo dixit ad eum (Act. 8.): *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Ingentis est difficultatis eum qui lavatur, lavari in salutem. Attendite, Cathecumeni, audite, & ex his, quæ dicuntur, præparate vosmetipsos, dum Catechumeni estis, dum necdum estis baptizati, & veniatis ad lavacrum, & lavemini in salutem, nec sic lavemini, ut quidam qui loti sunt, sed non in salutem, ut qui accipit aquam, & non accipit Spiritum Sanctum. Qui lavatur in salutem, & aquam accipit & Spiritum Sanctum. Quia non fuit Simon lotus in salutem, accepit aquam, & non accepit Spiritum Sanctum: putans, quia possit donum Spiritus pecunia comparari, in qua non est * loquutus (* f. lotus.) in salutem. Ad omnem animam peccatricem, quæ videtur credere, ista dicuntur, quæ nunc dicta legimus ad Jerusalem, ut non ad

[a] Muliebrem innuit circumcisionem, quæ in iis præcipue regionibus, in quibus ipse agebat Adamantius, sive in Ægypto obtinebat. Eam S. quoque Ambrosius memorat lib. 2. de Abraam cap. 11. *Ægyptii quartodecimo anno circumcidunt mares, & feminas eodem anno circumcidi ferunt, quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, & feminarum menstrua sumant exordia.* Et Strabo lib. 17. ab Ægyptiis tradit, τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, *feminas excidi.* Videndi, quos Huetius laudat, Medici insignes, Paulus Ægineta lib. 6. cap. 70. & Aetius Terrabibl. 4. Serm. 4. cap. 103. & qui eam consuetudinem hodieque retinere nedum Ægyptios ferunt, sed & Persas, Coptasque, Bellonius lib. 3. Observat. cap. 28. & Leo Africanus lib. 28.

ad majora conscendam, & ea quæram, quæ ultra meas vires sunt & ingenium. *Neque sale salita*. Et hoc crimen est Jerusalem, quia non fuerat digna sale Dei. Ego si credidero Domino meo Jesu Christo, ipse me sal faciet, dicetque mihi: *Vos estis sal terræ*. Si credidero spiritui, qui in Apostolo loquutus est, sale condior, & possum præceptum custodire dicens: *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus*. Grande opus est insaliri. Qui sale conditur, gratia plenus est. Nam & in communi proverbio salsus dicitur gratiosus, & econtrario insulsus, qui non habet gratiam. Si igitur gratia nobis a Deo venit, & complemur dono ejus, sale salimur. Rursum peccatrix Jerusalem non est involuta pannis. Observa quod dicimus: Anima renascens & primum in lavacro edita, involvitur pannis. Ipse Dominus meus Jesus pannis involutus est, ut scriptum refertur in Evangelio secundum Lucam. Oportet ergo eum, qui renascitur utique in Christo renascentem rationabile & sincerum lac desiderare, & prius quam rationabile, & sine dolo lac desideret, debet sale saliri, & pannorum involucris colligari, ne dicatur ad eum, sale non es salitus, & pannis non es involutus. Quia autem ista Jerusalem sint crimina, non circumcidi eam umbilico, & sale non saliri, & pannis non involvi, & aqua non lavari in salutem, sermo indicat reliquus, qui ita contexitur: *Neque pepercit in te oculos tuus, ut faceret tibi unum ex omnibus istis*. Propterea nihil tibi horum feci, ut paterer aliquid super te, dicit Dominus. Exemplum ab hominibus accipiam: deinde si Spiritus Sanctus dederit, ad Jesum Christum, & ad Deum Patrem transmigrabo. Quando ad hominem loquor, & deprecor eum pro aliqua re, ut misereatur mei, si sine misericordia est, nihil patitur ex his, quæ a me dicuntur: si vero molli est animo, & nihil in eo rigidi cordis obduruit, audit me, & miseretur mei, & molliuntur viscera ejus ad meas preces. Tale mihi quiddam intellige super Salvatorem. Descendit in terras miserans humanum genus, passiones perpessus est nostras, antequam crucem pateretur, & carnem nostram dignaretur assumere. Si enim non fuisset passus, non venisset in conversationem humanæ vitæ. Primum passus est, deinde descendit, & visus est. Quæ est ista, quam pro nobis passus est, passio? Caritas est passio. Pater quoque ipse, & Deus universitatis, longanimis & multum misericors & miserator, nonne quodammodo patitur [a]? An ignoras quia quando humana dispensat, passionem patitur humanam? Supportavit enim mores tuos Dominus Deus tuus, quomodo siquis supportet homo filium suum. Igitur mores nostros supportat Deus, sicut passiones nostras portat Filius Dei. Ipse Pater non est impassibilis. Si rogetur, miseretur, & condolet, patitur aliquid caritatis, & fit in eis, in quibus juxta magnitudinem naturæ suæ non potest esse, & propter nos humanas sustinet passiones. *Non pepercit oculus tuus*, inquit, *in te, ut faceret tibi unum ex omnibus istis, ut paterer aliquid super te*. Et quia talis effecta es, projecta es in faciem campi. Deus ne nos tales esse patiaris, ut projiciamur a te & ab Ecclesia tua in faciem campi, sed magis ut ab angustiis sensuum egrediamur ad campum. *Et projecta es in faciem campi*. Quare? *Pravitate animæ tuæ in qua die nata es*. Potest ne aliquis in eadem die qua natus est habere animæ pravitatem? Describit passiones nostras, & vitia humana, & solitas pravitates. Pravitate enim nostra, si non rectum fuerit cor, projicimur in campum in die qua nascimur. Si post regenerationem lavacri, si post sermonem Dei rursum peccaverimus, in die qua nascimur, projicimur. Tales sæpissime reperiuntur

Matth. 5.
Coll. 4.
Luc. 2.

[a] Huc referenda sunt quæ lib. 2. *de Principiis* habet cap. 4. *Si vero propter illa quæ dicuntur in Veteri Testamento, quod irascitur Deus, vel pœnitet, vel si qua alia humani affectus passio designatur, materiam sibi ad confutandos nos præberi putant, affirmantes penitus impassibilem Deum, atque his omnibus carentem affectibus sentiendi, ostendendum est eis etiam in Evangelicis Parabolis haberi similia &c.* Sic & in Commentar. in Matthæum cap. 22. *Nobis multa exemplorum copia ex Evangeliis suppetit, in quibus juxta Parabolas quasdam homini assimilatus est. Ad earum ergo Parabolarum defensionem, quæ verbo tenus Deum Christi Patrem humanæ conditionis affectibus obnoxium esse statuunt, iis utemur, quæ Deum hominem appellant, & hæreticos, qui quod consimiles Veteris Testamenti locos non animadverterint in Dei Legis ac Prophetarum, & mundi conditoris offensionem incurrunt, ita compellabimus; si juxta Evangelii Parabolas homini comparatur Deus, quare consequenter his Parabolis, Parabolam quoque esse iram, & furorem, & pœnitentiam, & aversionem vultus, & sessionem, & stationem, & ambulationem Dei non vultis?*

tur lavati lavacro secundæ regenerationis, & non facientes dignos fructus pœnitentiæ, neque exhilarantes mysterium baptismi timore majore ab eo, quem dum Cathecumeni essent, habuerunt & caritate ampliori ab ea, quam exercuerunt (dum auditores sermonis essent, & sanctioribus gestis, quam ante gesserunt. Sequitur istiusmodi homines hoc, quod dicitur: *Projecta es in faciem campi pravitate animæ tuæ in die, qua nata es*. Sed vide misericordiam Dei, vide clementiam singularem. Licet projecta sit Jerusalem in faciem campi, non ita eam despicit, ut projecta sit semper, non ita pravitati suæ relinquit, ut in totum ejus obliviscatur, ut non ultra elevet jacentem. Attende quid sequitur: *Et transivi per te*. Projecta es, ego tamen rursum veni ad te: visitatio mea non tibi defuit post ruinam. *Et vidi te conspersam in sanguine tuo*. Quasi dicat: vidi te ream homicidiorum, ream sanguinis, & mortalium peccatorum. *Et dixi tibi: De sanguine tuo vita adimplere. Sage de sanguine tuo, & adimplere vita. Sicut hortus agri dedi te*. Misertus sum tui, postquam projecta es: vidi te sanguine peccatisque conspersam: effeci te sicut hortus est agri, & multiplicata es. Quia ad te veni & visitavi te projectam, caussa tibi factus sum, ut multiplicareris. *Et multiplicata es, & magnificata*. Dedi te in multitudinem & magnitudinem, id est, crescere te feci, & multiplicari. Per id enim, quod crescimus, & multiplicamur. *Et intrasti in civitates civitatum*. Rursum errores exponit Jerusalem introeuntis in civitates civitatum. Quomodo autem ingressa sit criminose in civitates civitatum, consideremus. Si per singulas civitates, in quibus hæreses sunt & doctrinæ alienæ a Deo, ingrediatur quispiam Ecclesiasticus, & particeps fiat talium civitatum, audit: *Intrasti in civitates civitatum. Mammæ tuæ erectæ sunt. Post tanta crimina rursum floruisti, & venit tibi tempus, & tempus divertentium*. Dicitur mihi: Noli allegorizare, noli per figuram exponere. Respondeant, quæso: Jerusalem mammas habet, & est quando non colligentur, est quando erigantur, & umbilicum habet, & quia non est præcisus, arguitur: quomodo possunt ista sine allegorica expositione intelligi? *Mammæ tuæ*

Contra eos qui allegorias Origenis improbabant.

A *erectæ sunt, & capillus tuus exortus est*. Cum omni honestate, ea quæ solent virginum evenire corporibus, describit sermo divinus. *Et capillus tuus exortus est, tu vero eras nuda & dehonestata*. Qui non est Jesum Christum indutus, hic nudus est; qui non est indutus viscera miserationis benignitatis humilitatis mansuetudinis longanimitatis, ut proximum sustineat, iste dehonestatus est. *Tu vero eras nuda & dehonestata, & transivi per te*. B Secunda vice venit ad eam, vidit eam peccantem, iterum propter peccata discedit, & tamen rursum revertitur, iterum visitat clemens, & benignus Deus. *Et veni ad te, & vidi te, & ecce tempus tuum, & tempus divertentium*. Quid est hoc, quod ait tempus tuum? Tempus significat adolescentium, in quo jam per ætatem possunt fornicari. Et rursum: *Et tempus*, inquit, *divertentium*. C Qui sunt isti divertentes? Dum sumus parvuli hi, qui divertere nolunt ad eos, qui nituntur evertere, ut sunt Christiani pessimi, dæmonia immunda, Angeli diaboli, non habent locum, quomodo non possint divertere. Cum autem fuerimus ætate majore, & jam peccare possumus, quærunt aditum ad nos divertendi, & hoc tam Angeli Dei quam Angeli Satanæ. Impossibile autem est ut utrique ad nos divertant. D Si peccamus, Angeli diaboli divertunt ad nos: si stamus fixo gradu, divertunt ad nos Angeli Dei. Venit ergo tempus tuum, & tempus divertentium. Quia tempus venerat divertentium, & Dominus noster Jesus Christus Deus noster rursum visitat miseram Jerusalem, id est, peccatricem animam nostram. *Expandi alas meas super te*. Consuevit Scriptura * pennas nuncupare vestium summitates: E ut in Ruth, quæ venit abscondite, & discooperto pallio ad pedes Booz, dormivit sub axilla vestimenti ejus. Deus ergo quasi veste loquitur indutus: *Expandi alas meas super te, & * operui confusionem tuam*. Beatus cujus alis suis Deus protegit confusionem: si tamen perseveraverit in beatitudine, in qua Jerusalem noluit perseverare. *Et juravi tibi in testamentum, & intravi in testamentum tecum*. Post tanta, ob quæ rursum revertitur, rursum recedit, post tam frequentem visitationem, nunc primum ingreditur cum ea in testamentum. *Et facta es mihi*

Ruth. 3.

* al. panas

* al. aperui

mihi, & lavi te in aqua. Post hæc omnia assumsi te, & ipse lavi te in salutem, & ablui sanguinem tuum abs te. Hæc intelligentes oremus, ut veniat misericordia Dei super nos, & abluat sanguinem ab animabus nostris. Siquid enim morte dignum fecimus, istud sanguis est noster. *Ablui sanguinem tuum a te, & unxi te oleo.* Et Christos nos vult facere Deus. *Et indui te versicoloria.* Quanta est benignitas Dei in unamquamque animarum Jerusalem, non unius coloris tunicam, sed multæ varietatis largitur credentibus sibi. Hanc versicolorem tunicam jam tunc in signum fecit Jacob, induens filium suum Joseph, & vestivit eum versicoloria. Si consideres intellectus sectas, facta bona, vere videbis variam tunicam, quam visitatio Dei largitur his, qui vocati sunt in salutem. Legem intelligo, Prophetas comprehendo, agnosco Evangelia, non me latet Apostolus: & cautus sum, justus sum, misericors sum, & adhuc quæris aliam tunicam versicolorem, quam induit Dominus Jerusalem dicens: *Et vestivi te versicoloria, & calceavi te hyacinthos?* Vult calceamenta nostra esse florentia & bene tincta. Quæ sunt calceamenta? Audi Paulum apertius prædicantem: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. Et præcinxi te bysso.* Manifestius de hoc cinctorio Apostolus loquitur. *Stantes præcincti lumbos vestros in veritate.* Veritas enim pro bysso accipitur. *Et operui te trichapto.* Non inveniens neque intelligens quid esset trichaptum, inveni in alia editione pro trichapto, *florens*, & in alia *indumentum*. Igitur induit nos Deus post variam vestem & florenti tunica. *Et ornavi te ornamento, & imposui tibi armillas circa manus tuas.* Cum mihi dederit occasiones bonorum actuum, armillas circumdat manibus meis. *Et catena circa collum tuum.* Si me post gesta justitiæ intellectu ornaverit veritatis, tunc mihi ornamentum nuptiale, tunc catena collo decora circumdatur. *Et dedi inaurem circa narem tuam.* Quando veræ possum suavitatis, & boni odoris sacramenta suscipere, tunc mihi ornat Deus inauribus narem. *Et rotulas in auriculas tuas.* Ut non solum auriculæ, sed etiam grandis rota aurea sit circa auditum tuum. Aurea vero rota est, quæ intellectibus volvitur sacris. *Et corona glorificationis super caput tuum.*

Gen. 37.

Eph. 6.

Ibid.

Omnipotens Deus, & nobis tribue, ut digni efficiamur corona glorificationis super caput nostrum. *Et ornata es auro:* id est divinis sensibus: *& argento*, id est sermonibus sacris. *Et opertoria tua byssina.* Profunditas sensuum opertorium est byssinum. *Et florentia*, pro quo verbo Septuaginta τείχαπτα posuerunt, subtilem nimis amictum, & quasi ad capillorum similitudinem attenuatam vestem significantes. *Et versicoloria.* Ecce tota est Jerusalem protecta alis, vestita variis, ornata gemmis. Quid post hæc facit magnus & hominum amator Deus? Alit eam delicatis cibis. *Similam, & mel, & oleum manducasti.* Non ait simpliciter farinam, neque hordeaceum panem: hoc quod modo ad vos loquimur, simila est. Sed miserabilis Jerusalem post similam, post mella, post oleum, rursum quasi meretrix increpatur. Idcirco caveamus attentius ne forte nos post verba munda similæ, post sermones dulcissimos Prophetarum, post oleum, quod lætificat faciem, quo volumus perungere caput, ut jejunium nostrum acceptabile fiat, iterum delinquamus. Non solum autem perungimur hoc oleo, sed & vescimur. *Et facta es pulchra valde nimis.* Laudat pulchritudinem ejus, laudat speciem, prædicat formam. *Et directa es in regnum.* Quantus profectus, ut etiam ad regnum dirigatur? *Et exiit nomen tuum in gentibus.* Hæc apta sunt ei, qui postquam liber esse cepit a mundo, in conversatione proficiens ad beatam vitam, nomen quoque gloriosum in sæculo consequutus est. Sed procul absit id quod sequitur: ad hoc enim scriptum est, ut incutiat audientibus metum. Post pulchritudinem, post nomen magnum Jerusalem misera fornicatur. Ideo *ne glorieris in crastinum; non enim scis, quid pariat adveniens dies.* Et alibi: *Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo peccato, vos ut spiritales sustinete istiusmodi in spiritu mansuetudinis.* Et rursum: *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Et exiit nomen tuum in gentibus in specie tua, quoniam consummatum erat in decore speciei, quam constitui in te, dicit Adonai Dominus. Et confisa es in decore tuo.* Magna sapuit, & conscientia pulchritudinis suæ erecta est speciosa Jerusalem. Et quia alta sapuit, nec se humiliavit, nec glorificavit Deum, audi quid dicatur ad eam: Galat. 6.

Et

Et fornicata es in nomine tuo, & effudisti fornicationem tuam in omni transitu. Quid est hoc, quod ait effudisti fornicationem tuam in omni transitu? Circuit animas nostras fortitudo contraria, & varie perlustrans, quærit locum, per quem possit irrumpere. Ira suo nomine vult fornicari mecum: juxta conjuncta moribus meis suo nomine tristitia, & vult me facere mœrentem: sua parte avaritia infert desiderium auri & argenti, & quorumquumque similium: si me non custodiero, & clausero ostium meum, sed suscepero omnem orationem inimici, dicitur mihi: *Effudisti fornicationem tuam in omni transitu, & accepisti vestes tuas, & fecisti tibi idola futilia.* De his quibus te ornavi, qui- A bus pulchra facta es, fecisti tibi idola futilia. Volo adhuc exponere, quæ sunt idola futilia, quæ quidem de vestibus consuerunt. Vestes divinæ Scripturæ sunt, & sensus, qui est in eis. Consciderunt has vestes hæretici, & consuerunt, dictum dicto, verba verbis jungentes, sed non cum opportuna junctura aptaque, & consuentes, impia sibi simulacra fecerunt, quibus illexerunt quosdam credere, & con- B sentire ad cultum eorum, & fictam suscipere disciplinam. Deus vero omnes nos ab his, & aliis simulacris liberet, ut magnificemur in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA SEPTIMA

De eo quod dicitur: *Sumens de vestimentis meis fecisti tibi excelsa hinc inde consuta* usque: *Et ne sic satiata es.* Cap. XVI.

CAtalogus peccatorum Jerusalem, utquumque fuerit intellectus, ædificat audientem. Quomodo enim si in domo sua quempiam de familia Dominus corripiat, & peccata ejus exponat, alius qui nuper emtus est servus videns patris familiæ disciplinam, quæ culpet, quæve collaudet, instruitur ad non facienda ea, quæ priores fecere conservi, & ad hoc omni labore festinat, ut ea faciat, per quæ alii honorem, & libertatem a Domino promeruerunt: ita & nos audientes, in quibus culpet Deus sive Jerusalem, sive universam Judæam, sive unam quamlibet ex tribubus specialiter delinquentem, non parum utilitatis accipimus, ne & in hæc corruamus, in quæ cæteri corruerunt. Est autem principium hodiernæ lectionis, quia vestes a Deo acceperit Jerusalem, & fecerit ex his sibi futilia quædam simulacra, & fornicata sit super eis. De quibus juxta possibilitatem meam in priori sermone disserui, docens istos, qui Scripturas lacerant, & a verbis verba disrumpunt consuentes ea, & commentitia dogmata componentes servire idolis, quæ earum vestibus induerunt. *Non in tabernaculum meum intrabis, foris es, & foris manebis.* Scit Scriptura, sanctos intus, peccatores foris esse. Igitur Jerusalem, quia talia C peccata commisit, ut non mereatur intrare repromissiones Dei, & dicatur ad eam: *& non intrabis*: caveamus ne forte & nobis dicatur, *& non intrabis. Neque fiet.* Non est completum hoc, quod dicitur: *neque fiet*, & ideo subaudiendum *extrinsecus*, ut sensus possit expleri. Ea quæ tibi repromissa sunt bona, & acceptura eras, non fient. Sequitur aliud delictum: *Et accepisti vasa glorificationis tuæ de argento tuo, & de* D *auro tuo, ex quibus dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas.* Secundum communem sensum sic intelligi potest: Vasa glorificationis, de quibus Moyses scripsit in Numeris thuribula, phialas, candelabrum aureum, arcam ab intus & a foris deauratam, & cætera cepisti, & conflasti ea, & fecisti effigies masculinas & fornicata es in eis. Secundum allegoriam vero ita explanabitur. Vasa aurea & argentea, E id est, thuribula phialas, & cætera istiusmodi habemus in sacris literis, quando ergo torquemus sensus Scripturæ in alterum sensum, qui est contrarius veritati, verba divina conflamus, & res Dei in alias mutamus effigies. Quæ facientes incidimus in peccatum, quod nunc commiserat Jerusalem. Vasa glorificationis nostræ sunt lex, & Prophetæ, super his exultamus, in his efferimur. Quos cum aliter exponimus

Num. 7.

nimus, quam se veritas habet, convertimus vasa glorificationis nostræ de argento rationabili, & de auro sensibili, quod nobis dedit Deus, & facimus nobis imagines masculinas, & fornicamur in eis. Sequitur: *Accepisti vestimenta varia, & operuisti illa*. Varia vestis est: & hic unus de Scripturis locus, quo induimur, assumentes viscera misericordiæ, benignitatis, humilitatis, mansuetudinis, longanimitatis, ad sufferendum invicem. Has varias vestes, & pulchros amictus, quos nobis largitus est Deus, si laceramus, atque conscindimus, & circumdamus falsæ doctrinæ ad deceptionem hominum, non dubium est, quin variis vestibus operiamus idola. Intelliges autem hoc quod dicitur, si ipsam rem manifestius describamus. Vide mihi aliquem Marcionistam, sive discipulum Valentini, aut certe cujuslibet hæresis defensorem, & considera, quomodo idola sua, idest, figmenta quæ ipse composuit, mansuetudine, & castitate vestiat, ut in aures audientium facilius ex vitæ bonitate ornatus sermo subrepat. Et cum hoc fecerit, intellige eum assumsisse vestem variam morum, & conversationis optimæ, & idolis subjecisse, quæ ipse construxit. Ac juxta mei quidem animi sensum multo nocentior est hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina sua habet auctoritatis eo, qui doctrinam conversatione maculet. Qui enim vitæ pessimæ est, non facile homines ad falsum dogma sollicitat, nec potest per umbram sanctitatis audientium decipere simplicitatem. Qui vero sermone perversus est, & disciplinis saluti contrarius, mores autem compositos & ornatos habet, nihil facit aliud, nisi accipit indumenta varia instituti boni, & conversationis quietæ, & circumdat ea idolis suis, ut magis decipiat audientes. Idcirco sollicite caveamus hæreticos, qui conversationis optimæ sunt, quorum forte vitam non tam Deus, quam diabolus instruxit. Nam quomodo quasdam illecebras escarum aucupes proponunt, ut facilius aves capiant per oblectamentum gulæ, sic (ut audacius dicam) est quædam castitas diaboli, id est, decipula humanæ animæ, ut per istiusmodi castitatem, & mansuetudinem, & justitiam possit facilius capere, & falsis sermonibus irretire. Diversis diabolus pugnat

Hæreticus bonæ vitæ nocentior.

Castitas diaboli.

A insidiis, ut miseram perdat hominem, & bonam malis tribuit vitam ad decipiendos videntes, & malam bonis inurit conscientiam. Mihi ipsi, qui in Ecclesia prædico, laqueos sæpe tendit, ut totam Ecclesiam ex mea conversatione confundat. Et ideo plus hi, qui sunt in medio, oppugnantur ab inimico, ut per ruinam unius hominis, quæ celari non potest, omnibus scandalum fiat, & impediatur fides per conB versationem pessimam Clericorum. Omnia ut diximus diabolus operatur, & ea quæ videntur esse bona, nec sunt, & ea quæ per naturam suam mala sunt, omnia adversum humanam commentatur animam. Unde qui curam habet vitæ suæ, neque mansuetudine hæreticorum capitur, ad consentiendum doctrinæ eorum, neque meis delictis, qui videor in Ecclesia prædicare, scandalizabitur; sed ipsum dogma conC siderans, & pertractans Ecclesiæ fidem, a me quidem aversabitur, doctrinam vero suscipiet secundum præceptum Domini qui ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia quæcumque vobis dicunt, audite, & facite: juxta opera autem illorum nolite facere: dicunt quippe, & non faciunt*. Iste sermo de me est, qui bona doceo, & contraria gero, & sum sedens super cathedram Moysi quasi Scriba & Pharisæus. PræceD ptum, tibi est, o popule, si non habueris accusationem doctrinæ pessimæ, & alienorum ab Ecclesia dogmatum, conspexeris vero meam culpabilem vitam, atque peccata, ut non habeas juxta dicentis vitam tuam instituere, sed ea facere, quæ loquor. Nullum imitemur, & si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus Jesus. Descripti sunt actus Apostolorum, & Prophetarum E gesta de sacris voluminibus agnoscimus: illud exemplar firmum est, illud propositum solidum, quod qui sequi cupit, securus ingreditur: si vero quærimus nobis culpabiles, ad æmulandum, ut cum dicamus, ille docet, & his quæ docet, facit ipse contraria, adversum præceptum Domini facimus, qui mandavit doctrinas magistrorum magis considerari debere, quam vitas. Hæc dicimus de eo, quod scriptum est: *Accepisti vestem tuam versicolorem, & operuisti illa*, id est, vasa glorificationis, quæ in idola commutasti. Sequitur:

Matth. 23.

Doctrina magistrorum magis consideranda quam vita.

Apoc. 8. tur: *Et oleum meum, & incensum meum posuisti ante faciem eorum*. Scriptura docente, didicimus, quia Sanctorum oratio sit incensum. Ait enim: *Incensum autem orationes Sanctorum sunt*. Si ergo instituti ad orationem cum illam Deo debeamus offerre, id est, Deo Legis & Prophetarum, Deo Abraam, Deo Isaac, Deo Jacob, & Patri Jesu Christi offerimus, quæ ipsi confinximus, intantum ut incensum Dei proponamus idolis, facimus id quod dicitur in præsenti: *Oleum meum, & incensum meum, posuisti ante faciem eorum*. Verum iste de incenso sit intellectus. Quid respondebimus de oleo? Oleum est, quo vir sanctus ungitur, oleum Christi, oleum sanctæ doctrinæ. Cum ergo accepit aliqus hoc oleum, quo ungitur sanctus, id est Scripturam sanctam instituentem quomodo oporteat baptizari: *In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*: & pauca commutans unxerit quempiam, & quodammodo dixerit, jam non es cathecumenus, consequutus es lavacrum secundæ generationis: talis homo accipit oleum Dei, & incensum, & ponit illud ante faciem idolorum. *Et panes meos, quos dedi tibi, simila, & melle, & oleo cibavi te*. Ecce panes nostri simila mundissima in Scripturis, & mella apum Prophetarum. Ista omnia dedit nobis Deus, & cibavit nos de panibus Prophetarum, & de simila Legis, melle Evangelii, e quibus cibati ponimus eadem ipsa idolis. Cum enim ex dogmatis falsis volentes assumere defensionem, dixerimus, scriptum est in Propheta, testatur Moyses, loquitur Apostolus, quid aliud facimus, quam accipientes panes veritatis, proponimus eos simulacris, quæ ipsi finximus? Marcion fecit idolum, & proposuit ei panes Scripturarum. Valentinus, Basilides cæterique hæretici fecerunt similiter. *Et posuisti illa ante faciem eorum in odorem suavitatis*. Naturaliter suavissimi odoris sunt hæc, quæ nobis largitus est Deus. Quem odorem suavissimum ante idola ponit, qui adversum potestatem Scripturarum aut gerit, aut intelligit. *Et factum est, dicit Adonai Dominus, & accepisti filios tuos, & filias tuas, quas genuisti, & immolasti illos in consumtionem*. Quum genuerit peccatrix Jerusalem filios & filias, finis eorum, qui nascuntur, occisio est. Neque enim salus

Nihil in Baptismo commutandum est

A finis est pessimorum. Idcirco scriptum est: *Immolasti eos in consumtionem. Quam modica fornicata est: interfecisti natos meos, & dedisti eos*. Proprie ait: *Accepisti filios tuos*: significanterque addidit: *Occidisti natos meos*. Quiquumque enim nascuntur in hæreticorum doctrinis, & ibi fidei suæ principia sumserunt, hi filii sunt fornicariæ & peccatricis Jerusalem. Qui autem natus est in Ecclesia, & deceptus postea fuerit hæ-B retica falsitate, iste cum filius Dei sit, apprehensus est a peccatrice Jerusalem, & positus victima idolis ejus. *Hoc supra omnem fornicationem tuam, & abominationes tuas*. Filios Ecclesiæ accipere, immolare idolis, hoc supra omne peccatum tuum est. *Et non fuisti memor diei infantiæ tuæ cum eras nuda, & turpiter agens*. Præfatus est de nuditate, & turpitudine Jerusalem. Oportuit ergo in iniquitate meminisse C quomodo pennas meas expanderim super te, & assumserim te de sanguine tuo, & laverim te. Tu vero horum omnium oblita fuisti. Hæc, quæ condecent nudam, & turpiter agentem, & commixtam in sanguine suo. *Et factum est post omnes malitias tuas: væ, væ tibi, dicit Adonai Dominus. Et ædificasti tibi domum meretriciam, & fecisti tibi expositionem in omni platea*. Si consideres animam expositam amatori-D bus suis, videbis quomodo faciat domum meretriciam, & suscipiat omnes, quos prædiximus amatores. Intellige vero quod dicimus, ex sequentibus, idest, qui sunt amatores Jerusalem. Anima humana multum speciosa est, & mirabilem habet pulchritudinem. Artifex quippe ejus cum eam primum conderet, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Quid hac pulchritudine & similitudine pul-E chrius? Quidam ergo adulteri, & sordidi amatores decore ejus illecti desiderant eam corrumpere & fornicari super eam. Quamobrem sapiens vir Paulus dicit. *Timeo autem, ne forte ut serpens decepit Evam in nequitia sua, sic corrumpantur sensus vestri*. Sensus nostri in fornicatione carnali corrumpuntur: in spiritalibus vero stupris sensus corrumpitur, & ipsa anima vulneratur. *Et contaminasti speciem tuam*. Etiamsi non homo in peccatis maximis constitutus, tamen quia ingens est animæ pulcritudo, minorum quoque societate turpatur. Respice virtutes animæ, quæ

Gen. 1.

2. Cor. 11.

Animæ pulchritudo.

Animæ pulchritudo.

quæ ei insitæ sint a Deo, vide pulchritudinem ejus, inventionem, dispositionem, eloquutionem, memoriam, pronuntiationem, cujus sit ingenii, quomodo primum intelligat, inde intellecta dijudicet, ut incitetur ad sensus, ut menti sensa commodet, quos habet impetus, quos cogitatus de Deo. Hæc possidens magnæ pulchritudinis est, sed hæreticorum sectis, & extranea religionis institutione corrumpitur. *Et transierunt crura tua per omnnem transitum, & multiplicasti fornicationem tuam.* * Est fornicatio a fornicatione differens: & quomodo in fornicatione carnis est aliquis non nimiæ fornicationis, & tamen fornicatione pollutus, alius vero multiplicans fornicationem suam: sic & in ea fornicatione, quæ animam suam sensumque commaculat, alius multitudine fornicationis obruitur, alius vero non tam a fornicatione est seductus. Idcirco qua mensura mensi fuerimus remetietur nobis. *Et fornicata es in filios Ægypti confines tuos.* Filii Ægypti contrariæ fortitudines sunt. Nec mirum est si confines nostri Ægyptii dicantur: confines Ægypti, & Jerusalem in sua civitate sunt positi, qui sunt magnis carnibus. Non quia isti Ægyptii ingentes carnes habeant (& quidem honeste videtur pudenda eorum, immutato vocabulo, significasse, id est magnis carnibus) sed quia carnei intellectus magnarum nos carnium faciant: ut econtrario est quædam caro deficiens, de qua dicitur: *Quomodo caro mea in terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Fornicatur igitur Jerusalem super filios Ægypti, confines suos, & magnarum carnium. *Et multipliciter*, inquit *fornicata es ad me exasperandum.* Multas species fornicationis commisisti ad me concitandum. *Quod si extendero manum meam in te, auferam legitima tua, & tradam te in animas eorum, qui te oderunt filios alienigenarum.* Vides quia in animas alienigenarum traditur, quæ indigna sit usu Legis, & sermonum Dei. *Qui te diverterunt de via tua, impie egisti, & fornicata es super filios Assur.* Primum super filios Ægypti, deinde super filios Assur. Hæ species peccatorum sunt. Nam & cum captivos acceperunt Assyrii filios Israel, sanctum est quidem id quod Scriptura refert, scriptum est autem propter frequentem nostram captivitatem quæ a spiri-

* al. Et

A talibus Assyriis perpetratur: de quibus Apostolus dicit: *Non est nobis certamen adversus carnem & sanguinem, sed adversum spiritalia nequitiæ.* *Et nec sic satiata es, & fornicata es, & non satiaberis.* Quando quis non impletur delinquens: sed semper prioribus peccatis nova peccata conjungit, colligans ut fune longo, & sicut loro jugi vitulæ iniquitates, nunquam se ad meliora convertens, neque pœnitentiam agens, super malis B suis, dicitur ad eum: & non satiaberis, *Et multiplicasti testamenta tua ad terram Chanaam.* Qando Deus ad nos facit testamenta, & nos consentimus ei, beati sumus: quando vero fornicamur ad spiritalia nequitiæ, tunc convertimus Dei testamenta ad terram Chanaam, * pactum statuimus cum ea. Hoc autem mihi intellige & in Chaldæis, & in cæteris gentibus, quando in quolibet aliquo peccato reprehendi- C mur. *Et testamenta ad Chaldæos, & nec sic satiata es.* Post catalogum peccatorum, ad peccatricem loquitur Jerusalem. *Quid constituam in te, dicit Adonai Dominus, cum facias tu hæc omnia opera mulieris fornicariæ procacis?* Ascendamus paulisper eloquio, quia non semper utile est de fornicationibus loqui, & procul absit, ut aliquis in Ecclesia sit, qui dehortatoriis a fornicatione indigeat sermonibus. Nam si D quis necesse habeat audire: *Non fornicaberis*, sed illud: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus:* iste similis est his, quos Apostolus dicit: *Justo lex non est posita, sed iniquis, & non subditis, impiis, & peccatoribus.* Quomodo ergo juxto lex non est posita, verum iniquis & non subditis: sic doctrina ea quæ a fornicatione monet recedendum, casto non est posita, sed iniquis, & fornicatoribus, & inobedientibus. Non habemus itaque necessarium, ut discamus E a fornicatione discedere, verum ad perfectiora tendamus a principiis elementorum Christi. Etenim cum deberetis, ait, magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis sermo, qui præcepit, Non fornicaberis, non adulterabis, non furaberis, non solida esca est, sed quasi lac præbetur infantibus. Athletarum cibus est de omnipotenti Deo, de mysteriis ejus, quæ tecta sunt, & latenter

Eph. 6. * al. factum Exod. 20. 1. Cor. 3. Heb. 5. Rom. 13. Decalogus non solida esca, sed lactea.

ter in Scripturis significata sentire. Vide quomodo ad Corinthios Paulus loquitur: *Lacte vos potavi non cibo, necdum enim poteratis, sed neque nunc potestis.* Et quia lacte adhuc indigebant, & discunt, quæ discere parvuli solent: *Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem*, & cætera. Rursumque instituuntur, ne immolatitia comedant. Ista omnis doctrina lac parvulorum est, & adhuc infantium in Christo. Quomodo vero Ephesiis scribitur, solidum illis præbet cibum. Non auditur quippe in Ephesò fornicatio, non auditur in Epheso idololatria, & esus immolationum. Ex quibus docemur, quid sit solidus cibus, & quod rationabile & sine dolo lac: moralis locus, quod sit solidus cibus mysticus intellectus. Beatum est igitur, ut festinemus ad ea, quæ imperfectiora sunt principia transeuntes. Et quod moralis locus lac sit, Apostolus docet, cum jam aliqua de lacte dixisset addens: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Tales omnes sunt qui adhuc lacte potantur: perfectus autem aliis indiget disciplinis. Hæc in medio dicta sint, quia sermone conscenderam, A ne ab alterius expositione fornicationis statim aliam fornicationem incurrerem, quam nunc explanabo. Dicitur quippe ad Jerusalem: *Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.* Quid est quod ait, quod tripliciter fornicata est in filiabus suis Jerusalem? Dei indigemus auxilio, ut ipse nobis obscuritatem istius loci edisserat. Et quomodo Moses audiebat Deum, & deinde ea quæ a Deo audierat, proferebat ad populum: sic B nos indigemus Spiritu Sancto loquente in nobis mysteria, ut orationibus nostris Scripturam possimus audire, & rursum quod audivimus, populis intimare. Quid est ergo: *Tripliciter fornicata est in filiabus tuis?* Si intelligas fornicationem carnis, & animæ, & spiritus, & videas aliquem fornicari in his omnibus, videbis tripliciter fornicantem Jerusalem. Qui vero tripliciter castus est, iste ab Apostolo meretur audire: C *Deus autem pacis, sanctificet nos per omnia, ut integer spiritus noster, & anima, & corpus sine querela in Adventu Domini nostri Jesu Christi servetur*, cui est gloria & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.

1. Cor. 3. | 1. Cor. 7. | Solidus cibus mysticus intellectus lacteus moralis. | Heb. 6. | 2. Tim. ult.

HOMILIA OCTAVA.

De eo, quod scriptum est: *In quo constituam cor tuum, ait Dominus Deus, cum facias tu hæc omnia opera meretricis procacis*, usque ad illud: *Dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis.*

QUæ primum lecta sunt, exposuimus hodie, sumamus exordium ab eo, quod scriptum est: *In quo constituam cor tuum, dicit Adonai Dominus, cum facias tu hæc omnia opera meretricis procacis? Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.* Hucusque jam diximus. Sequitur: *Quando lupanar tuum ædificasti in capite omnis viæ, & basem tuam fecisti in omni platea, & non es facta ut meretrix congregans mercedes. Mulier, quæ mœchatur similis tibi, a viro suo accepit mercedes, & tu dedisti mercedes: omnibus amatoribus suis dedit mercedes, & tu dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis, & honorabas eos, ut venirent ad te in circuitu a fornicatione tua.* Et homo hominem constituere potest, malus in malo, bonus in bono. *Corrumpunt enim mores bonos confabulationes pessimæ.* Nec dubium quin loquen- D tis sermo auditorem ad pejora sollicitet, cum hæreticus loquens constituat auditorem suum in hæretica pravitate. Et ut ad meliora veniamus, si potest prodesse, qui loquitur, & vita ejus cum sermone consentit, in bonis constituit auditorem suum. Nos qui minimi sumus loci, si audierimus verbum de castitate præcipiens, constitui super eos conamur. Si ipsi loquimur de pudicitia, & nosmetipsi auditores statuimus in pudicitia. Si de justitia prædi- E camus, ad justitiam impellimus. Si de fide, fidem insinuamus, ut digne majestati divinæ obediamus in Domino. Si ergo nos homines cum simus mali, solemus constituere cor audientis, sive in bonis, si boni sumus, sive in malis, si male agimus: putasne quod Deus non habeat potestatem quempiam in melioribus constituere? aut certe derelinquens

Hæretici colloquium | periculosum.

 eum,

eum, fieri ei occasio, ut in pessimis A constituatur? Multum utique juxta præsens eloquium peccavit misera Jerusalem, quam sæpissime voluit Deus per Prophetas suos in melioribus constituere: sed quia noluit consilia audire, noluit Dei recipere præcepta, dubitat Deus, & se dicit nescire quid faciat. *In quo constituam cor tuum, dicit Adonai Dominus?* Quid faciam? in quo constituam? Multis peccatorum vinculis stringeris, delicta tua prohibent vi- B tam tuam, ut a meis sermonibus constituaris. Ego ipse frequenter constituere volui, loquens tibi per sanctos meos, & non audisti. Nunc ignoro quid faciam, & dico tibi, *In quo constituam cor tuum, dicit Adonai Dominus, cum tu facias hæc omnia opera mulieris meretricis & procacis?* Sæpe diximus, quia fortitudines contrariæ amant pulchritudines animæ humanæ, & quando suscipit anima humana semina amatorum suo- C rum, quodammodo fornicetur cum eis: sed quia & in communi vita sunt aliquæ meretrices, quæ fornicantur cum verecundia latere cupientes: aliæ vero, quæ non solum pudore delicta non velant, sed cum omni se procacitate prostituunt: ideo assumsit exemplum animæ meretricis in peccatrice ista Jerusalem, & ait eam similem factam mulieris fornicariæ procacis in fornicatione sua. Sæpe a nobis talia committuntur. D Qui enim a religione non penitus recesserunt, vincuntur vero a peccato, & peccantes latere desiderant, similia faciunt meretrici erubescenti. Qui vero religionem penitus aversantur intantum, ut non curent de Episcopo, de Presbyteris, de Diaconis, de fratribus, sed cum omni procacitate delinquunt, similes fiunt meretrici cum fiducia prostitutæ. Queritur ergo in præsenti loco de peccatrice Jerusalem Deus, quia fa- E cit opera mulieris meretricis inverecundæ, & dicit ad eam: *Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.* Exposuimus hoc, quando nobis dictum est: *Ædificasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & basem tuam fecisti in omni platea.* Volumus autem & nunc interpretari quid sit ædificare lupanar, non similiter in omni via, sed in capite omnis viæ, ne sufficisse videatur ædificasse lupanar in capite omnis viæ, sed insuper & basem suam posuisse in omni platea. Duo ergo generalia peccata peccavit, cum ædificavit lupanar suum in capite omnis viæ, & cum fecit basem, & constituit eam in omni platea meretrix Jerusalem. Quæ sunt ergo istæ viæ? *State in viis, & interrogate semitas Domini æternas, & videte quæ sit via bona, & ambulate in ea.* Multæ sunt viæ sempiternæ, si retinetis eam expositionem, quam frequenter exhibui. Scitis & Moysem viam esse, & singulos Prophetarum. Et quomodo multæ sunt margaritæ, quas necesse est possidere eum, qui venturus est ad unam pretiosissimam margaritam: sic oportet ingredi multas vias Mosi, & Prophetarum omnium eum, qui venturus est ad dicentem: *Ego sum via.* Sed dicit mihi aliquis: Quid ad propositum pertinet, quod loquutus es? Cui sic respondebo: *Ædificavit in omnia via Jerusalem lupanar suum.* Si consideraveris hæreticos omnes alienos a veritate, ædificantes domum ex his sermonibus, qui in Mose leguntur, ex his, quos in Isaia, & Jeremia, & Prophetis reliquis invenerunt, intelligis novas doctrinas fornicationem esse Jerusalem, quæ ædificat lupanar suum in omni via, sed in capite omnis viæ. Si enim præventus quis fuerit post principium Mosi, exordium Prophetarum, ad profundum ejus, & scientiam omnium pervenire, nihil potest facere ista meretrix ædificans lupanar in capite omnis viæ: eum quærit, qui primum Ecclesiam ingreditur, qui fidei elementa suscipit, qui rudis est in sacramentis, eum, qui in exordio fidei constitutus est, vult introducere in lupanar suum, ædificans meretricem domum. Et quia frequenter fornicatio in Scripturis nominatur, exponere volo sermonis istius caussam. Ecclesiastici, qui in Ecclesia sunt magistri, mores purgant tam suos quam suorum, & ex hac diligentia ædificavit domum Dei Ecclesiam, & opus eorum ædificatio Dei est. Hæretici ædificant lupanar in omni via: ut puta magister de officina Valentini, magister de cœtu Basilidis, magister de tabernaculo Marcionis, & cæterorum hæreticorum ædificant meretrici domum. Congregatio enim omnium malignorum lupanar est. Sed quid dicit Scriptura? *Fili, ne intendas in malam mulierem; mel enim distillat de labiis mulieris meretricis.* Unde ei mel distillat? Distillat enim mel de labiis mulieris meretricis. Ingressa est ad Mosen, ad Isaiam, ad Jeremiam, & de Scripturis eorum sibi mella collegit.

Moses via.

Joh. 11.

Lupanar cœtus hæreticorum.

Prov. 5.

git. Vade ad hæreticos loquentes, Hæc dicit Moses, hæc Isaias, hæc Jeremias, & videbis quomodo de labiis eorum non fluant mella, sed distillent decerpentium de Scripturis verba paucissima. Et ideo, *mel distillat de labiis mulieris meretricis*. (Prov. 5.) In capite ergo omnis viæ ædificat lupanar. Esto, intellectum sit lupanar, interpretemur & basem, quam in omnibus plateis posuit meretrix Jerusalem. Scriptum est in alio loco, quomodo in plateis manifeste advocat prætereuntes meretrix: varie quippe peccatum nos ad se trahere festinat, sive per hæresim, sive per gentilem conversationem. Et per hæresim quidem, quando ædificat lupanar in capite omnis viæ: per gentilem autem conversationem, quando basem ponit in omnibus plateis. *Lata est* enim, *& patens via*, *quæ ducit ad perditionem*. (Matt. 7.) Cum ergo quæ dicit, & in quibus audientes instruere conatur, de Scripturis asserit, ædificat lupanar in capite omnis viæ. Cum vero moralis locus fuerit dissolutus, & luxuriosa præcipiens, lascivum fecerit auditorem, quid aliud fecit, quam basem posuit in omni via? *Non est facta ut meretrix*, *congregans mercedes*. Videamus meretricem mercedes congregantem, & aliam rursus non congregantem. De hac enim quæritur quasi de meretrice non congregante mercedes. Cum videro esse meretricem, quæ non congreget mercedes, & legero ad istam dictum, quia facta sit ut meretrix non congregans mercedes, dicam congregari mercedes, esse peccando divitem fieri, peccando gloriam in sæcularibus comparare, peccando feliciter in mundo agere. Quando per peccatum, ut dixi, ista nascuntur, fornicatur anima, & congregat mercedes fornicationis suæ, gloriam, divitias, & reliqua quæ in perditionem animæ suæ conquisivit: quando vero fornicatur, & non agit prospere in sæcularibus rebus, sed per hoc, quod peccavit, etiam infeliciter vivit in sæ-

A culo, meretrix est non congregans mercedes, & contraria faciens, id est, fornicariis mercedes ultro tribuens. *Et tu dedisti mercedes omnibus amatoribus tuis*. Nonnumquam anima divites facit amatores suos, lætantes in eo, quod acceperint mercedes ab ea. Sed dicit mihi auditor, manifestius expone, quomodo (Erat audi-tor.) fornicetur anima, mercedes tribuens de rebus viri sui. Sic enim ait & in præsenti, & in aliis frequenter locis sermo B divinus, quia sustulerit ea, quæ sunt viri, & dederit meretrix Jerusalem amatoribus suis. Quid est hoc, quod largitus est ei vir suus, quæ postea facta adultera, omne quod accepit, donat amatoribus suis? Vir animæ sermo Dei est, sponsus amator verus, qui dedit ei castitatem, dedit justitiam, dedit cætera bona. Quando ergo voluerit anima sequi fortitudines contrarias, idest (ut planius dicam) decem annis pudice vi- C vens ad extremum fuerit fornicata, accipit bona viri sui, quæ multo tempore cum labore quæsierat, & dat ea amatoribus suis. Qui sanguinarii amatores rapiunt ad se virtutes miseræ animæ, & incedunt jactabundi super divitiis ejus, & dicunt: Abstuli ei decennalem castitatem, eripui ab ea quinquennii justitiam, vendicavi mihi fortitudines ejus: oblitus est omnium bonorum ejus Deus, quæ aliquando fecit, quoniam compre- D hensa est in peccato, & oblitus est ejus, quia confessa est nobis amica nostra secreta, quæ audierat, & tradidit omnia bona nobis amatoribus suis. Quæ discentes omni custodia servemus cor nostrum, & attendamus, ne quando ea, quæ viri sunt tradantur amatoribus suis: quin potius invitemus sponsum sermonem & veritatem, ut nobis faciat ornamenta aurea variis expressa signis, per varia præcepta, & ornati effecti præpa- E remur viro nostro Jesu Christo: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum Amen.

HOMI-

HOMILIA NONA

Super Ezechielem de eo, quod dicitur: *Mater vestra Chethæa, & pater Amorrhæus*, usque: *Et manum egeno & pauperi non porrigebat.* Cap. XVII.

QUi legit in principio prophetiæ A Jerusalem, quomodo * increpata sit, quasi habens radicem, & generationem de terra Chanaam, patrem Amorrhæum, matremque Cethæam: is si legerit etiam hæc, quæ nunc interpretari nitimur, putabit eadem repeti, & unum sermonem dupliciter prædicari. Sed qui diligens lector est, & ad curam ejus divinæ Scripturæ significantia pertinet, & confert præterita præsentibus, & verbum verbo componit, videbit B differentiam non fortuitam. Ibi quippe, *radix*, inquit, *tua & generatio tua de terra Chanaam*, quod in præsenti non dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa*, quod nunc non significatur. Et iterum ibi primum ponitur, pater tuus Amorrhæus: secundum, mater tua Cethæa: hic vero: mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus. Ibi quasi ad unam sermo fit: hic quasi ad plurimas. Nec enim (ut superius dixerat) ait, mater tua, sed, mater vestra. Quando ergo diffunditur peccatum, & longius malitia procedit, & peccatores sua inter se peccata discerpunt, tunc non peccator unus, verum in uno sunt plurimi; sicut in exordio, quando erat principium delinquendi, necdum erant tantæ, quantæ nunc sunt multitudines. Unde utile mihi videtur a præsenti sermone paululum recedentem, naturam considerare peccati atque virtutum. Ubi peccata sunt, ibi est multitudo, ibi schismata, ibi hæreses, ibi dissensiones; ubi autem virtus, ibi singularitas, ibi unio, ex quo omnium credentium erat cor unum, & anima una. Et, ut manifestius dicam, principium malorum omnium est multitudo: principium autem bonorum coangustatio, & a turbis in singularitatem redactio: ut puta nos omnes, si salvandi sumus, ad unionem, ut perfecti efficiamur in eodem sensu, & in eadem sententia, & simus unum corpus, & unus spiritus. Si vero tales simus, ut non nos unitas

* al. increpita.

Peccati & virtutis comparatio.

circumscribat; sed & de nobis dici possit: *Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego vero Cephæ;* & adhuc a malitia scindimur, atque dividimur, non sumus futuri ubi sunt illi, qui rediguntur in unionem. Nam ut pater & filius unum sunt, sic qui unum spiritum habent, in unionem coarctantur. Ait quippe Salvator: *Ego & Pater unum sumus.* Et: *Pater sancte, rogo, ut sicut ego, & tu unum sumus, ita & isti in * vobis unum sint.* Et in Apostolo legitur: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis in unitatem Christi.* Et rursum: *Donec perveniamus omnes in unitatem corporis & spiritus Christi.* Ex quo significatur, quia virtus ex plurimis unum C faciat, & necesse nobis sit unum per eam fieri, & fugere multitudinem. Et hæc quidem dicta sunt, quia in præterita lectione conscriptum est: pater tuus, & mater tua, & radix generationis tuæ: in præsenti vero; mater vestra, & pater vester. Ibi non didicimus, licet fuerit sermo de patre Amorrhæo, & de matre Cethæa, sorores habere Jerusalem: hic vero addit: *Mater*, inquiens, *vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus, & soror vestra senior Samaria, hæc & filia ejus, quæ habitat a sinistris tuis, & soror tua junior, quæ habitat a dextris, Sodoma.* Quomodo virtus D me facit filium Abraæ, si secundum eam vixero: opera quippe Abraæ faciens, filius est Abraam: sic vitia faciunt me filium diaboli. *Omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo natus est.* Virtus me facit etiam fratrem habere Christum, ut cum bonus ac bene moratus fuero, dicat Patri suo: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ cantabo te.* Et loquitur ad eam, quæ nuntiare poterat verba ejus: *Vade, & dic fratribus meis.* Quomodo E autem virtus fratrem mihi facit Dominum Jesum, ita malitia plurimos fratres acquirit, & hos peccatores: & hæc ipsa tunc mihi fratres generat, cum cre-

1. Cor. 1.

Unionis bonum.

* al. nob

Joan. 17.

Eph. 4.

Joan. 3.

Psal. 21.

creverit. Siquidem quando exordium erat peccatricis Jerusalem, necdum habebat sororem Samariam, necdum ei erat germana Sodoma: cum vero processit in scelere, ut præteritus sermo monstravit, effecta est media duarum sororum, senioris Samariæ, & junioris Sodomæ. Quæ sunt istæ duæ sorores peccatricis Jerusalem? Schisma & separatio populi fecerunt Samariam. Siquidem eo tempore cum decem tribus cesserunt dicentes: *Non est nobis pars in David, nec sors in filio Jesse*, tunc duæ vaccæ aureæ constitutæ sunt a Jeroboam, & facta est Samaria scissio: quæ magis post captivitatem decem tribuum crevit, quando [a] custodes ab Assyriis ad Israelis terram missi sunt, qui vocantur Samaritani. *Somer* enim *custos* interpretatur lingua Hebræorum. Ergo (ut dicere ceperam) necdum soror mea est Samaria, quandiu a peccatis longe sum: quando vero peccavero, crescunt mihi duæ sorores, senior Samaria, & junior Sodoma. Quæ cujus figuram habeat, consideremus. Quiquumque promittunt verba divina, & non sicut pollicentur, habent in se prædicationis veritatem, hi in Scripturis figuraliter Samaria nominantur. Væ, inquit, spernentibus Sion, & fidentibus in monte Samariæ: vindemiasti principatus gentium. Quasi dixerit: Væ his, qui spernunt Ecclesiam, & confidunt super arrogantia, & verbis tumentibus hæreticorum. Hoc enim est spernere Sion, & confidere in monte Samariæ. Si ergo peccamus & nos Ecclesiastici, non sunt a nobis alieni hæretici in dogmatum pravitate. Male enim credit, quiquumque peccat. Si conversationem malam habemus, Sodoma soror nostra est. Gentiles quippe sunt Sodoma. Atque ita fratres sumus hæreticorum atque gentilium, quando delinquimus; quia Samaria accipitur in hæresi, & Sodoma in gentilitate. Habitat autem a sinistris peccatricis Jerusalem Samaria, a dextris Sodoma. Honorabilius quippe apud eam peccatum est quod facto committitur, & ideo a dextris ejus

3. Reg. 12.

Amos 6.

Male credit quiquumque peccat.

A Sodoma est. Rursumque nec Samaria longe est, quia a sinistris ejus commoratur, & increpatur, quia ambulaverit cum filiabus & sororibus suis in omnibus iniquitatibus, & intantum ambulaverit, ut comparatio delictorum ejus illarum iniquitates fecerit justitiam. Unde oportet agnoscere iniquitates Sodomorum, ut edoctus custodiam me ab eis, nec capiar ignoratione, quæ sunt iniquitates Sodomorum. B *Veruntamen iniquitates Sodomæ sororis tuæ.* Quæ iniquitas? Superbia. *In saturitate panum & in abundantia affluebant ipsa, & filiæ ejus, & manum pauperis indigentis non suscipiebant.* Quod inæqualia sint peccata Scripturis utentibus nulli dubium est. Alia quippe magna, alia minora ab his esse dicuntur. Cum autem sunt inæqualia, hoc est, parva, vel maxima, forsitan aliquis inquirat, quod inter C universa peccata sit majus, & proclive suscipitur, omnium peccatorum esse majus, sive fornicationem, sive immunditiam, sive quodquumque libidinis inquinamentum. Sunt quidem & ista vere abominabilia atque polluta, sed non talia quale hoc, quod nunc ab Scriptura quasi majus omnium condemnatur, a quo nos observare debemus. Quod ergo est peccatum majus omnibus peccatis? utique illud D propter quod, & diabolus corruit. Quod est hoc peccatum in quo tanta sublimitas cecidit, ut elatus in judicium incidat diaboli? Ait Apostolus: *Inflatio, superbia, arrogantia peccatum diaboli est*: & ob hæc delicta ad terras migravit de cælo. Unde, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et quid superbit terra & cinis, ut homo arrogantia sublevetur, oblitus quid erit, & quam fragili vasculo contineatur, & quibus stercoribus E immersus sit, & qualia semper purgamenta de sua carne projiciat? Quid enim ait Scriptura? *Quid superbit terra & cinis?* & in vita ejus projecit interanea ejus? Superbia peccatis omnibus major est, & ipsius diaboli principale

Inæqualia peccata.

Superbia peccatorum maximum.

2. Tim. 3.

Eccl. 10.

[a] Paria habet Tom. XXVI. in Joannem, quæ sic Latine sonant: *Hebræi Semer dicunt custodem, sicque tradunt Samaritanos primum appellatos fuisse, quod missi fuerint ab Assyriorum rege ad custodiam terræ Israel, post captivitatem Israelis, qui diversus erat a Juda &c.* Ipse etiam Hieronymus cum alibi, tum præcipue ex Eusebio in Chronico: *Sennacherib rex Chaldæorum ad custodiendam regionem Judæam, accolas misit Assyrios, qui æmulatores Judææ legis facti, Samaritæ nuncupati sunt.* Et constat tamen, non ad custodiendam, sed ad replendam Judæam, & non Assyriorum tantum, sed diversarum quoque nationum colonias missas. Quamobrem & Origenes, & qui eum sequuti plerique deinceps sunt, falso petunt a *custodiendo* Samaritani nominis etymologiam. Coarguit vero illos & locus 3. Reg. 16. 24. *Emitque* (Amri rex Israel) *montem Samariæ a Semer duobus talentis argenti, & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam exstruxerat, nomine Semer Domini montis, Samariam.*

cipale peccatum. Si quando Scriptura diaboli peccata describit, invenies ea de superbiæ fonte manantia. Ait quippe: *Viribus faciam, & sapientia intellectus auferam fines gentium, & fortitudine eorum depascar, & commovebo civitates, quæ inhabitantur, & orbem terrarum universum comprehendam, ut nidum, & quasi confracta ova auferam.* Vide sermones ejus, quomodo superbi sint, quomodo arrogantes, & universa pro nihilo ducant. Tales sunt omnes jactatione & superbia inflati. Materia superbiæ, divitiæ, dignitas, gloria sæcularis. Frequenter caussa superbiæ est ei, qui ignorat habere Ecclesiasticam dignitatem, sacerdotalis ordo, & Leviticus gradus. Quanti Presbyteri constituti obliti sunt humilitatis: quali idcirco fuerint ordinati, ut humiles esse desisterent. Quin potius humilitatem sequi debuerant, quia dignitatem fuerant consequuti, dicente Scriptura: *Quanto magnus fueris, tanto humilia te ipsum.* Et dilectum Synagogæ te facit, nobilius submitte caput tuum: ducem te instituerunt, noli elevari, noli fieri ex eis, quasi unus ex ipsis. Oportet humilem, oportet esse dejectum, oportet fugere superbiam malorum omnium caput. Considera Evangelium quasi condemnatione Pharisæi superbia, & jactatio feriatur. Stabat Pharisæus & talia intra se orabat: *Deus gratias ago tibi, quia non sum ut cæteri homines, raptores, iniqui, adulteri, & ut iste Publicanus: jejuno bis in sabbatho.* At vero Publicanus humiliter & mansuete longius stans non erat ausus neque oculos levare, & dicebat: *Propitius esto, Deus, mihi peccatori.* Et descendit in domum suam Publicanus justificatus. Non simpliciter justificatus: sed justificatus comparatione Pharisæi. Observandus quippe est diligentissime omnis Scripturæ sermo, ordo, junctura. Aliud est justificari, aliud ex alio justificari. Simile est Publicanum a Pharisæo justificatum fuisse illi, quod Sodoma & Samaria ex comparatione peccatricis Jerusalem justificatæ sunt. Et necesse est nos id scire, quia unusquisque nostrum in die judicii ab alio justificetur, & ab alio condemnetur. Etiam cum fuerimus justificati ex alio, justitia illa non tam laudis, quam criminis loco ponitur. Ut puta, si inventus fuero Sodomitica habere peccata, & alius protrahetur

Isai. 10.

Materia superbiæ divitiæ, &c.

Luc. 16.

A in medium, qui duplicia scelera commiserit, justificor quidem, sed justificor non ut justus, verum ut ex comparatione ejus, qui plura commisit, judicor justus, cum a justitia longe sim. Væ illi homini, qui a multis peccatoribus justificatur: ut econtrario multum beatus, qui comparatione justorum, justus ostenditur. Invenimus in Scripturæ laudibus positum, bonis esse meliorem: ut puta, nullus B sic fecit rectum ante faciem Domini, ut ille, & ille, nullus sic pascha celebravit ut Josias. Ex quo ostenditur comparationem fieri justorum, & illum vere esse justum, qui sic justificari mereatur. Utinam & ego collatus sapientibus sapiens reperiar, & justis judicer justus. Nolo quippe justificari ab iniquis, quia talis justitia criminosa est. Hæc anticipans loquutus sum quia in his quæ lecta sunt, dicitur: *Justifi-* C *casti sorores tuas in omnibus iniquitatibus tuis, quas fecisti.* Justificatæ sunt enim Samaria, & Sodoma ex iniquitatibus Jerusalem. *In omnibus iniquitatibus tuis, quas fecisti illas super te.* Idcirco diligentius attendamus, ut possimus agnoscere, omnes nos in die judicii a pejoribus nostris justificandos, & rursum a nobis alios justificari. Unus solus est qui justificatur ab omnibus, & ipse nullum justificat. Ut puta, Sodoma ju- D stificatur ab Jerusalem, quia ab se sceleratiora commisit: & forte Jerusalem ab alia aliqua, quæ se pejor est, civitate. Sic est quidam justificandus ab Antichristo, qui ad illum comparatur, & illius iniquitate ac sceleribus minor reperitur. Pessimus vero dæmon est, & (ut ajunt) miser, qui ab illo justificatur: forte & pater illius ab eo non justificatur, multo illo sceleratior repertus. Dominus ve- E ro meus Jesus Christus justificatur juxta dispensationem carnis, quam ob nostram salutem circumtulit, ab Abraam, ab Isaac, ab Jacob, & a reliquis Prophetis. Quando enim omnibus justis, & Prophetis, ac beatis, quibusque in comparationem missis invenitur contrarium huic, quod dicitur de Sodoma & Jerusalem, magis glorifico Salvatorem nostrum. Quod autem dico istiusmodi est, & Deo largiente, orantibus vobis, præbebo de Scripturis explanationem. Fecit Sodoma peccatum: Samaria quoque peccavit, iniquitatibus obruta est Jerusalem,

2. Par. 35.

Quomodo iniquitas justificet, justitia condemnet.

lem, sed minora peccata a majoribus justificantur sub exemplo, quo Sodoma justificatur, a sorore sua Jerusalem. Quomodo igitur iniquitas justificat, sic condemnat aliquando justitia. Verum quæso exspecta paulisper, donec docearis quemadmodum dicatur condemnare justitia. Iniquitas mea justitia est comparatione majoris iniquitatis. Sic & justitia mea ex comparatione multiplicis justitiæ iniquitas reputatur. Propterea *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. (Psal. 142.) Fuerit licet justus Abraam, & justus Moyses, justus unusquisque illustrium virorum: sed ad comparationem Christi non sunt justi. Lux eorum cum ejus luce composita tenebræ reperiuntur. Et quomodo lumen lucernæ ad solis radios obscuratur, & velut alia quædam cæca materies contenebrescit: sic, licet fulgeat justorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Christum. (Matth. 5.) Luceat quippe lumen vestrum, non simpliciter dictum est, sed luceat ante homines. Ante Christum non potest lumen fulgere justorum. Ut splendor lunæ, & micantia cæli sidera, priusquam sol oriatur in stationibus suis rutilant, orto vero sole, absconduntur: sic lumen Ecclesiæ, ut lumen lunæ, priusquam oriatur lumen illud verum solis justitiæ resplendet, & clarum est ante homines: cum autem Christus venerit ante eum, contenebrescit. (Joan 1.) Dicitur & alibi: *Lux in tenebris lucet*. Quæ est ista lux, quæ lucet in tenebris. (Eph. 6.) Justorum lux in tenebris lucet. In quibus tenebris? ubi est nobis certamen adversus rectores tenebrarum istarum. Hæc qui diligentius longiusque discusserit, non poterit inflari, videns lumen suum ad comparationem majoris luminis tenebras reputari. Quid est justitia mea, etiamsi Paulus Apostolus fiam? quid castitas, etiamsi Joseph? quid fortitudo, etiamsi Judas Macchabæus existam? quid alia virtus sapientiæ, etiamsi Salomon appaream, ad comparationem Dei, & ad eorum, qui meliores sunt? Ergo, ut dicere ceperamus, iniquitas justificat, & justitia aliorum comparatione condemnat. Idcirco: *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris*, (Psal. 50.) dicitur ad Deum. Si me vult salvare Deus non affert in judicium lumen suum: si vult esse incolumen, non defert lumen Christi sui: allioquin puniet me; defert vero lumen minorum, comparans mihi inferiores quosque. Quanto amplius majores mihi melioresque contulerit, tanto plus justus ero, si illi a me reperti fuerint minores. Similiter est illud intelligere, quod ab Apostolo dicitur: *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum: stella enim a stella differt in claritate: sic resurrectio mortuorum*. (1. Cor. 15. 42.) Verbi gratia: fulgens & illud sidus non in conspectu lucidioris stellæ, sed obscurioris micat. Quis nostrum potest adinstar fulgere lunæ? Quis lucidioris siderum corruscare lumine? Secundum id quod scriptum est in Daniele: *Fulgebunt sicut stella in sæcula*. (Dan. 12.) Et hæc quidem necessario disputamus, ut procul a superbia recedamus: Sodomiticum quippe peccatum est superbi iniquitas. Hæc Sodomorum sororis tuæ superbia unde nascatur, & quas habeat radices, adjungit: *In saturitate panum, & in abundantia affluebant*. (Gen. 13.) Si soli literæ attendas, multa abundantia antiquitus in Sodomis fuit. Erat quippe terra eorum ut paradisus Dei, & ut terra Ægypti. (Luc. 16.) Si autem a carnali intellectu ad spiritalem conscenderis, ut videas quomodo superbia Sodomorum in saturitate panum, & in abundantia fluxerit, utilitatem capies & ad vitæ officium, & ad alia quædam majora majoribus corrigenda. Proponamus primum id, quod ante multos dies lectum est, divitem vestitum bysso & purpura, quotidie deliciis luxuriaque lætantem, & Lazarum vulnerum tabe, & vermium pedore confectum, quærentem, solatium famis suæ, micas, quæ de mensa ejus decidebant. Opportune autem nunc in hunc locum exemplum istud incidit, ut perspicuum fiat, quæ iniquitas divitis fuerit. Locuples erat, abundabat deliciis. (Divitis Evangelici, quæ improbitas.) Non enim accusavit eum Scriptura, quasi divitias in iniquitate possederit: non eum criminatus est sermo divinus, quod meretricibus dedit: non homicidam, aut aliud quodquumque scelerum facientem. Sed si consideres hoc, quod in præsenti scriptum est, & illud quod in Evangelio dicitur, videbis quia & illius maximum peccatum inter universa peccata superbia fuerit: in saturitate panum & in abundantia affluens non habuit miserationis affectum ad eum, qui ante portas suas con-

confectus ulceribus jacebat : sed in A tantam superbiam elatus est, despiciens paupertatem : ut non computaret neque inferorum supplicia, neque communia humanitatis jura, quia oporteret hominem humana sapere, & in alienis calamitatibus pro simili conditione sui quodammodo misereri. Est igitur & dives ille Sodomita. Si enim talia erant peccata Sodomæ, ut in saturitate panum & in abundantia fuerit, talis autem est & dives, qui B in Evangelio describitur, nulli dubium, quin dives ille Sodomita sit. Quomodo autem Sodoma, & filiæ Sodomorum superbæ fuerunt, tales sunt arrogantes animæ & filiæ Sodomorum, quæquumque nesciunt dictum : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Hoc erat ei, & filiabus ejus. Dehinc sequitur aliud Sodomæ delictum, quod debemus dicere, ne in simili crimine reperiamur: C *Et manum pauperis & egentis non suscipiebat*. Considera diligenter enumerationem peccatorum Sodomæ. Ego ipse si juxta vires meas manum pauperis & egentis non adjuvero, Sodomiticum habeo peccatum. Sequitur alia accusatio : *Et superbe gloriabatur*. Et jactatio gloriæ Sodomiticum crimen est. Sunt autem quædam Ægyptia peccata, quædam Sodomitica ; sunt alia Babylonica, Alia Assyria, alia Moabitica, & alia Ammantica, D *Quis sapiens, & intelligit ista? aut quis intelligens, & agnoscet ea?* Quotiesquumque legimus ea, quæ de Sodomorum subversione conscripta sunt, non dicamus, miserabiles Sodomitæ, quorum ulterius fructus terra non affert : miserabiles multumque plangendi, qui tam lugubria & tam dira perpessi sunt ; quin potius convertamus hunc in corda nostra sermonem, scrutemur renes & cogitationes nostras, & tunc E videbimus eos quos plangimus, in nobis intrinsecus contineri, & quia Sodomitica, & Ægyptia, & Assyria, & alia universa peccata, quæ castigans Scriptura enumerat, versentur in nobis. Polliciti supra sumus majus aliquid de Scriptura dicturos. Sodomæ in saturitate panis, & in abundantia, atque deliciis, & istiusmodi peccatis delinquenti lex loquitur : *Attende tibi, ne comedens & bibens repletus, & domos bonas ædificans, ovibus tuis, & bobus tuis multiplicatus tibi, argento & auro*

Luc. 18.

Osee 14. 10.

Deut. 32.

multiplicatus obliviscaris Dominum Deum. Et in alio loco : *Manducavit & bibit, & saturatus est & incrassatus, recalcitravit dilectus*. Similia his Salomon in Proverbiis ait : * *Constitute mihi autem necessaria & sufficientia, ut non repletus mendax fiam, & dicam : quis me videt? aut egens furer, & jurabo nomen Dei*. Simpliciterque dicendum, quia nihil sic in arrogantiam elevet, ut divitiæ & saturitas, & cibus opum plurimarum, dignitas quoque & potestas. Est autem etiam ad altiora transgressum videre, quia superbiam frequenter nutriam, si divinum sermonem intellexero, si sapientior cæteris fuero. Scientia quippe inflat : non ego dico, sed Apostolus. Et ideo vereor, ne & ipse fustollar. Dantur & charismata ad id, quod expedit. Si ad hoc dantur, quod expedit, quis est ille, cui non expedit? Et cur non expediat, audi. Inferior sufficit inflationem, & quandam placitionem sui, dum se putat inter cæteros eminere. Sæpe igitur saturitas panum, & abundantia materia est arrogantiæ. Sæpe autem & de spiritualibus donis superbiæ crimen exoritur, & non est utrobique discrimen. Tantus vir Apostolus Paulus necessarium habuit colaphum angeli Satanæ, ut eum colaphizaret, ne elevaretur multum : quia orans & deprecans Deum, impetravit pro multis sæpe, quod petiit : cum autem etiam pro hoc petiisset, nec esset quod petierat consequutus, dictum est ei : *Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur*. Oportet itaque timere eum, qui adhuc in genere humano, & in hac præsenti luce versatur, non solum ea, quæ bona putantur in sæculo, sed etiam quæ vere bona sunt : quia magna non possumus sustinere. Exhibeo ad probationem præsentis sententiæ historiam David, in qua conscribitur in Uriam eum commisisse peccatum. Ante Uriam nullum delictum reperitur in David ; beatus homo erat, & sine querela in conspectu Dei. Quia vero conscius sibi vitæ immaculatæ, loquutus est quod non debuerat, dicens : *Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationi meæ, auribus percipe orationem meam non in labiis dolosis : de vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates : probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniqui-*

* al. Constitue

1. Cor. 8.

2. Cor. 12.

Psal. 16.

niquitas: & hæc dixit, quia visitatio Dei propter conscientiam, & vitæ beatitudinem eidem præsentaretur, tentatus est, & nudatus auxilio, ut videret quid humana possit infirmitas. Recedente quippe præsidio Dei, ille castissimus, ille admirabilis in pudicitia, qui audierat: *Si mundi sunt pueri maxime a muliere*: & acceperat Eucharistiam quasi mundus, non potuit perseverare, sed in eo repertus est crimine, in quo sibi quasi continens applaudebat. Si quis ergo conscius puritatis suæ seipsum glorificaverit, non habens memoriam illius dicti: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepe-* A *ris?* relinquitur, & derelictus discit experimento, quia in his bonis quorum sibi conscius erat, non tam ipse sui exstitit caussa quam Deus, qui virtutum omnium fons est. Ex quibus apparet & saturitatem panum, & dona spiritalia ei, qui ea non potest sustinere, generare superbiam. Idcirco fugiamus a Sodoma, & peccatis ejus: fugiamus a Samaria, & criminibus, quibus castigatur misera Jerusalem, ut in universis Deo nobis fortitudinem mini- B strante, humilitatem, & justitiam consequamur in Christo Jesu: cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

1. Reg.

1. Cor. 4.

HOMILIA DECIMA.

Super Ezechielem, de eo quod scriptum est: *Ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam*, usque: *Et suscitabo ego testamentum meum tecum*. Cap. XVI.

Secunda navis post naufragium erubescere.

PRimum quidem est, nullum opus facere confusionis; sed omnia talia, quæ possunt Deum libera fronte respicere. Quia vero (ut homines) sæpe peccamus, sciendum secundam, ut ita dicam, navem post confusionis opera esse erubescere, & pro sceleribus suis verecundos oculos dejicere, neque sic procaci vultu incedere, quasi nihil omnino peccaverit. Bonum est quippe post confusionis opera confundi: quia sæpe & hoc malitiæ artifex inoperatur, ne peccator ad pœnitentiam redeat, & sic agat quasi adhuc in justitia perseveret. Videre possumus, & ex quotidiana vita discere, multos hominum post peccata sua non solum non lugere, quod fecerunt, verum etiam procaci fronte defendere proprias ruinas. Grande itaque beneficium in Jerusalem conservatur, si tamen credat dicenti Domino: *& tu confundere*. Neque putes ad Jerusalem tantum hæc esse dicta, & non ad singulos nostrum, qui delictis tenemur obnoxii. Unusquisque enim seipsum consideret, quid fecerit confusione dignum, quid turpe loquutus sit, super quo non habeat audaciam quasi dicto bono, quid cogitarit tale quod rubore dignum videtur, ab eo qui cordis & renis occulta considerat: & cum diligenter perviderit cogitationes, facta, C sermones, tunc audierit Prophetam dicentem: *Et tu confundere*. Post quod a Propheta jungitur: *Et accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas*. Sequitur confusionem ignominia, & dat Deus ei, qui confusione digna gessit, etiam ignominiam: dixitque ad eum, *Et accipe ignominiam tuam*. Poteris autem intelligere quod dicitur, si consideraveris, quæ quotidie in civitatibus fiant. Inhonoratio civi est de patria D sua exulare, & infamia decurioni eradi de albo curiæ, & cujuscumque alterius conditionis homini relinqui quidem in vita, sed cum ignominia, sive in operibus publicis, sive in insula aliqua solitudinis vivere. Intellige autem mihi justum judicem ei, qui digna infamia fecerit, dicentem: O tu, qui pœnæ reus es, noli exilium tuum cum mœrore suscipere: non enim mereberis misericordiam, si irasceris ad pœnam: E quin potius intellige digne te pati quod pateris: & cum te humiliaveris, atque dixeris justum de te factum esse judicium, forsitan misericordiam consequeris ab eo, qui potest post condemnationem ad pristinum te statum revocare. Quomodo enim licet magno principi, liberare aliquem de insula, & de exilio, & de publicis vinculis: multo magis licet universitatis Deo eum, qui in-

inhonoratus est, in honorem pristinum restituere, si tamen sentiens delictum suum confessus fuerit digne se sustinuisse quod passus est. Dabo & aliud exemplum de Ecclesiastica consuetudine. Infamia est a populo Dei & Ecclesia separari. Dedecus est in Ecclesia surgere de consessu Presbyterii, projici de Diaconatus gradu. Et quidem eorum, qui abiiciuntur, alii seditiones commovent, alii vero judicium in se factum cum omni humilitate suscipiunt. Quiquumque igitur exiguntur, & dolore depositionis suæ congregant populos ad schisma faciendum, & sollicitant multitudinem malignorum, non accipiunt inhonorationem suam in præsenti; sed thesaurizant sibi thesaurum in die iræ. Qui autem cum omni humilitate sive digne, sive indigne depositi sunt, Deo judicium derelinquunt, & patienter sustinent, quod de se judicatum est, isti & a Deo misericordiam consequentur, & frequenter etiam ab hominibus revocantur in pristinum gradum, & in gloriam, quam amiserant. Doctrina ergo optima est: quomodo hoc quod dicitur: *Et tu confundere*, sic & illud quod sequitur: *Et accipe ignominiam tuam*. Et hæc dico, ut profundiorem aliquem sensum de futura inhonoratione interponam. Et ibi quippe erit aliqua ignominia his, qui dignum opus ignominia fecerant. Siquidem resurgent alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, & confusionem æternam. (Dan. 12.) Quid autem est hoc aliud nisi pœnam infamiæ sustinere? Dum ergo adhuc licet nobis, debemus minorationem nostram patienter ferre, ut cum hic tristitiam fortiter sustinuerimus, in futuro sæculo moveamus (ut ita dicam) viscera misericordiæ Dei, & benignitatem ejus, ut nos revocet in pristinum statum de ignominia, & confusione: quomodo econtrario impossibile est lapidei cordis aliquem, & penitus non sentientem delictum suum, & ante vultum Dei Omnipotentis superbientem, misericordiam consequi. Videmus enim quosdam bonos quidem libenter de se latam ferre sententiam, & ob salutem suam Dei justificare judicium: malos vero blasphemare adversus providentiam Dei, & dicere, non sum digne adjudicatus huic infamiæ, injuste ista perpetior. Si justificamus providentiam, solvimus nostram infamiam. Si vero non recipimus judicia Dei, mul-

A tiplicamus infamiam. Quomodo autem infamiam, sic & supplicia, sic & cætera. Quæ sunt enim huic, accidere consuerunt his, qui a Deo pro delictis propriis condemnati sunt. *Et tu confundere, & accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas.* Plus meremur ignominiam, quando talia facimus, quibus peccatores alii justificentur, ut comparatione delictorum meorum, malorum scelera antiquitus B condemnata misericordia liberet, eo quod ego subsequens pejora commiserim. Dicitur ergo ad peccatricem Jerusalem: *Accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas.* Deinde siquis complevit hoc, quod scriptum est: *Confundere*: siquis prosequutus est sententiam Dei sequentem: *Accipe ignominiam tuam in eo, quod justificasti sorores tuas*: videat etiam gratiam, quomodo pro confusione vicissitudo cle- C mentiæ restituatur, quia non contempserit judicium Dei, sed cum omni humilitate susceperit quod de se fuerat judicatum. Quid ergo repromittitur? *Avertam aversiones eorum aversione Sodomorum, & sororum ejus, in eo, quod justificasti sorores tuas, Sodomam & Samariam.* Sodomam minorem, & Samariam seniorem, ut in præteritis diximus. Avertam aversionem eorum, id est, trium, quarum averterat aver- D sionem, ad meliora convertit: primo Sodomorum, deinde Samariæ, tertio vero Jerusalem. Cum autem, ait, avertero aversionem Sodomorum, & Samariæ, & Jerusalem, tunc in antiquum restituentur: primum Sodoma, cujus priores averterit aversiones: secundo Samaria, quam secundo converterit: tertio Jerusalem, cui tertiæ aversiones tribuuntur. Igitur sanitates peccantibus in aversione Sodomorum, & filiarum ejus, in aversione ipsius Jeru- E salem: & tribuuntur his, qui magis amantur a Deo, tardius. Sodoma quippe justificata ab Jerusalem, prima consequitur misericordiam, idest, gentiles. Samaria vero, hoc est, hæretici, in secundo loco accipiunt sanitatem. Tertio vero, quasi indigni velocioris medelæ in pristinum statum restituuntur, qui fuerunt de Jerusalem. Ante ergo gentiles, ante hæretici clementiam consequentur quam nos: si tamen fuerimus impii, si & nos peccata depresserint. Quanto enim propriores fuerimus Deo, & ad beatitudinem (Sap. 6.)

dinem viciniores, tanto cum peccaverimus longius fiemus ab ea, proximi terribilium maximarumque pœnarum. Justum est quippe judicium Dei, & potentes potenter tormenta patiuntur. Qui autem minimus est, meretur citius misericordiam. Minima est Sodoma: & post eam in comparatione Jerusalem minima, non tamen sicut Sodoma Samaria est: & ideo primum illarum avertit aversiones, & postea Jerusalem dicens: *Avertam & aversionem* B *tuam*. Tertio enim gradu hoc dicitur ad Jerusalem. Unum quando avertit aversionem meam, si inventus fuero Jerusalem, & peccator in medio sororum mearum. Cum audiero: *Ut feras tormentum tuum*. Ideo tertio loco ait: *Avertam aversionem tuam*, & post omnes: *Ut feras tormentum tuum, & dehonesteris de omnibus quæ fecisti*. Est quædam mensura peccati, quam unusquisque recipiet pro eo, quod pec- C cavit. Si habuero quinquaginta peccata, quinquaginta habebo ignominias: si centum, duplicabitur mihi pœna pro factis, & pro magnitudine delictorum tribuetur mihi ignominia. Maximis peccatis magnus cruciatus adjungitur. Deus autem solus verus Judex magnitudines peccatorum, & ignominiæ qualitates, & peccati numerum potest pervidere. Dicitur itaque ad Jerusalem: *Ut feras tormentum tuum, & de-* D *honesteris de omnibus, quæ fecisti in exacerbando me*. Vide econtrario satisfacientem Deum, & quodammodo per hæc verba testantem, quod iram ipse non habeat, sed peccator sibi ad iram concitat Deum. Unde & Apostolus ait: Rom. 2. *An divitias bonitatis, & mansuetudinis ejus, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducat? Juxta autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram*. E Separavit hic sermo iracundiam a Deo. Revera enim iracundia aliud quiddam a Deo est, nec ei ut insita copulatur. Unde & de peccatoribus dicitur: Psal. 77. *Emisisti iram tuam &, comedit eos*. Nemo quod sibi socium est & cognatum emittere potest, verum emittitur quod aliud est ab eo, qui emittit. Sic & nos pec-

A cando irritamus Deum ut mittat iram, quam ipse non habet. Post hæc, idest, post aversionem dicitur: *Sodoma, soror tua & filiæ ejus restituentur sicut erant ab initio*. Venio ad imagines & figuras, & video quanto tempore excruciata Sodoma restituatur in antiquum. Si autem id quod per figuram dictum est, ita se habet, quid de eo fiet, qui vere Sodoma fuerit? Statim post Diluvium decima generatione passa est Sodoma ea, Gen. 19. B quæ in Genesi leguntur. Erat enim prius quasi paradisus Dei, & quasi terra Ægypti: veruntamen factum est Sodomæ id quod etiam nunc vestigiis regionis ejus perspici licet. Ecce quanti jam temporum circuli transierunt, ecce tria millia annorum sunt, & Sodoma nondum est restituta: non illa Sodoma, quæ in signo, & in ænigmate ponitur, sed illa, quæ in veritatis ratione perspicitur. Ajunt Hebræi Sodomam in eum- C dem statum [a] restituendam, in quo & antea constitit, ut rursum paradiso Dei & terræ Ægypti comparetur. Si hoc se sic habet, & sive futurum est, sive non: quærentur enim istiusmodi res apud eos, qui doctissimi sunt; ut autem fiat quod dicitur, complebuntur mihi annorum tria millia, & tunc restituetur * excruciata tribus millibus annorum Sodoma, idest, anima mea: Sodoma, meis pœna peccatis. Grande intervallum tem- D poris inter restitutionem & ruinam positum est. Etiamsi restituaris ita ut antiquitus eras, vide quanta exhaurias mala, quantis primum calamitatibus opprimaris. Hoc autem, quod de Sodoma diximus, & de Samaria quoque intelligere debemus. Et ipsa quippe necdum est restituta, sed ex eo tempore, quo decem tribus ejectæ sunt de Judæa & de Samaria, & captivitatem sustinuit, & nomen accepit, non habens accolas E suos. Restituetur autem & illa, sicut in principio fuit, cum decem tribus fuerint reversæ, ut solvatur id quod scriptum est: *Captivus ductus est populus in Assy-* 4. Reg. 17. *rios usque in hodiernum diem*. Si autem tanto post tempore restituetur id, quod præcessit in signum, quando tu restitueris, si tamen restitueris Samaritana & hæretica anima, quæ simulacris, & feriis

* al. Excruciatur.

[a] Notanda, ut caveas, quam sæpe Adamantius inculcat, falsa doctrina ex Hebræorum cœnosis fontibus derivata, de pœnis damnatorum aliquando finiendis. Quamquam enim incertus & fluctuans in ea opinione videri possit ex eo, quod subdit: *Si hoc se sic habet, & sive futurum est, sive non: quærentur enim istiusmodi res apud eos, qui doctissimi sunt*: & expressius paulo post: *si tamen restitueris*: sunt tamen in ejus passim scriptis pleraque alia, quæ Huetius in Origen. recitat, de ejusmodi ἀποκαταστάσει, sive in pristinum restitutione testimonia, ob quæ male continuo audiit apud Ecclesiæ Patres.

feriis non veris, ac figmentis de Jeroboam corde venientibus credidisti? Quando restitueris, o anima infelix, cum post tanta saecula restituatur exemplum tui? Si autem hoc super Sodoma, & Samaria fit quae justificatae sunt ab Jerusalem, quid dicendum est de ipsa Jerusalem, quae supradictarum * scelera justificavit? Et restituemini sicut ab initio fuistis. Et tu & filiae tuae restituemini sicut fuistis in principio. Scit hoc, quod dicit: *Sicut fuistis in principio*, & Isaias dicens: *Et constituam judices tuos ut prius, & consiliarios tuos ut in exordio*. Et nisi esset Sodoma soror tua in auditu, in ore tuo, in diebus superbiae tuae, quemadmodum nunc opprobrium es filiarum Syriae, & omnibus, quae sunt in circuitu tuo filiarum alienigenarum, quae circumdant te in giro. *Impietates tuas tu porta*. O clementissimum Deum satisfacientem de restitutione, atque dicentem: *Impietates tuas, & iniquitates tuas porta*. Non frustra dico restitueris: sed cum impietates tuas, & iniquitates tuas exhauseris, tunc in locum pristinum restitueris. Quomodo vulnera, quae in corpore sunt, saepe parvo tempore accidunt: medelae vero vulnerum cum tormentis adhibentur ingentibus, non juxta aequalitatem temporis, quo illatae sunt, sed juxta rationem curationis: verbi gratia, in puncto horae [a] fractura manus & pedis contritio accidit: hoc quod in modico factum est, mensibus fere tribus, ac longo tempore vix curatur: sic & voluptas, quae nervos animae succidit, & luxuria, & semel universa peccata, cum in parvo tempore infelicem animam illexerunt, & ad vitia traxerunt, magnum postea tempus in suppliciis & cruciatibus promerentur. Propter quod hoc dicit Dominus: *Et faciam in te sicut fecisti, sicut sprevisti haec praevaricando testamentum meum & memor ero*. Primum quomodo fecisti faciam tibi, deinde memor ero testamenti mei, quod feci tecum in diebus infantiae tuae. Fecit quippe testamentum in diebus infantiae ejus. Diximus autem supra quomodo cum ea fecerit testamentum. Et suscitabo tibi testamentum in aeternum. *Ego occido, & ego vivificabo*, ait. Qui quum ista promittit, dolores facit, & rursum restituet. Percussit, & manus ejus sanabunt. Dicitur in Michaea: *Iram Domini sustinebo, quia peccavi ei, donec justificet ipse caussam meam*. Quomodo justificatur caussa mea? Quando iram Domini sustinuero, qui divitias bonitatis ejus, & patientiae & longanimitatis contemsi, & juxta meam duritiam & impoenitens cor thesaurizavi mihi iram in die irae, & revelationis justi judicii Dei. Et dehonestaberis in eo, quod suscepisti sorores tuas seniores cum adolescentulis, & dabo tibi eas in aedificationem. Supra unam dixit sororem Sodomam, & aliam Samariam, nunc repetit, & dicit sorores tuas seniores, quum senior tantum Samaria sit, & adolescentior Sodoma; verum quia filiae earum eis connumerantur, dicit omnium unam esse speciem. Quantae autem filiae Sodomorum sunt, tantae & Samariae. Et dabo tibi eas in aedificationem, & non ex testamento tuo, & suscitabo ego testamentum meum tecum. Considera finem repromissionis & cognosces quia ego Dominus, ut memineris, & confundaris, id est, cum receperis peccata tua, & rememorata fueris, tunc confunderis. Et ultra non erit tibi os aperire. Cum recepero peccata mea, & restitutus fuero, facto mecum testamento, tunc amplius intelligo mala mea, & confundor, & conscius mihi ultro memet punio. Vide autem quid mihi eveniat. *Ut ultra non sit liberum os aperire a facie ignominiae, & quando eveniat in eo, quod propitietur tibi*. Nec tunc quidem, quando propitiatur mihi multa peccanti, possum os aperire: nec quando ignoscit sceleribus meis, alienus sum ab ignominia, sed sentiens scelera mea, perpetuo conscientiae meae igne discrucior. Idcirco quia ignominia & confusio aeterna nobis reposita est, si peccaverimus, omni corde precemur Deum, ut det nobis, usque ad finem & animae & corporis nisu pro veritate contendere: ut etiamsi aliquod tempus constiterit, quod nostram examinet fidem (nam ut aurum probatur in fornace, sic fides nostra in periculo, & persequutionibus examinatur) etiamsi persequutio eruperit, inveniat nos praeparatos, ne domus nostra in hyeme corruat, ne aedificatio quasi in arena constructa tempestatibus

Margin notes: * al. scelere; Isai. 1.; Mich. 7.

[a] Vitiose antea legebatur, *factura*.

bus dissipetur : ut cum flaverint venti diaboli, id est, spiritus pessimi opera nostra persistant, quæ usque ad hanc diem perstiterunt, si tamen non sunt occulte subruta, & in expeditionis ac- A cinctu manifestemus caritatem nostram, quam habemus ad Deum in Christo Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA UNDECIMA

De eo, quod dictum est : *Fili hominis, propone ænigma, & dic parabolam ad domum Israel, & dices : Aquila magnarum alarum &c.* Cap. XVII.

EXercitatio corporum, & in totum fortitudinem comparat iis, qui exercentur, & per partes unumquodque membrum sensusque membrorum vegetiores facit ad sufferendum quid, aut ad sentiendum : ut puta oculorum acies, si exercitetur in visu, acutior fiat ad videndum : aures, si frequentius audiant, melius possunt vocum capere dissonantias. Hoc autem & in cæteris membris licet deprehendere, quod in paucis ostendimus. Verum C quid mihi prodest ad beatitudinem, & ad vitam sempiternam, si corpus exercitationibus roboretur? Quod mihi est emolumentum, etiamsi fortissimo corpore fiam, etiamsi omnibus membris vegetus incedam? Econtrario autem, si sensus animæ habuero exercitatos ad sentiendum quid, ad discendum dies noctesque contrivero, non solum in hac vita mihi conducit, sed etiam recedentem de corpore prosequetur. Id- D circo in parabolis & in ænigmatibus loquutus est Deus, ut extenderet se mens nostra, vel potius in unum colligens dictorum intueatur acumina, & a corporis vitiis recedens, dum intelligit veritatem, vitæ suæ cursum secundum eumdem dirigat. Hæc in prooemio diximus, quia sermo Dei factus est ad Ezechielem, dicens : *Fili hominis, narra narrationem, & dic parabolam ad domum Israel*. Pro hoc au- E tem quod Septuaginta Interpretes posuerunt *narrationem*, alius, de Interpretibus transtulit, *propone* [a] *problema*, alius *profer problema*, alius *significa ænigma*. Igitur & problema & ænigma & parabola est quod lectum est. Si quando illuminatione indiguimus scientiæ Dei, nunc vel maxime & necessarie indigemus, ut non tam ego, quam, o- B rantibus vobis, gratia Dei in me edisserat solutionem problematis, & ænigmatis, sive parabolæ. Quæ est ergo parabola aquilæ, quam in præsenti Spiritus Sanctus ostendit? Quæ non solum aquila, sed etiam comparatione cæterarum aquilarum, magna aquila, & ingentium alarum, & longa extensu, & plena unguibus, sive (ut quidam interpretatus est) plena plumis scribitur. Non solum his, quæ diximus, major est cæteris aquilis, verum in eo vel præcipua est, quod ductum habet intrandi in Libanum. Nam ingrediens illic ab arbore cedri, quæ in Libano sita erat electa, teneritudines, & summa quæque decerpsit, & attulit in terram Chanaan, in civitatem sive negotiatorum, sive negotiatricem, sive translatorum, sive certe (ut Septuaginta interpretati sunt) muratam, & posuit hoc, quod de cedro Libani sumserat, ut plantaretur & cresceret in terra Chanaan. Post hæc eadem aquila de semine terræ unde sumserat summitates cedri, & extrinsecus sibi semen accepit, & plantavit illud in campo frondifero super aquam multam. Hoc autem ipsum, quod de terra Chanaan fuerat assumtum, ab ea, quæ Libani summa quæque decerpserat, id est, quod secunda vice acceperat, factum est in vitem non fortem, sed infirmam, verum etiam statura pusillam : & palmites hujus vitis infirmæ reclinati sunt, pro eo quod de Libano, & cedro fuerat assumtum, intantum ut radices suas sub ipsius trunco consitas haberet. Et quidem facta est vitis, & fecit propagines, & extendit arbusta sua. Et post hæc venit alia aquila, & ipsa magna magnis alis, & copiosis vel plumis, sive unguibus : & ecce

[a] In Hexaplorum collectione hic locus desideratur. Ex Romanæ tamen Editionis τῶν LXX. adnotationibus colligere est, Aquilam posuisse αἴνιγμα; Symmachum & Theodotionem πρόβλημα.

ecce ista vitis, de qua nunc diximus, A veniente secunda aquila declinavit testamentum suum ad eam, spernens id testamentum, quod prius cum arbore fecerat, in qua reclinata vitis fuerat effecta, & propaginibus factis, arbusta latius fuderat, & complexa est secundam aquilam, & radices suas a priore transtulit ad sequentem. Deinde palmites emisit ad aquilam secundam, ut irrigaret eam cum gleba plantationis ejus in campo bono: & aqua multa. B Et quidem irrigata est hæc ipsa vitis & translata ad aquilam secundam, ut faceret incrementa, ut afferret fructum, ut fieret in vitem magnam. Idcirco Prophetæ imperatur ut dicat, quia testamentum transgrediens vitis, quod fecerat cum aquila priore, & statuens illud cum secunda, non dirigatur, neque radices teneritudinis ejus effloreant: quin potius fructus ejus propter transcensionem ejus putreant C & arescant omnia quæ de ea oriebantur, & jam ultra non habeat brachium magnum & populum multum; evellatur autem radicitus, & licet irrigata sit, tamen non perseveret, & non dirigatur in ubertatem, statimque ut contigerit eam ventus urens, arescat, & cum gleba plantationis suæ siccetur. Hoc propositio ipsius historiæ exposcit, ut quæ obscurius dicta sunt, quibusdam adjunctis sermonibus planius D enarremus. Et si tantus labor est, ut ipsum, quod dicitur, intelligatur: quid necesse est dicere, ipsam quæstionem quantam habeat obscuritatem, quæ sit aquila prior, quid sit Libanus, quæ cedrus, quæ summa cedri, quæ aquila secunda, quæ translatio vitis a priore ad sequentem? Si aliquando Dei indiguimus auxilio, semper autem in intellectu Scripturarum Spiritu Sancto indigemus: nunc profecto tempus est, E quod nobis præstet auxilium, & pendat ipse quæ dixit. Quomodo Salvator noster in Evangeliis quasdam parabolas ipse interpretatur: sic & nunc Propheta in secunda prophetia, quæ in reliquis lecta est, significat, quia Aquila prior Nabuchodonosor sit rex Babylonis, qui ingressus est in Libanum, id est, Jerusalem: & accepit de summis cedri, id est, regem Jerusalem, & principes ejus, & attulit ea in terram Chaldæorum, scilicet in Babylonem. Plantavit quippe in captivitatem accipiens filios Israel, & de regio se-

mine, & de genere principum in eadem terra constituit. Post hoc autem, & post regiam stirpem, alia quoque multitudo capta est ab eo, & vitis effecta est, non tam robusta, quam fuerat cum fuisset in vinea Dei, & in terra sancta, ubi sacrificia Dei celebrantur, sed erat in Babylone translata vitis infirma. His ita gestis, inter Pharaonem regem Ægypti, & Nabuchodonosor regem Babylonis, bellum ortum est. Igitur populus, qui cum regibus suis ac stirpe optimatum ab Assyriis fuerat afflictus, reperta occasione, qua jugum Nabuchodonosor abjiceret, & ejus imperio liberaretur, intulit se ad secundam aquilam grandem, magnarum alarum, id est, Pharaonem. Deinde, sic ordine currente rerum, quia Deus non Pharaoni tradiderat, sed Nabuchodonosor, & illi non sustinentes judicium & imperium ejus, excusserant jugum Nabuchodonosor de cervicibus suis, & ad Pharaonem transgressi fuerant, ira Dei super eos ingruit, & contra evenit, quam putaverant. Oportet quippe eum, qui a Deo damnatur, non fugere sententiam ejus, nec voluntatem judicantis velle mutare, verum patientissime sustinere, donec ipse Deus liberet qui damnavit. Igitur, quia ad Pharaonem transtulit se populus, relinquitur ab auxilio Dei, & pejora patitur, quam ante perpessus est a Nabuchodonosor. Diximus solutionem parabolæ juxta literam, & id quod scriptum est: sequitur durior interpretatio, & difficilis ad intelligendum, secundum verum Nabuchodonosor, & verum Pharaonem, & ea verba, quæ de aquilis prædicta sunt. Idcirco autem ante interpositionem sequentis lectionis, hanc expositionem summatim strictimque prædiximus, ut & præsens locus facilius intelligatur, & nihilominus servetur loco suo plenior expositio, & consequens parabola etiam juxta allegoriam latissime differatur. Verum nunc pauca debemus assumere, & quasi quodam armamento futuræ interpretationi viam sternere de his, quæ nobis Dei gratia largitur, scientes quid in sequenti plenius exponemus. Ac primum quidem videndum est, quare Nabuchodonosor & Pharao aquilæ dicantur. Forsitan quærit quispiam, qui non otiose & transitorie Scripturas legit: Nabuchodonosor aquila

4. Reg. 25.

quila est magna, & magnarum alarum, & hic Pharao alia aquila magna similiter alarum ingentium, & in lege inter immunda animalia posita est aquila: quare & justus dives effectus præparat sibi alas aquilæ, ut possit converti in domum principis sui? quare etiam repromissio quædam est apud Isaiam Prophetam dicentem: *Justi accipient pennas ut aquilæ, current, & non laborabunt, gradientur & non esurient?* Si enim immunda est aquila, non oportet nos pennas accipere ut aquilam, cum justi fuerimus: neque cum divitiæ nobis creverint, oportet præparare nos nobis pennas aquilæ. Cui primum respondendum est, quædam nomina animalium in Scriptura in utroque genere, id est, in malo ac bono posita: ut puta leo, in bonam accipitur, & in malam partem. In bonam sic: *Catulus leonis Juda ex germinatione, fili mi, ascendisti, accumbens dormisti, ut leo, & ut catulus leonis: quis suscitabit eum?* In malam vero partem sic: *Adversarius noster diabolus, ut leo rugiens, quærens devorare circuit, cui expedit nos resistere firmos in fide.* Sed & malignus supplantare cupiens insidiatur in occulto, ut leo in spelunca sua insidiatur, ut rapiat pauperem. Quomodo ergo leo dicitur & in malam partem & in bonam, non est incongruum etiam aquilam in utramque partem accipi. Et ut ego suspicor, justus non est aquila, sed quasi aquila, æmulatur quippe aquilam. Et quomodo serpens æreus typus fuit Salvatoris: neque enim serpens erat vere, sed imitabatur serpentem, dicente Domino: *Ut Moyses elevavit serpentem in deserto, sic oportet exaltari filium hominis:* eodem modo & justus non tam aquila est, quam aquilæ similis, quia ei utile est imaginem aquilæ sectari. Juxta hunc intellectum & in alio loco præceptum accepit justus, ut sit sapiens sicut serpens, non ut fiat serpens, sed ne a veri serpentis capiatur astutia. Si autem sermo Dei Scripturas diligenter excutiens, & spiritus, de quo scriptum est: *Spiritus omnia scrutatur etiam alta Dei*, in alicujus animam venerit, manifestissime ostendet de Scripturis, & aquilam & leonem in partem mundorum animalium posita: Cherubim Dei habere faciem hominis, & faciem leonis a dextris quattuor partium, & faciem vituli, &

Gen. 49. — Joan. 3. — 1. Cor. 12.

faciem aquilæ a sinistris quattuor partium: & hæc, quæ in Cherubim videntur, id est aquila & leo, munda sunt. Nihil quippe immundum est in curru Dei. Et quomodo tu de gentibus credens, mundus effectus es: *Et quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris*, dicitur de omnibus, quæ de cælo pendentia ostensa sunt Petro: sic mundatus est leo & aquila, quæ in Cherubim apparuerunt. Nec non est aliud, quod in Christi adventu futurum prædicatur: novit mundum leonem, mundam & aquilam, quæ nuncupatur immunda: *Lupus enim & agni pascentur simul.* Lupus enim qui cum ove innoxius pascitur non est ultra observandus. Non mihi dicitur de tali lupo: *Attendite ab eis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intus autem sunt lupi rapaces.* Signanter loquutus est dicens: *Intus autem sunt lupi rapaces.* Sunt quippe alii non rapaces, quando lupi & agni pascentur simul, & vitulus & taurus, & leo pariter edent. Cum autem fuerit tam diversarum inter se naturarum in fide Christi facta sociatio, leo non erit jam immundus, verum feritatis suæ obliviscetur, & universa animalia, quæ in lege Dei dicuntur immunda, conditionis antiquæ recipient puritatem. Hoc autem & ex parte jam factum est, & * plenissime in secundo complebitur adventu. Prævenit igitur sacramentum, quod ostensum est in Cherubim, rei veritatem: & intantum leonis & aquilæ facies cum aliis faciebus cognatæ sunt, ut majus nobis videatur vitulo, & tauro, & leone simul pascentibus, id quod apparuit in Cherubim. Ab Isaia quippe nihil de his, quæ prædicta sunt, sibi cohærens, & invicem connexum repromittitur. In Cherubim vero unumquodque animal cum alio cognatum est, facies vituli faciei leonis, & vultus hominis, vultui aquilæ. Non igitur magnopere mireris cum Pharao, & præcedens eum Nabuchodonosor aquilæ nuncupantur: justus vero pennas assumere dicatur ut aquila, & in Dei parte dives effectus aquilæ sibi pennas præparet ad volandum. Verum ut ad propositum redeam, specialiter quiddam significatur de Nabuchodonosor, quia magna & magnarum alarum, & sui extensione longissima, intantum ut ausus fuerit dicere: *Viribus faciam, sapientia intellectus auferam fines gentium, & virtutem eorum de-*

Isai. 11. — Matth. 7. — * al. planissime — Isai. 10.

depascar, & commovebo civitates, quæ inhabitantur, & orbem terrarum universum comprehendam manu ut nidum, & quasi confracta ova auferam. Ecce ista est extensio alarum ejus. Nec hoc ei sufficit, verum unguibus plenus est, & multis plumis, & habet ductum intrandi in Libanum, ut cedri ejus summa decerpat. Quandiu hi, qui commorabantur in Libano, non peccaverunt, id est, quandiu in Jerosolymis
* supp. non positi, * sunt in sceleribus deprehensi, B non accepit potestatem ista magna aquila, ut ingrederetur in Libanum, neque assumsit sibi electa, & cedri semen regium, & principum stirpem. Ista quippe sunt teneritudinis ejus, quæ quodam tempore non fuerunt duro corde: attamen rapuit ea, quia peccaverunt in Dominum. *Aquila ista grandis &c.* totius arboris cacumina in Chanaan transtulit, quia figuraliter Babyloniorum terra maledicti Chanaan dicitur. De quo ait Noe: *Maledictus puer Chanaan, famulus erit fratribus suis*. (Gen. 9.) In civitate quoque negotiatorum, sive negotiatrice, sive transferentium, aut certe murata, posuit hoc, quod de cedro abstulerat, & accepit sibi de semine terræ, jam non de altioribus solum, sed etiam de minoribus, & de populo Judæorum, & dedit illud in campum frondiferum, super aquam multam respiciendum constituit illud, & exortum est, & factum est in vitem firmam. Infirmatus est vere populus Dei in Babylone, & ideo neque canticum Domini cantare poterat, dicens: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (Isal. 136.) Revera non poterat infirma non esse, quæ plantata fuerat in Babylone. Quo pacto vires pristinas reservaret, quæ vitis Babylonia esse cepisset. Quæ quia in sancta terra fructus non fecerat, ideo translata ab aquila, & in terra posita Chanaan, facta est in vitem infirmam, & in pusillam statura. Quandiu in terra sancta fuit, ingens vitis erat: quando vero translata est in fines peccatorum, & infirma & parva effecta est. Et tu igitur, vitis, quæ me audis, si vis esse magna, noli exire de Ecclesiæ finibus, permane in terra sancta Jerusalem. Quod si propter peccata in pejora corrueris, transfereris in aliam terram, & eris in vitem pusillam, & palmites tui decident, & radices tuæ siccabuntur, intantum ut postea desideres requiescere super aliam aquilam,

A ut nunc dicitur, magnarum alarum, & plurimorum unguium. Bonum est condemnatum in condemnationis permanere sententia, quandiu ei libet qui damnavit. Non curramus volentes ad Pharaonem; si enim ad eum currimus, contra Deum facimus, qui dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti, de domo servitutis*. (Deut.) Ad Nabuchodonosor enim non tam sponte properamus, quam condemnati, & pertracti ad eum sumus. Sequitur: *Et factum est altera aquila magna magnis alis, & copiosis unguibus, & ecce vitis ista amplexabitur eam*, id est, secundam aquilam. Evenit sæpe, ut ab una contraria fortitudine ad aliam transferamur. Jusserat enim Deus, ut Israelitarum populus sub Nabuchodonosor jugum colla submitteret, ut legimus in Jeremia, intantum ut comminaretur ei, qui ab ejus servitio de- C clinaret: & eo tempore, quo Jeremiam exposuimus, ea quæ nobis gratia Dei, orantibus vobis, largita est, sive certe utquumque sensimus exponere conati sumus. Noluit autem id facere, quod fuerat imperatum; sed palmites suos extendit ad Pharaonem in gleba plantationis ejus, ab eo constituta est in campo super aquam multam, ut fructus afferret uberrimos: & deserta Ægypto, rursum Ægyptum D concupivit, putans se ubertatem pristinam consequuturam: hoc in primis cogitans, quod si Nabuchodonosor ad Pharaonem transcenderet, radices firmaret, evelleret staturam, fructus afferret. Sed in contrarium quam putavit omnia reciderunt. Fructus quippe ejus omnis computruit, & pullulationes, quæ saltem modicæ in Babylonem venerant, mutatione regionis exaruerunt, intantum ut radicitus E evulsa sit, ne ultra in brachio magno, aut in populo plurimo convalesceret. Quid in se hæc tanta, vel talia continent sacramenta? quid unusquisque sermo significat? Possumus, si tamen habeamus auditores, ad aliam quamdam Jerusalem conscendere, & ibi demonstrare, quomodo aquila magna ductum suum fecerit, & in hanc, quam nunc nos possidemus, Babylonem summitates ejus detulerit. Possumus secretiora quædam de Pharaone loqui: verum, quia tempore coarctamur, & forte audenter promittimur, quod non valemus implere, ad minora redeamus, & secundum mensuram intellectus

ctus nostri sic potius exponamus: Venit ad istum Libanum, hoc est, Ecclesiam, ubi hostiæ Dei, ubi incensum orationum ejus celebratur, ista magna & vera aquila, Nabuchodonosor, id est diabolus, & rapuit. Absit autem a temporibus nostris: ut de summis cedri, id est, de principibus, & de regio semine in Chanaan transferat. Oremus, ne fiat quod sæpe factum est. Assumti enim sunt quidam, & in Babylonem translati, qui in Ecclesia principes fuerunt, & propter peccatum suum de Libani summitate sublati. Super his dicendum est quia aquila magna magnorum unguium, plumis extensa acceperit de cacuminibus cedri, & derasferit eos de Libano, id est, de Jerusalem, & plantaverit in terra Chanaan. Non solum autem aquila ista summa cedri, id est, de optimatum genere, sibi vendicat, sed & terræ semen rapit, & transfert in terram Chanaan quando quis de populo peccat, & de Dei plebe diaboli laqueis præpeditur. Quapropter diebus & noctibus tam pro nobis quam pro fratribus nostris Dei imploremus auxilium, nequis de Jerusalem transferatur in Chanaan, ne sententia ejus deserta, a voluntate illius ad aliam tendamus aquilam, & veniat super nos ira major, & putrescat universa plantatio, & fructus pariter cum radicibus arescat. Plantatio quippe Jerusalem non potest in alia terra ferre fructus, non facit palmites in finibus alienis, sed statim cum gleba sua siccatur, si non perseveraverit in voluntate Dei, & in Ecclesia ejus, id est, & factis & sermonibus & scientia veritatis Christi Jesu, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA DUODECIMA.

De eo, quod scriptum est: *Fili hominis, dic ad domum exasperantem, nescitis quid ista significent*. Cap. XVII.

EA, quæ jam supra memoravi de duabus aquilis magnis, & magnarum alarum, & magnorum unguium, nec non quæ prima & secunda aquila gesserunt, nunc quasi in prophetia, scilicet figurata, vult ex parte sermo divinus exponere, nobis ad intelligendum relinquens quæ ipse dimisit intacta. Ac primum quidem, licet sæpe jam dixerim, tamen etiam nunc aliquid non novum inferre conabor, quod nostræ animæ tribuat salutem, in eo, quod dictum est ad Prophetam: *Dic ad domum amaricantem*, sive *exacerbantem*. Non enim addidit domum exacerbantem, sive exasperantem me. Et si volumus videre cujusmodi sit peccatum exasperatio, audiamus quam dulcia ei, qui intelligit, eloquia Dei sunt, dicentis:

Ps. 118. *Quam dulcia gutturi meo eloquia tua*. Hæc naturaliter dulcia cum assumserint

* al. ut credentes, * aut bene vivunt, aut vere contrarium faciunt. Et siquidem juxta divinam regulam ingrediuntur, reservant eloquia Dei in eo dulcore quo nata sunt. Juxta mei autem animi motum puto, quia conversationis bonitate & augeant eloquiorum Dei suavitatem, miscentes dulcedinem vitæ dulcori sermonis. Sin vero quis peccet, & extra præcepta Dei perversus incedat, iste accipiens dulcissima eloquia Dei per naturam amarissimi peccati (amarum quippe peccatum est, quod dulcedinem sermonis exterminat) in amarum saporem omnem redigit suavitatem. Quod dicimus plenius animadvertes accipiens exemplum. Herba quæ absinthium nominatur, naturaliter amara est: hanc si secundum qualitatem, & quantitatem mellis in mel injicias, amaritudine sua vincit ejus suavitatem & cogit amarum esse quod dulce est. Hujus herbæ vim habet peccatum. Si plura peccavero, plus amaritudinis mitto in dulcedinem sermonum Dei. Si grande fuerit quod delinquo, totum dulcorem mellis verto in acerbum saporem. Et idcirco Deus, qui sermonem suum a peccatoribus conculcatum ulciscitur, unicuique pro qualitate amatoris vitæ, & pro modo intentionis amaritudinem pœnarum suppliciorumque restituit. Et siquidem nos, qui hæc dicimus, & semel credimus Deo, peccaverimus, exasperare nitimur sermonem ejus: qui vero penitus a fide ejus recesserunt, neque ingressi sunt Ecclesiam, hi non faciunt amara eloquia Dei. Quomodo enim possunt suavitatem exasperare sermonum quibus nondum crediderunt? Ideoque nobis alia servantur tor-

tormenta qui videmur credere, & in ipsa credulitate peccamus, ab eorum supplicio, qui ne initium quidem credulitatis habuerunt. Et ne solummodo putemus verbum nos exasperare Domini si peccemus, delictum nostrum usque ad ipsius Dei injuriam pervenit. Scriptum est enim, quod qui peccat, per prævaricationem legis Deum inhonorat. Parum erat si dixisset inhonorat angelum: nunc autem, per prævaricationem, inquit, legis Deum inhonorat. Quotiesquumque prævaricamur legem Dei, toties inhonoramus Deum: & quanto majora delinquimus, tanto majoribus contumeliis afficimus Deum: quanto plura peccamus, tanto plus inhonoramus Patrem & Christum ejus, sicut scriptum est: *Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Igitur quiquumque peccat exasperat & contumeliam facit, & inhonorat tam Dei eloquia, quæ suscepit, quam eum, qui docuit. *Dic nunc ad domum exasperantem: Nescitis quid sint ista*, id est, quæ in parabola dicta sunt
4. Reg. 25. aquilarum. *Dic, cum venerit rex Babylonis ad Jerusalem, & acceperit regem ejus, & principes ejus*. Quantum ad historiam pertinet prophetantis, expositum est: Quod Nabuchodonosor venerit in Jerosolymam, & captivos duxerit Sedechiam regem Judææ, & principes, qui erant cum eo, partem populi Judæorum: nec non etiam illud addemus, quomodo plantaverit eos in terra Babylonis. Sed non stemus in litera, nec hæreamus in historia, magis autem tu, qui in Scripturis Dei profectum habes, & nosti quia *ista omnia figuraliter contingebant illis, scripta sunt autem pro nobis, in quos fines sæculorum decurrerunt*. Instat ecce verus Nabuchodonosor, quærens aliquos capere de nobis. Et primum quidem cupit (si fieri potest) de principibus Ecclesiæ captivos sibi ducere. Verum quandiu Ezechias, Josias, aut certe quiquumque justus rex regnat in populo, non potest iste Nabuchodonosor vinctos abducere, aut principes, aut populum de Judæa. Si autem nos, qui videmur Ecclesiæ præesse, peccaverimus, locum dantes diabolo adversum Pauli præce-
Eph. 4. ptum dicentis: *Nolite locum dare diabolo*: quodammodo per delicta nostra, quæ fecimus in Jerusalem, occasionem

A tribuimus Nabuchodonosor, ut ingrediatur civitatem sanctam, & abducat quosquumque voluerit. Qui vero non peccat excludit Nabuchodonosor, ut non possit in terram Dei ingredi. Ergo omnibus viribus excludamus Nabuchodonosor, ut ad beatum illius Ecclesiæ conventum non appropinquet. Excludamus autem eum assumentes clavem scientiæ, excludamus eum conversatione, & factis bonis, ut non rapiat regem Jerusalem, & principes
B ejus, ut non abducat eos in Babylonem captivitatis suæ triumphum. Si vero aliquem ex nobis vincere potuerit sævus inimicus, ducit eum in Babylonem, non in locum amplum alicujus terræ, sed in Babylonem animæ, id est, confusionem. Frequenter diximus Babylonem confusionem interpretari. Quiquumque enim ab eo victus abducitur in confusionem mentis suæ, transfertur in Babylonem. Respiciamus ad quotidianam vitam. Si
C quando viderimus animam a peccatis a vitiis, a tristitia, ab ira, a desideriis, ab avaritia confundi, sciamus istam esse quam diabolus abducat in Babylonem. Si vero principali cordis tranquillitas, serenitas, pax fructum fecerit, sciamus quia Jerusalem versetur in ea, visio quippe pacis intrinsecus est. *Et ducit eos ad se in Babylonem, & sumit de semine regni, & disponit ad ipsum testamentum*. Omnes qui sermonem Dei
D suscepimus, regium semen sumus. Etenim genus electum vocamur, & regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Si quis ergo ex nobis, qui in ordine regalis seminis constituti sumus, per peccatum suum captivus abducitur a diabolo, haud dubium est, quin de regio genere sit abductus in Babylonem, & faciat testamentum cum Nabuchodonosor, quia jam testamentum Dei spreverit. Im-
E possibile quippe est hominem sine testamento esse. Si habes testamentum Dei in te, non potest testamentum tecum facere Nabuchodonosor. Porro si repulisti testamentum Dei per prævaricationem mandatorum ejus, suscepisti testamentum Nabuchodonosor. Scriptum est enim: *Disponit ad eum testamentum suum, & inducit eum in maledictionem*. Deus in benedictione nobiscum testamentum facit: Nabuchodonosor vero testamentum suum in maledictione constituit. Non potest in benedictione esse qui pactum fecerit cum Nabuchodonosor. Sed dicit mihi aliquis, qui in Scripturis divinis est eruditus: Invenio in Lege

1. Pet. 2.

Lege Moysi maledictiones constitutas in peccatorem: si ergo præcepto Dei maledictum constitutum est in peccatores, cur non & econtrario apud diabolum quædam benedictio sit, ut alii apud eum in benedictione fiant, alii in maledictione? Huic ergo acute, & acerrime interroganti, sic conabor occurrere, & dicere quia & quædam sit benedictio a Nabuchodonosor, quam Deus procul abjiciat a nobis: & maledictio, de qua nunc dicere debemus, quæ digne super peccatores venit. Quæ est igitur benedictio Nabuchodonosor? Quando aliquis in mundo isto locuples fuerit & feliciter gesserit, & omnia ei prospero cursu fluxerint, intantum ut illud, quod scriptum est, ei possit aptari. *Bos ejus non faciet abortionem*: & si universam sæculi habuit prosperitatem, benedictio Nabuchodonosor super eum est. Maledictio vero in eo, quando aliquis recedit a Deo, & nihilominus in parte diaboli constitutus miseriis suppliciisque torquetur. Vult igitur Deus, ut nunc Scriptura commemorat, testamentum Israeli maledictionem esse apud Nabuchodonosor. Et ideo quia voluit spernere testamentum Nabuchodonosor rex Jerusalem, & mittens angelos suos in Ægyptum, testamentum cum Pharaone facere conatus est, ait sermo divinus: *Non dirigetur, non salvabitur*. Quapropter oportet nos ferre patienter, cum a Deo tradimur ultioni. Tradidit quendam de cœtu Ecclesiæ Apostolus diabolo in interitum carnis: & tradidit in carnis interitum, non ut perderet traditum, sed ut spiritum traditi conservaret. Ex quo Scriptura ait: *Tradere istiusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die judicii Domini Jesu*. (1 Cor. 5.) Traditur autem tormentis peccator, ut recipiat in præsenti supplicia, & pro peccatis suis cruciatus, in futuro refrigerium consequatur, & dici possit de eo, Recepit mala sua in vita sua. Siquis igitur pœnis excruciatus juxta maledictum, in quo Deus posuit peccatores, maluerit fugere supplicia, & mittere ad Ægyptum pro auxiliis comparandis, ad Pharaonem, a quo liberavit Deus populum suum, non dirigetur, non salvabitur. Siquis autem patienter maledictionem sustinuerit, & supplicia Nabuchodonosor, & tempus peccatorum suorum in cruciatu compleverit: quomodo ille qui secundum Epistolas Pauli excruciatus est, ut spiritus ejus salvus fieret in die judicii, iste finem optimum consequetur. Inducit ergo eum maledictionem, & duces terræ ejus accipiet, ut fiant in regnum infirmi. Infirmum efficitur regnum, quod de sancta terra in Babylonem transfertur. Nullus quippe fortis in Babylone, id est, in confusione mentis suæ. Omnino non potest extolli homo, qui confusus est, ut custodiat testamentum meum, ut statuat illud, & discedat ab eo, ut mittat nuntios suos in Ægyptum: Iste, quia Nabuchodonosor propter peccata sua tormenta perpetitur, & mittit nuntios suos in Ægyptum, non ferens traditionem, qua hosti concessus est a Deo, ut det ei equos & populum multum, id posuit quod in loco prohibitum est. *Non enim multiplicabis tibi equos*, ait Scriptura. (Deut. 17.) Si dirigatur, si salvabitur qui facit adversa, & prævaricans testamentum. Oportuerat eum, qui traditus fuerat testamento Nabuchodonosor, sustinere supplicium: verum non sustinet, & idcirco dicitur de eo, non salvabitur. *Vivo ego dicit Dominus Adonai, nisi in loco regis qui constituit eum, qui sprevit maledictionem meam, & transgressus est testamentum meum*. Est quidam qui inhonorat maledictionem Dei, est & alius, qui honorat eam. Nec dubium est quin in præsenti de isto quæratur Deus, qui maledictionem suam inhonoraverit. Quum enim quis traditus fuerit suppliciis, ut castigetur, & non sustinuerit quod præceptum est, inhonorat maledictionem Dei. Si vero sustinuerit cum omni mansuetudine, & benedictione, & gratiarum actione ad Deum, iste honorat maledictionem ejus, & cum honoraverit maledictionem, necesse est ut etiam benedictionem illius consequatur: *Et transgressus est testamentum meum, cum ipso in medio Babylonis morietur, & non in virtute magna, neque in turba multa faciet Pharao bellum*. Non potest ei, qui transgressus fuerit, & inhonoraverit, maledictionem Dei, Pharao tribuere auxilium; verum in medio Babylonis pro sua prævaricatione morietur. Deinde sequitur, & narrat quid peccatores passuri sunt, & post hæc prosperiora quæque commemorat, dicens: *Accipiam ergo de electis cedri, & de vertice cordis eorum avellam, & plantabo ipsum in monte excelso*. Post maledictiones, quas supra memoravimus, repromissio beatitudinis, & dulcissimæ pollicitationis in fine sermonis profertur: quia jam qui suppliciis indigebant, fuerant pro peccatis suis tormenta perpessi.

Intra

Intra memetipſum vero conſiderans, & diligenter iſtius loci ſenſum pertractans, arbitror de Apoſtolis prophetari. Iſti quippe ſunt de electis cedri, de ſummitate, de vertice, quos dedit Deus in virorem ſæculi, radens corda eorum, & plantans eos in monte excelſo Jeſu Chriſto Domino noſtro. *Et ſuſpendam ipſum in monte alto Iſrael, & plantabo, & producet propaginem, & faciet fructum.* Fecerunt iſti propagines, attulerunt fructus. *Et erit in cedrum magnam.* Conſidera magnitudinem & ſublimitatem Eccleſiæ Chriſti, ut intelligas juxta promiſſionem Dei factum eſſe, quod dicitur: *Et erit in cedrum magnam, & requieſcit ſuper ea omnis avis, & omne volatile ſub umbra ejus requieſcet.* Aſſume tibi pennas ſermonis Dei, & poteris repauſare ſub hac arbore, quæ plantata eſt in monte excelſo. *Et requieſcet, & propagines ejus reſtituentur.* Vide quomodo in bona parte prophetia finiatur. Sequitur enim: *Et cognoſcent omnia ligna campi, quod ego Dominus, qui humilio lignum altum.* Lignum altum populus Judæorum eſt, qui nunc humiliatus, ſceleris ſui pœnas luit, quia in Deum noſtrum Jeſum Chriſtum manus auſus eſt mittere. *Et extollo lignum humile.* Tu eras lignum humile, lignum dejectum, lignum terræ hærens, verum ſublimavit te Deus. *Et areſacio lignum viride.* Lignum viride circumciſionis eſt populus, qui quondam pullulans & florens fuit, verum nimia nunc ſiccitate contabuit. Ubi quippe nunc vividus ſermo apud eos? ubi virtutum chorus? *Et reviroſcere facio lignum aridum*, Tu fuiſti lignum aridum, & fecit te reviroſcere Chriſti adventus. *Ego Dominus loquutus ſum, & faciam.* Quibus dictis, ut & nos reviroſcamus, ut fructus valeamus afferre, ut germinans lignum & non ſiccum efficiamur, ut nunquam ad radices noſtras ponatur ſecuris, quæ in Evangelio prædicatur, attentius Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum cum Patre ſuo precemur, cui eſt gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA DECIMATERTIA

De eo quod dicitur: *Fili hominis, leva planctum ſuper regem Tyri, & pone faciem tuam contra Sidonem.* Cap. XXVII.

PRæcipitur nobis ab Epiſcopis diſcutere ſermonem principis Tyri, ut laudes ejus culpaſque dicamus: nec non juſſum eſt, ut de Pharaone Rege Ægypti aliqua retractemus. Plangitur itaque princeps Tyri: nec putandum eſt hunc hominem eſſe. In medio quippe Cherubim nullus hominum eſt creatus, & in Paradiſo Dei, ſi ſimpliciter literam ſequimur, hominum nullus eſt enutritus. Et cum in Paradiſo deliciarum, ſicuti diximus, nemo fuerit: nunc dicitur princeps Tyri in Paradiſo deliciarum natus atque nutritus. Quis eſt iſte princeps Tyri? Veniamus ad Danielem, & occaſionem intelligentiæ recipientes, dicamus non eſſe principes corporeos, de quibus nunc quæritur. Poſt Danielem ab Apoſtolis petimus exemplum. Deinde rurſum Prophetarum teſtimonia vocemus. His omnibus etiam ille copulandus eſt locus, qui a Moyſe in Deuteronomio non tacetur. Age nunc replicemus exempla, incipientes a Daniele. *Princeps*, ait, *videtur Michael.* Ibi- D. 10. 13.
que rurſum, *princeps Iſrael:* & in conſequenti: *Michael adjuvabat principem regni gentium.* Ad hæc addat Apoſtolus: *Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco.* Et adjuvare principem Iſraelitarum, principem regni Græcorum, fortaſſe jam factum eſt. In adventu quippe Domini mei Jeſu Chriſti, princeps Iſrael adjuvit principem regni Græcorum, ut gentes conſequerentur ſalutem, & illi credendo, ſalvarentur. Atque ita in hunc modum dicitur quidam princeps regni Perſarum, ſicut dictus eſt Michael princeps Iſraelitarum, & alius Græcorum. Non ſunt ergo hi homines, nec ſecundum locorum vocabula, in quibus imperant, nominantur. Unde & Apoſtolus quaſi non de hominibus diſputans, ait: *Sapientiam enim loquimur inter per-* 1. Cor. 2.
*fectos, ſapientiam autem non hujus ſæculi, * neque principum ſæculi iſtius, qui* * al. nempe
deſtruuntur; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconſam, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nullus principum ſæculi iſtius cognovit. Si enim cognoviſſent, numquam Do- Ibid.
minum gloriæ crucifixiſſent. Et quod iſtius ſæculi principes crucifixerunt Salvatorem & Do-

& Dominum, prophetia testis est, dicens: *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Unde & alibi in Psalmis scribitur: *Ego dixi, dii estis & filii excelsi omnes: vos autem ut homines moriemini, & tamquam unus de principibus cadetis.* Et est ibi sermo de nullo penitus principe corporali. Si igitur est quidam princeps regni Persarum, si est princeps Israelitarum Michael, consequenter & Tyri princeps est: & de his nunc principibus propheticus sermo loquitur. Quoniam autem & de Moyse testimonium polliciti sumus, ausculta quod sequitur: *Quando dividebat altissimus gentes, cum disseminavit filios Adam, statuit fines gentium secundum numerum Angelorum Dei*, sive, ut melius habet (*secundum numerum filiorum Israel*) *& facta est pars Domini populus ejus Jacob.* Alii principi facta est pars Tyrus, alii Babylon, aliis aliæ nationes: atque ita in hunc modum principes possederunt omnes fines gentium. Siquis autem putat legens in Scripturis quasi de hominibus dictum, intelligat altius spiritalis, & a nullo judicatus. Dignoscuntur enim quædam de Nabuchodonosor rege Assyriorum, quæ non conveniunt personæ ejus. Dixit enim: *In fortitudine faciam, & sapientia intellectus auferam fines gentium, & commovebo civitates inhabitatas, & orbem terrarum omnem comprehendam. & ascendam super sidera cœli, & nubes*, & reliqua, *& ero similis altissimo.* Hæc Nabuchodonosor. Sic & princeps Tyri & Pharao. Neque enim intantum agitatus est furiis verus & corporeus Pharao, ut diceret: *Mea sunt flumina, & ego feci ea.* Hoc autem ante lectum est in prophetia, quæ est adversum Pharaonem. Neque unquam principem illum, idest, corporeum Pharaonem, draconem nuncupasset, dicens: *Ecce ego super Pharaonem draconem, qui sedit in medio fluminum Ægypti, qui dicit, mea sunt flumina, & ego feci ea.* Verum hoc in loco proprio reservetur, quod nunc idcirco assumsimus, ut per notionem Scripturarum manifestius fieret id, quod videbatur occultum. Adversum hos principes est nobis pugna. Et beati Apostoli qui missi fuerant ad prædicandum, quando ab his, qui fines gentium possederant, homines abducebant, patiebantur insidias. Verbi gratia dictum sit: Ingressi sunt Apostoli Tyrum, persequutus est eos princeps Tyri: ascenderunt Antiochiam, impugnavit eos princeps regni Syriæ: iste erat, qui bellabat adversus eos, non omnes qui putabantur, ut Judas proditor. Quomodo enim ille non principaliter putandus est prodidisse Salvatorem: sic etiam Apostolis omnibus, qui persequutionem passi sunt, alius fuit princeps persequutionis. Scriptum est quippe de Juda: *Et post buccellam introivit in illum Satanas.* Non est enim nobis pugna adversus carnem & sanguinem, licet videantur ex carne & sanguine qui nos persequuntur. Non eos oderimus, quin potius diligamus, licet inimici nobis velint permanere; misereamur eorum, dæmonium habent, patiuntur insaniam. Non tam hi sunt adversum nos, qui nos persequuntur, quam illi, qui corda eorum repleverunt. Verum Domini deprecemur auxilium, ut infirmos habeant conatus tanti adversarii contra humanam animam dimicantes, & dicamus: *Nisi quia Dominus erat in nobis, in eo cum exsurgerent homines in nos, forsitan vivos deglutissent nos.* Igitur est quidam princeps Tyri, & prophetia non de Hyram nos docet; hoc quippe nomen in tertio Regnorum libro scriptum est, non de alio principe Tyri, neque de quoquam homine; non nos humana docent eloquia, sed divina, & quædam ineffabilia, & sacrata sub personis hominum. Pharao homo est: aliud quiddam erudior intelligere Pharaonem. Et Nabal Carmeli homo est, & Hyram homo: sed aliud sub eorum doceor effigie. Quis est tantus & talis, qui a corporalibus conscendat, qui a visibilibus invisibilia contempletur, & possit unumquodque horum secundum Dei intelligere voluntatem? Quis est ergo princeps iste, discamus, ut cognoscentes lamentationem, etiam quod nunc super ea dicitur, evitemus. Plangitur princeps Tyri. Quam bonus Deus, qui etiam eos, qui se negaverunt, deflet! Et hoc venit etiam ex amoris affectu. Nemo quippe plangit quem odit: & qui plangitur, plangitur quidem ut mortuus: verum quasi adhuc quæratur, quasi vivis desiderio sit, diligitur. Et Jerusalem quando plangitur, scriptum est: *Et factum est postquam captus est Israel, & desolata est Jerusalem, sedit Jeremias flens, & lamentans lamentationem istam super Jerusalem, & ait: Quomodo sedet sola civitas, quæ abundat populis, facta est ut vidua quæ multiplicata erat in nationibus: princeps in regionibus facta est in tributum.* Plangitur & Nabuchodonosor. Ubi sunt hæreses, ubi sunt qui ajunt istos in perditionem creatos esse? Criminan-

minantur Creatorem, ut se criminibus A absolvant. Accipe lamentationem istam super regem Babylonis, & dices: *Quomodo cessavit qui repetebat? quomodo quievit qui exigebat?* In regem Babylonis ista dicuntur: *Quomodo cecidit Lucifer de cælo, qui mane oriebatur, contritus est in terram?* Et ille de cælo cecidit, *& iste signaculum similitudinis, corona decoris, in Paradiso deliciarum nutritus*. Ecce omnes de cælo cecidisse, non descendisse referuntur. Dominus vero meus de cælo B descendit, *& qui descendit, ipse est filius hominis*. At non sicut satanas. Non enim descendit de cælo, neque ei mali quicquam acciderat, si descendisset. Audi Jesum dicentem: *Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem*, non descendentem. Verum non solum Salvator e cælo descendit: quotidie multitudo descendit, & ascendit super filium hominis. Videbis enim cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes C super filium hominis. Et tu exspecta ascensionem tuam. Tantum a ruina consurge, & audi: Exsurge Jerusalem a ruina tua. Spera quia scis ascensurus in cælum, & cave ne tibi quoque dicatur: *Nunquid qui cadit, non resurget? aut aversus non convertetur?* Væ qui convertuntur conversione pessima, dicit Dominus. Et iste itaque de his unus est, qui ruerunt, & plangitur ab homine princeps, cum princeps hominem flere debuerit. Homo est Ezechiel, & filius ho- D minis: qui vero plangitur, Nabuchodonosor est rex Babylonis. Accipe & tu lamentationem tuam super regem Babylonis, & dices: *Quomodo quievit qui repetebat?* & reliqua. Considera in quantam spem vocatus sis, o homo, qui carne circumdatus dicis: *Quasi lac me emulsisti, coagulasti autem me ad similitudinem casei, cute & carnibus me vestisti, ossibus & nervis me contexisti*. Tu ergo, qui de conditione tua dolebas, ecce plan- E gis, & ille qui carne non est circumdatus, a te plangitur: vocatus es enim in eam spem, de qua ille cecidit. Peccato Israel, salus gentibus subintravit. Audebo aliquid sacratius dicere, in locum Angelorum, qui ruerunt, tu ascensurus es, & mysterium quod aliquando illis creditum est, tibi credendum erit, de quo dicitur: *Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur?* Tu vero lux factus es mundi, tu pro illo factus es Lucifer: unus de stellis erat Lucifer, qui de cælo ruit, & tu si tamen de semine es Abraam, inter stellas cæli computaberis. Eduxit

Isai. 14.
Luc. 10.
Joan. 1.
Jer. 8.
Job. 10.

enim Abraam foras, & dixit ei Deus: *Respice, sic erit semen tuum*. Hoc autem tunc erit, quando stellæ cadent ut folia de cælo, & erit alia gloria solis, & alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. *Stella enim ab stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*. Verum noli gloriari adversum istiusmodi ramos, qui in infidelitate ceciderunt, & fracti sunt: tu quia in fide stas, fide & ascendes. Et per hoc quod plangis principem Tyri, & ea cum lamentatione deploras, quæ superius interposuimus, edocere, ne forte in his bonis repertus, quæ princeps Tyri habuit, etiam tu incipias ruere, si paululum fueris gloriatus, & non custodieris omni custodia cor tuum. Vide quippe quid dicat ad principem Tyri: *Tu signaculum similitudinis*. Volo nosse quid fuerit, ut signaculum similitudinis nuncupatus sit. Cum profeceris, accepisti signaculum: quoniam Deus vere hujus pater quem signavit, & misit, & ideo semper credentes signantur a Domino. Jam autem & commune proverbium venit, ut dicamus ille, & ille non accepit signaculum, & ille signaculum habet. Quis habet signaculum? Ille quem signavit Deus. Audebo aliquid dicere, quia signaculo isto ille signatus est, qui baptizat in Spiritu Sancto, & igne, ille qui largitur imaginem cælestis, qui format te ad superiora, ut ultra non portes imaginem terrestris. Cave, homo, ne sæculum istud egrediens, signaculo diaboli sis impressus. Habet quippe ille signaculum. Sicuti portavimus imaginem terrestris, unde, vel quando, vel qui significavit, hoc signo portaverimus imaginem terrestris. Circuit diabolus, & lustrat omnia, volens & ipse signare subjectos sibi. Signat autem singulorum corda considerans, & imprimit in eis figuram terreni per peccata, per vitia, ut portent imaginem terrestris. Audi Jesum quid respondeat, quando imaginem & inscriptionem Cæsaris postulatur; *Qui habet aures audiendi audiat*. Nam quia non habebat eam imaginem quam petebatur, neque ipse, neque discipulus suus, docet ubi valeat reperiri imago quæ quæritur. *Vade*, inquit, *ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, & aperies os ejus: & cum inveneris staterem, tolle illum, & dabis pro me & te*. Neque ego habeo hanc imaginem, & superscriptionem, neque tu, si tamen vere discipulus meus es, si portæ inferorum non prævalent adversum te. Ergo Jesus aliter dat pro se imaginem

Gen. 15.
1. Cor. 15.
Rom. 11.
Matth. 22.
Matth. 17.

ginem de mari illam accipiens, quæ in pisce fuerat inclusa, similis his piscibus, de quibus hodie lectum est, qui adhærent in squamis draconis, qui sedet super flumina Ægypti. Vere quippe istiusmodi pisces ibi adhærent. Quanti & hodie pisces sunt quorum rex est iste qui in aquis multis regnat? Scriptum est quippe de invisibili dracone, quia ipse rex sit omnium qui sunt in aquis, verum tu non es in aquis, sed in ea terra, quæ tibi repromittitur. Et hæc di- B cta sunt, ut diligentius ventilaremus, quod sit signaculum similitudinis. Quam beatus fuit in illo tempore quo signaculum similitudinis erat. Tibi adhuc deest ut similitudo signaculi fias, & procul es ab ejusmodi munere. Dixit quidem Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* (Gen. 1.) attamen necdum consequutus es similitudinem. Fecit quippe Deus hominem, ad imaginem Dei fecit: ubi Dei C est similitudo. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* (1. Joan. 3.) Ego sic accipio & hoc quod dicitur a Propheta, *Deus, quis similis tibi,* (Psal. 34.) quasi illud: *Quis putas fidelis & sapiens dispensator*: sicut & hoc: *Cum enim apparuerit, similes ei erimus.* Quis est, qui assimiletur ei? Pauci admodum sunt, qui receperunt similitudinem ut Apostoli. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Iste ergo, qui D nunc plangitur, signaculum erat, & plenus sapientia, quem & tu planges, si factus fueris Ezechiel. Nescio autem si & tu sapientia plenus fueris: interim iste, qui plangitur, plenus erat sapientia, & erat decoris corona. Considera qualis fuerit, qui fuit corona decoris. Non simpliciter decor, nec gloria erat in eo, sed corona gloriæ. Hunc autem decorem noli extra te quærere, sed circa animæ religio- E nem, ubi * cogitatorium, ubi intellectuale consistit, ubi vera est pulchritudo. (* alibi ait meditatorium.) Quod si volueris ibi quærere decorem, ubi caro est & sanguis, humor & venæ, ubi materia corporalis, non poteris invenire. Siquidem verus decor in Salvatore est, & ita ab illo juxta largitudinem & misericordiam ejus in cunctorum divisus est animas. *Accingere gladium tuum circa femur tuum potentissime, specie tua, & decore tuo, & pulchritudine tua.* (Psal. 44. 3.) Est igitur aliquis decor in principali cordis nostri, & in anima. Quia autem istiusmodi decor etiam ad animam pertingat hu-

A manam, Prophetes te doceat dicens: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populi, & domus patris tui, quia concupivit rex decorem tuum,* (Ibid. 11.) id est, sponsus. Quis ita habet pulchram animam, quis tantum possidet decorem, quis ita est extraneus ab omni fœditate, ut possit ei dici, Concupivi rex decorem tuum? Et tu quidem adhuc istum quæris decorem, & niteris ad placendum: iste vero a decore, quem habuit, in turpitudinem concidit. Et quomodo in corporibus sæpe videmus accidere, ut mulier speciosa, & pulchra facie ab ægrotatione decorem suum perdat, & per senectutem splendorem vultus amittat, eodem modo & anima, quæ pulchra erat per infirmitatem amittit decorem, & per senectutem deformis efficitur. Cum enim susceperit veterem hominem cum actibus suis, senectute ejus pristinum perdit decorem. Venit Jesus ut transferat nos a vetere homine, & senectutis insignibus: ruga quippe senectutis indicium est: ut ait Apostolus: *Ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid istiusmodi, verum, ut sit sancta & immaculata.* (Ephes. 5.) Licet igitur a senectute & ruga ad juventutem transcendere: & hoc est in hac parte mirabile, quod corpus ab adolescentia pergit ad senium: anima vero, si venerit ad perfectum, a senecta in adolescentiam transmittitur. Idcirco etiamsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. Oportuit te nosse decorem, quem rex concupiscit, oportuit te scire eum, qui aliquando fuit decoris corona: & tu cum fueris consequutus hanc gloriam, cave ne corruas. Siquidem & iste qui corruit, signaculum erat similitudinis, plenus sapientia, & decoris corona. *In deliciis Paradisi Dei tui inquinatus es.* Non ait simpliciter in Paradiso, sed in Paradiso deliciarum. Quæro utrum sint quædam Paradisi differentiæ, & cum quis in Paradiso Dei fuerit, tamen non sit in Paradiso deliciarum: sicut latro ille prima hora cum Jesu ingressus est Paradisum: si a te rogem, putasne in Paradisum introgressus est, an non? non dubium quin eum respondeas introgressum. Deinde si rursum a te quæram, quid ergo introgressus Paradisum, statimne deliciarum loco exceptus est? dicas forsitan quia prima hora ingressus sit Paradisum, in Paradiso

ſo deliciarum Dei factus non eſt. Sin autem jam videris eum accipientem de ligno vitæ, & de cunctis arboribus, quas non interdixit Deus, ita ut de omni ligno Paradiſi veſcentem: ſi aſpexeris eum & illius ligni, & omnium quæ nunc prohibita non ſint, cibum edere: & a te rogem, putaſne iſte non ſolum in Paradiſo factus eſt, verum etiam in Paradiſo deliciarum Dei: quid mihi aliud reſponſurus es, niſi eum in Paradiſi deliciis conſtitutum? Ad hanc beatitudinem tu feſtinas, qui videris plangere. Iſte vero, qui plangitur, fuit quondam in deliciis Dei: omnem lapidem bonum indutus eſt, Sardinum & Carbunculum, Sapphyrum & Berillum, & Hyacinthum, & Jaſpim, & reliquos duodecim lapides. Difficilis eſt, & ultra vires noſtras naturamque hujus loci ſe expoſitio ſuſtollit. Quis enim poteſt naturam uniuſcujuſque lapidis exponere, & deſcribere ſive colorem, ſive vim ejus, ut ſic valeat reperire, quare lapides iſti aſſumti ſint? Attamen licet non ſimus tales, qui cuncta intelligere poſſimus, pauca videamus, quomodo duodecim iſtis lapidibus indutus fuerit. Si cui divinæ literæ curæ ſunt (ad quam rem ſæpe exhortamur adoleſcentes, ſed ut video, nihil proficimus, tantummodo tempora conſumentes: non enim potuimus aliquos eorum ad id perducere, ut ſacris voluminibus inſiſterent) & duodecim illos lapides, & cætera requirat in Scripturis, inveniet & in Apocalypſi eodem modo, atque ordine nuncupatos. Qui ibi primus: & hic primus eſt poſitus, qui ſecundus ſecundus, qui tertius tertius, qui quartus quartus, atque ita uſque ad duodecimum lapidem, ordo ſervatus eſt. Cur ergo, & ſuper quo lapides iſti in Apocalypſi nuncupati ſunt? Utique ſuper portas Jeruſalem cæleſtis, ibique dicitur, quia prima porta Topazium ſit, ſecunda Smaragdus, tertia Carbunculus, quarta Sapphyrus, atque ita in hunc modum in ſingulas portas ſinguli lapides diſtribuuntur. Si intellexeris portas Jeruſalem. & portas filiæ Sion, ubi & oportet te canere Deo. *Cantabo quippe*, ait, *omnes laudes tuas in portis filiæ Sion:* Si animadverteris quomodo indutus ſit aliquis duodecim lapidibus, & ingreſſus Jeruſalem, & per alias portas ingreſſus, conſpicies virgines duodecim. In libro Paſtoris, [a] in quo Angelus pœnitentiam docet, duodecim virgines habent nomina ſua, Fides, Continentia, & cætera: poteſtis quippe legere, ſi vultis. Deinde quando turris ædificatur, cum aſſumſeris fortitudines virginum, pariter accipies & id quod de portis dicitur: Ornamentum quippe tibi eſt unaquæque virtus, atque ita in hunc modum ſuperædificant fundamento Chriſti, non ſolum aurum & argentum, verum & lapides pretioſos. Prohibitum eſt autem ædificare ligna, fœnum & ſtipulam. Intus eſt igitur iſte lapis duodecimus. Et nobis adhuc imperatum eſt, ut dicamus de Tyro & Sidone, & Pharaone: anguſtia temporis neque ſuperiora quæ cepimus implere permiſit, & hæc quæ volumus enarrare, quaſi comenti more perſtringenda ſunt breviter. Comminatio eſt in Sidonem, quæ interpretatur [b] *venatores. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*. Si Hebraice legis, habes, *de laqueo Sidoniorum*. Igitur Sidonii venatores ſunt, & comminatio, quæ fit in eos, propter te fit, quoniam volunt te capere, & diligenter obſervant quomodo auditores Scripturarum de Eccleſia avellant, quomodo de finibus Judææ ad fines Sidonis transferant: verum tu omni cuſtodia ſerva cor tuum, & diſce quia comminatio in venatores tui cauſſa ſit. De Pharaone vero jam aliqua ſermo memoravit, affirmans eum draconem ſedentem in medio fluminum atque dicentem: *Mea ſunt flumina, & ego feci illa*. Novi ego differentias fluminum, & ſcio flumina in quibus draco ſedeat, ſuper quæ flumina hi, qui de Iſrael capti fuerant, ſedentes, cum carmen Sion canere non poſſent, flebant, ſecundum id quod in Pſalmis ſcriptum eſt: *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus*. Et ſcio aliud flumen, cujus impetus lætificat civitatem Dei, juxta Pſalmiſtæ vocem dicentis: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Vis audire quis eſt iſte fluvius, cujus impetus lætificat

Margin references: Pſal. 9. 15. — 1. Cor. 3. — Pſal. 123. — Ezech. 29. — Pſal. 136. 45.

[a] Habes hæc lib. 3. ſimil. IX. cap. 2. & cap 16. Sæpe hunc Paſtoris, ſive Hermæ librum laudat Origenes, nec tamen pro Canonico unquam obtrudit. Quin immo Homil. 9. in Num. *In libello*, inquit, *Paſtoris: ſi cui tamen Scriptura illa recipienda videtur, ſimilia deſignantur*.

[b] Hieronymo impoſuiſſe hic ipſe videtur Origenis locus, ſcribenti in Comment. in Ezechielem cap. 27. de hoc Pſalmi teſtimonio: *Ubi nos legimus*, Venantium, *in Hebraico ſcriptum eſt*, Sidoniorum. Monuimus vero nos in eum locum, in Hebræo יוקשים, *Jocesim*, non *Sidonim* legi, & *Joces*, *aucupem*, *venatorem* vero proprie dici *Sajad* ציד. Vide quæ ad excuſandum memoriæ lapſum in Hieronymo Victorius congerit, nobiſque notata ſunt ad laudatum Ezechielis caput ſupra pag. 307. not. b

cat civitatem Dei? Jesus Christus Dominus noster est fluvius, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Iste est qui ait per Isaiam: *Ecce ego declino in vos quasi fluvius pacis*. Scio ego quosdam esse fluvios repromissos, qui ex hoc fluvio manant. Omnis enim, qui biberit ex aqua ista, sitiet rursum: *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dedero*, ait Jesus, *non sitiet in æternum, sed erit fluvius in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, & flumina de ventre ejus egredientur*. Habes igitur fluvios sanctos, a quibus procul est draco. Quomodo enim tria sunt impossibilia mihi ad intelligendum, via serpentis supra petram, *Petra autem erat Christus*, & non est via serpentis ubi est Jesus: sic non possum in

Isai. 66.

Joan. 4.

A his fluminibus draconis invenire vestigia. Est autem quidam fluvius, quem draco fecit, dicit quippe draco, & comminatur Deus tam draconi, quam fluviis in quibus est draco: *Mea sunt flumina, & ego feci illa*. Audi hæreticum cum omni versutia & ingenio prædicantem, necdum venisse Jesum Christum. Ista sunt flumina, in quibus versatur draco, & ipse fecit ea, & dicit draco: *Mea sunt flumina, & ego feci*

B *illa*. Idcirco diligenter attende, cum aquam biberis, ne forte de illo fluvio bibas, in quo sedit draco: sed bibe ex aqua viva, & de eo fluvio, in quo est sermo Dei, in quo Dominus noster Jesus Christus, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA DECIMAQUARTA

De eo, quod dicitur: *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & nemo per eam transibit, quia Dominus Deus transibit per eam:* Cap. XLIV.

ET *ait Dominus ad eum: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & nemo per eam transibit, quia Dominus Deus Israel transibit per eam, & egredietur. Et erit clausa*. Portas plures Templi describit, specialiter Ezechiel filius hominis, & quod de singulis descripserit portis, nunc rursus exponit his, qui habent aures ad audiendum, de porta sanctorum exteriore quæ respicit contra Orientem, & clausa sit semper. *Et ait Dominus ad eum: Porta hæc clausa erit, non aperietur, & nemo per eam transibit, quia Dominus Deus Israel ingredietur per eam, & egredietur, & erit clausa*. Et aliam caussam addit cur clausa sit porta, non solum quia Dominus Deus transibit per eam, sed quia & dux sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino secundum viam Eloam, quod interpretatur *vestibulum portæ*. *Et ingredietur secundum viam ejus, & egredietur*. Dominus Deus universitatis conditor per aliquam portam, quæ ex sensibili materia est, atque clausa semper ingreditur & egreditur, & ejus caussa, qui cælum terramque fundavit, ingrediens & egrediens nusquam porta reserabitur. Verum alia ratio est portæ exterioris, & secundum viam sanctorum. Quæ est ergo illa ratio, ut clausa permaneat? Supradictus dux ibi sedet, ut nemo eum videat * sedentem panem in conspectu Domini. Qui hæc observate legit, nonne quo-

* les. edentem.

C dammodo Scripturam audit loquentem. *Surge qui dormis?* Nonne stimulatur ut exsurgat a mortuis, & ea, quæ clausa sunt, quærat? Ego audenter dicam, secretiora quæque clausa esse, & manifestiora reserata, & non esse clausa. Aperientes ea, quæ clausa sunt hæc nos dicimus; sed Evangelia testantur. *Væ vobis, scribæ, & Pharisæi hypocritæ, & vobis legis doctoribus væ, quia tulistis clavem scientiæ, & ipsi non intrastis, &* Luc. 11.

D *ingredientes prohibuistis*. Est igitur quædam clavis scientiæ ad ea, quæ sunt clausa, reseranda: & sunt plurimi, neque ipsi ingredientes, neque eos permittentes, qui ingredi volunt. Et in alio loco sensus Scripturarum liber dicitur esse signatus. *Et erunt sermones libri istius, quasi sermones libri signati: quem si dederint homini literas nescienti, dicentes ei, lege, & dicet, nescio literas: & dabunt eum homini scienti literas, dicen-* Isai. 28.

E *tes ei, lege, & dicet, non possum legere, signatus est enim*. Manifestius autem voluntatem hujus exempli, Apocalypsis Joannis continet, memorans: *Circuivit Angelus dicens, quis dignus aperire signacula, & solvere ea, & legere quæ scripta sunt? Et nemo inventus est in cælo, neque in terra, neque sub terra, qui possit aperire signacula, & legere quæ scripta erant in libro. Sed ego flebam. Et venit quidam ad me & dixit mihi: noli flere. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix, &* Apoc. 5.

genus David aperire librum, & solvere signacula ejus. Et aperuit, qui erat de tribu Juda, & manifestavit quæ erant scripta. Quamdiu non venit Deus meus, clausa erat lex, clausus sermo propheticus, velata lectio veteris Testamenti, & usque ad hanc diem, quando legitur Moyses, velamentum in corde Judæorum est positum. Sunt autem quidam, qui amant velamentum, & oderunt eos qui de velamine interpretantur: sed nos convertamur ad Dominum, ut, ablato velamine, dicamus: *Nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam.* (2. Cor. 3.) Verum est quædam porta, & una, & clausa, per quam nemo transiit. Sunt quippe quædam universæ creaturæ incognita, & uni tantummodo nota. Neque enim quicquid novit filius, hoc mundo aperuit. Non capit creatura, quod capit Deus; & ut ad majora veniam, non capiunt signa æqualiter cognitionem. Plus erat in Paulo quam in Timotheo, cum esset vas electionis. Et vere magnum in domo vas, Timotheus rursum capit quæ ego capere non possum. Et est forsitan aliquis, qui etiam me minus capiat: sunt quædam quæ solus Christus capit, & idcirco clausa est janua Templi Dei. Quæ est enim ista obsecro? Exterior, quæ extra mundanas res, & incorporeas, &, ut ita dicam, immateriales aperit. Neque enim frustra positum est, exteriorem januam semper esse clausam. Quæ est ista janua exterior? Sanctorum. Quare clausa? quia Dominus Deus Israel solus ingreditur & egreditur per eam. (Joan. 4.) Quare ingreditur? ut cognoscatur. A quo? a duce. Quis ad clausam portam dux iste? Salvator est, qui panem comedit, qui portam cum Patre claudit, qui spiritali pascitur cibo. *Meus cibus est*, dicens, *ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Clausa est itaque janua ut nemo videat magnum sacerdotem panem in sanctis sanctorum comedentem. Ad hæc autem probanda quæ dicimus, qui Leviticum legit, ablato ex corde suo velamine, poterit agnoscere mysterium sacerdotum. (Levit. 7.) Ibi quippe de sacrificiis & cibis, quæ soli sacerdotes comedunt, refertur. Sunt quidam cibi sacerdotales, quos non comedit sacerdos in domo sua, non cum filiis, licet sacerdotales sint, non cum uxore, licet legitime ei nupserit; sed in loco sancto comedit eos, & comedit ibi escam in * sanctis sanctorum. (* al. sancta) Quomodo sacerdos non comedit escam in domo sua, aut in alio quoquam loco, sed in sanctis sanctorum: sic Salvator meus solus comedit panem, nullo valente comedere cum eo. Est autem quidam locus, in quo comedens, & me secum attrahit ad vescendum. *Ecce enim*, inquit, *ad ostium sto, & pulso, siquis mihi aperuerit, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* (Apoc. 3.) Ex quo apparet, & alium posse cœnare cum eo. Porro quædam esca est, qua solus tantummodo vescitur. Excellens quippe ab universa conditione natura ejus, & ab omnibus segregata, facit eum quotidianum panem de Patris natura comedere. Unusquisque nostrum petit panem quotidianum, & petens quotidianum panem, non eumdem nec ejusdem mensuræ eum accipit, verum semper in orationibus puris, & munda conscientia, in factis justitiæ, quotidianum comedimus panem. Siquis vero minus purus est, alio modo quotidianum comedit panem. Dominus autem, qui omnium judex est, det nobis panem viventem, ut cibati eo, & corroborati possimus in cælum iter facere, glorificantes Deum omnipotentem, per Christum Jesum, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

APPEN-

APPENDIX
COMPLECTENS
OPUSCULA DUO
SUB HIERONYMI NOMINE
ID EST
COMMENT. IN JOB
ET
IN LAMENT. JEREMIÆ.

ADMONITIO.

APpendiculas scriptionum aliquot, quæ falso licet HIERONYMO tribuantur, auctorem tamen præferunt eloquentem ac eruditum, atque in Ejus Operum Editionibus locum tanquam de ejus familia obtinent, nos germanis ejusdem fœtibus, proximius quoad licuit, subnectere identidem pro legentium commodo, opportunitatibusque argumenti studuimus. Ut vero idipsum præstaremus heic loci post Commentarios S. Patris in majores Prophetas (quandoquidem in Veronensi, quam κατὰ πόδα *describimus editione Appendix ejusmodi nulla) idonea nobis occasio obtulit, ipsa scilicet typographi Zerletii æquitas, qui studiosorum mavult quam suis commodis consuluisse. Quum enim Tomi hujus quinti pars prima, ne male interciperentur in Ezechielem Commentarii, plus medio excreverit; ne justo exilior hæc altera videretur, rogavit, ut si quid rite atque apposite huc transferre licuisset, ampliandi voluminis gratia sufficeremus. Excepimus itaque nos de ultimo, sive XI. Editionis nostræ Veronensis Tomo, qui subdititias omnes scriptiones continet, istud melioris utique notæ Commentariolum* in Jobum, *eoque appositiorem Tractatum in* Lamentationes Jeremiæ de Alphabeto, *quæ scripta ejusdem sive modi, sive argumenti, sive indolis sunt cum præcedentibus in majores Prophetas Commentariis, quibus pars hæc altera Tomi quinti concluditur.*

Jam quod ipsum spectat Commentariolum, notatum pridem est nobis in Admonitione ad Expositionem Interlinearem, *quam in Appendice Tomi tertii (nunc sexti parte altera) exhibemus, fuisse illud a Joanne Sichardo erutum olim e Fuldensi Bibliotheca, vulgatumque Basilææ anno* 1527. *nec immerito adscriptum Philippo, qui S. Hie-*

ronymi insignis auditor fuit. Sed & plura alia hac super re ibi animadvertimus, quæ antequam ad legendum Commentarium accedas, huc tutte referas.

Porro Tractatum in Lamentationes Jeremiæ *Erasmus in priore sua Editione recensuerat inter gnesia cum reliquis tribus libris. Edoctus est postmodum, esse istud operis, aut certe videri Bedæ, cujus hoc præcipuum fuit studium, ut ex Veterum libris contexeret suorum Commentariorum veluti centones, in quibus quædam reperias de aliorum monimentis ad verbum descripta.*



COM-

COMMENTARII IN JOB.

IN JOB PROOEMIUM.

JOB, qui *dolens*, vel (a) *magnus* interpretatur figuram Christi portavit. Amici vero ejus figuram hæreticorum tenent, qui sub nomine Christi, Christum blasphemant & impugnant; Heliu vero, & * Baalam, typum præferunt Philosophorum, quia *foris* id est, extra fidem positi, insidiantur Ecclesiæ Dei. Isti enim pretiosa nomina sibi imponunt, quasi ipsi sint aurum Dei, vel præcipui speculatores ejus. Eliphaz enim in Latino, (b) *Dei mei aurum* sonat. Baldad, *præcipuus*, * *vetusta secreta*. Sophar, *speculator*, vel *buccina*. Hi enim elati pro eo quod per naturæ bonum, aliqua sapienter prædicabant, apud se jactitantes severitatem, cum assertores sint mendacii: quia de Christo, non ut divinitati ejus, sed ut ipsorum impietati competit, sic loquuntur.

* Baldad.
* vetustas.

COMMENTARII.

Caput. I.

VIR *erat in terra Huz, nomine Job. Et erat vir ille simplex & rectus ac timens Deum, & recedens a malo. Natique sunt ei septem filii, & tres filiæ. Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum: quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et ibant filii ejus, & faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo &c.* Huz & Buz filii fuerunt Nachor fratris Abrahæ, filii Melchæ sororis Saræ, de cujus stirpe Job descendit. * Non sicut quidam falso suspicantur, de genere eum fuisse Esau. Nam Eliphaz nascitur de Ada uxore Esau, & regnavit in Theman, unde etiam Themanites dictus est. Theman, Idumæa, Seir Daroma, Zebora, regio fuit Esau. Habitavit autem Job vir magnus in terra Huz, quæ interpretatur consiliatrix. Sed & Elchana, qui interpretatur *possessio Dei*, pater sanctissimi Samuelis Prophetæ, vir unus appellatur: non enim per diversa mobilis atque instabilis ferebatur, sed firmus atque inconcussus persistens, vir unus erat: & idcirco in monte Ephraim *fructifero* morabatur. In alta scilicet contemplatione virtutum, ut a nullis subjacentibus & circumlatrantibus vitiorum agitationibus, mentis ejus sublimitas deiiceretur, vel unitas scinderetur. Proinde hic vir magnus atque egregius Job, in terra Huz habitasse perhibetur, quæ *consiliatrix* interpretatur. Non enim terra carnis ejus, animum ipsius superabat, sed imperantis animi consilio cuncta faciebat: unde & ipse ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine*. Hoc ergo consilium & pactum quondam sibi invicem inierunt, homo ejus interior & exterior: ut terra, id est, caro ejus, obediendo fieret consiliatrix spiritui, ne in ea dominaretur iniquitas. Et quia vir, juxta divinum testimonium, simplex erat, habitans in domo: quatuor his pollebat virtutibus, prudentia, justitia, fortitudine, temperantia.

* Hier. Quæst. in Gen.

Offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, & maledixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus. Quadam autem die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino: affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens ait. Circumivi terram, & perambulavi eam. Dixitque Dominus ad eum: Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra: homo simplex & rectus ac timens Deum & recedens a malo? Cui respondens Satan, ait:

a Lege omnino, *magnus*, & vid. Lib. Nominum col. 125 &c.

b In eodem Lexico Nom. *Eliphaz, Dei contemtus. Baldad, vetustas sola. Sophar, speculæ dissipatio, vel speculatorem dissipans, sive speculatorem videbo.*

ait: Nunquid frustra Job timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus universamque substantiam ejus per circumitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra. Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini. Cum autem quadam die filii & filiæ ejus comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Job qui diceret: Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos, & irruerunt Sabæi: tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio: & evasi ego solus ut nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit, Ignis Dei cecidit e cœlo & tactas oves puerosque consumpsit: & effugi solus ut nuntiarem tibi. Sed adhuc illo loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos: necnon pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, ut nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus, ut nuntiarem tibi. Pro filiis suis, quos ita regebat, ut non tam pro præsentibus criminibus, quam pro occultis in corde peccatis, quæ hominum quoque fugere notitiam possunt, divinam clementiam assiduis sacrificiis exoraret. Privilegium vero offerendi primogenitis, vel maxime regibus debebatur: pro excellentia videlicet sapientiæ, vel nobilitate generis. Et quia typum Christi Job ferre diximus, videamus nunc quid terra Huz in Christo significet. Terram hanc, assumtum verum hominem ex Maria intelligimus, quæ ideo Filio Dei assumente eam consiliatrix dicitur, quod per divinitatem assumentis habitant in ea thesauri divinæ sapientiæ & scientiæ absconditi: quam sibi ita indissolubili connexione conjunxit, ut ipse in Trinitate unus sit Filius Dei. Septem vero filii, septiformem Spiritus Sancti gratiam; & tres filiæ, legem & Prophetiam, & Evangelium nobis videntur significare. Oves plebem Christi, propter innocentiam, quæ in baptismo sordes peccatorum deposuerint, nominat. In camelis vero, gentium pravitatem, cum oneribus criminum & tortuosis sensibus ad Christum venientium ostendit. In bobus, qui munda animalia sunt, Judæorum plebem. In asinis vero immundum pecus, gentium populum demonstravit. Unde Isaias ait: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: scilicet quod nativitatem Christi in carne & Judæi ex parte, & gentes agnoverint: & in præsepi altaris Domini, quasi munda animalia per baptismum accesserint: forte ad hoc respicit illud Evangelii: *Jugum enim meum*

A *suave est, & onus meum leve*. In jugo, Judæos: in asino, ad quem onus magis pertinet, gentes, ut supra diximus significavit. Magnus, dicitur Christus inter omnes Orientales, secundum illud: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Numerus vero animalium in septem & tribus millibus, atque in quingentis sacratus est. Nam septem juxta authoritatem Scripturarum, plenitudinem quamdam sacri mysterii significant: ut ibi, Septem spiritus, septem candelabra, septem Ecclesiæ. In tribus vero millibus: anima & corpus & spiritus, vel triformis doctrinæ scientia,
B in Scripturis sanctis, sive sacramentum beatæ Trinitatis potest intelligi: pro eo quod omnis multitudo credentium, trium dierum viam ambulans, ad perfectionem æternitatis desiderat pervenire. Quingenti vero qui de quinque consurgunt quinquiplicati quinquaginta quinque faciunt, peractis lubricæ ætatis fragilitatibus, in virum perfectum hominem transisse significant: & per decies quinos quinquaginta perveniunt, ita per decies quinquagenos ad quingentos ascendunt. Similiter Ecclesiam totam, quæ columnam & firmamentum veritatis Christi figurat: in qua sensus nostri, vel puri-
C ficationem, vel remissionem peccatorum accipiunt: quia in isto numero non solum remissio peccatorum, sed etiam adventus sancti Spiritus declaratur. Filii vero Dei: vel angeli, vel sancti intelligendi sunt, qui dono gratiæ Spiritus Sancti Filii Dei vocantur. Inter hos ergo diabolus astare dicitur: quia ex permissione Dei plerumque Sanctos audet tentare. Miranda filiorum Job tam fraterna concordia. Sed quia Job typum Christum portare ostendimus: hos inferius per figuram septem gratias Ecclesiæ esse dicimus, qui spirituali funguntur sacramentorum convivio, Legem, Pro-
D phetiam, & Evangelia: quasi tres sorores secum habentes, divinorum eloquiorum intelligentiæ dapibus saturantur. In ruina vero domus, quæ oppressit filios Job; antiquorum principum, regnorum persecutionem, vel sævitiam contra Ecclesiam ostendit. Qui vero solus permansit ut nuntiaret, raritatem ipsorum persecutorum indicat. Sabæi interpretantur *captivi*: & Chaldæi *quasi dæmonia*: hi nempe captivi dæmonum impugnant Ecclesiam: hi non solum ubi possunt, abigunt greges dominicos, verum etiam eos igne suo, quem cœli esse mentiuntur, hæresibus vel superstitionis
E pravitate consumunt. Præsentiæ etiam regum venti violentissimi similitudine violentæ, quatuor Evangeliis velut angulis confirmatam, Christi domum concutiunt: ut prædicti septem filii, & tres filiæ pariter cum ipsa domo intereant.

Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua & tonso capite corruens in terram, adoravit & dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

Sur-

Surrexit ad tolerantiam patientiæ. Nam & Job, id est Christus, ad pacem dandam Ecclesiæ surrexit, ut gestum significet vindictæ. Vestimenta vero scidit: fideles ab infidelibus separavit. Procidit in terram, cum se de forma Dei usque ad formam servi exinanivit. Nudus egressus est de utero matris suæ, nulla videlicet sorde peccati originalis aspersus. Ex persona hominis ait: *Dominus dedit, & Dominus abstulit.* Dedit Pater bonos in hæreditatem, & malos a regno Filii sui seclusit.

In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est, Hoc ait: quia stulte loqui non potuit sapientia Patris: neque peccatum committere immaculatus agnus.

Caput II.

FACTUM *est autem cum quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino: venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu ejus, ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis? Qui respondens ait: Circumivi terram, & perambulavi eam. Et ait Dominus ad Satan: Nunquid considerasti servum meum Job: quod non sit ei similis in terra: vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti me adversus eum, ut affligerem eum frustra. Cui respondens Satan ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius serva. Egressus est igitur Satan a facie Domini: & percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus: qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam. Quasi una de stultis mulieribus locuta es: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis. Igitur audientes tres amici Job omne malum quod accidisset ei: venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum.* Non quod Deus ignoret; sed ut nos doceat, quid responderit Satan, qui interpretatur *adversarius.*

Et exclamantes ploraverunt: scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem. Nam & omnes hæretici Christi amicos se esse dicunt; cujus se sanguine redemtos gloriantur. Et postmodum inimici efficiuntur ejus, impugnando Ecclesiam suam. Quod autem videntes plagam ejus, sciderunt vestimenta, & miserunt pulverem super caput suum: illos hæreticos significat, qui Christum in gloria cœlesti Deum credunt: incarnationem & passionem non credunt: sed opprobriis & humiliatione ejus offensi, in blasphemiam erumpentes, fidem scindunt, atque a corporis unitate discedunt. Et pulverem mittentes super capita sua, terreno & mortuo sensu, corda sua operiunt atque obruunt. Omni etiam tempore vitæ suæ, quæ in septem diebus ac noctibus continetur; indignum os suum confessione divina, muta infidelitatis improbitate condemnant, & obstruetur os loquentium iniqua.

Caput III.

POST *hæc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, & locutus est: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est homo. Dies illa vertatur in tenebras.* Post hæc, sicut ait scriptor hujus historiæ, quem Moysem esse tradit opinio: Aperuit Job os suum, & maledixit diei suo dicens: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo.* Job qui typum habuit Salvatoris in se, humani generis mortalitatem deflevit: quæ propter peccatum ex Dei justa sententia, homini inflicta est. *Pereat dies in qua natus sum*: redeat per Christum immortalitas, quam Adam reatu prævaricationis amisit, & abeat mors a me, quam alio delinquente contraxi. Et Jeremias: *Maledicta dies, in qua natus sum.* Unde nulli dubium est, quod hi omnes prævaricationem Adæ detestentur. Spiritualiter ergo dies cum sua nocte, diabolus & mortalitas possunt intelligi: non quia dies sit, sed quia fuerit quando permanebat cum Deo, a quo recedens factus est nox, vel quia impiis ac peccatoribus, in hac prosperitate & felicitate gaudentibus, dies esse videatur. Unde dicitur:

Auferetur ab impiis lux sua. Non requirat eum Deus desuper. Hoc est, ne fiat ejus memoria ante Deum in bonum.

Et non illustretur lumine. Recognitionis Dei, vel pœnitentiæ.

Obscurent eum tenebræ & umbra mortis. Tenebræ, peccata sunt & invidia.

Occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Id est, cæcitas cordis.

Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Quia ad amaritudinem provocat Deum, sicut & cæteri satellites ejus: furore iræ Dei apprehensus, circumdetur omnibus malis, & involvatur. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*: id est, diabolus, qui diem felicitatis homini abstulit, & noctem inquietæ vitæ turbulentus invexit.

Non computetur in diebus anni. Annus Christus intelligitur, qui in se cuncta revolvit & continet. In hujus ergo diebus anni, non computetur diabolus: id est, sanctorum numero non conjungatur.

Nec numeretur in mensibus. Menses hoc loco sanctos Apostolos recte intelligimus, qui

qui ut ligna paradisi, spirituales Ecclesiæ afferunt fructus.

Sit nox illa solitaria, nec laude digna. Apostolorum scilicet prædicatione, ubi dies salutis agnoscitur, quam Abraham vidit, & lætatus est.

Maledicant ei qui maledicunt diei: qui parati sunt suscitare Leviathan. Sancti utique diei prævaricationis mortis suæ cum detestatione maledicunt: qui non serviendo vitiis, suscitant contra se draconem, fortissimum scilicet hostem.

Obtenebrentur stellæ caligine ejus. Peccatores scilicet, qui in nocte, sæculi divitiis & honore lucere se putant, cæcitatis caligine tenebrentur, & merito suo, Evangelii lumen non videant.

Expectet lucem, & non videat. Nec nox prævaricationis & mortis, in qua diabolus regnum tenet, potest lumen Redemptoris Christi cognoscere; neque illi qui in ea nascuntur, nisi eam per baptismum renati destruxerint.

Nec ortum surgentis auroræ. Resurrectionem Christi significavit: unde in psalmo, vigilia matutina dicitur.

Quia non conclusit ostia ventris qui portavit me: nec abstulit mala ab oculis ejus. Quare non in vulva mortuus sum? Quare egressus ex utero non statim perii: Cur exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? Sub persona sua, humani generis plangit miserias: quare iterum moriturus, mala istius vitæ patiatur: quare mortalem ipsa mors non extinxerit in utero?

Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines: aut cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento. Principes, & Reges, & Consules, & si in inferno squalores tartareos patiuntur: nunc tamen in corporibus suis tormenta non sentiunt. Horum mortem mihi venire hac conditione voluissem.

Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem. Variis modis & exemplis dicit, quod pœnas istas in quibus erat, non debuerat pati. Quare non in vulva mortuus sum? Et deinceps ait. Nunc autem dormiens silerem, & somno meo requiescerem cum regibus & consulibus. Forte exemplum contra eos est, qui dicunt non resurrecturos, nisi qui juxta ordinem nati fuerint. Si enim concepti moriuntur in utero, necesse est, quia vivi fuerint: & quicquid moritur, haud dubie quia resurget. Ita quod in membris fuit & vixit, & natura minus dederit: hoc resurrectione in integrum reparabitur: sic enim humani generis instauratio in melius totum reddet, quod natura fraudaverat. Dicit etiam abortiva, quæ in natura humana degenerata sunt, a pœnis esse aliena, qui sibi solitudines magis quam domus ædificant. Habitat enim diabolus in civitatibus desolatis, & in domibus desertis. Non habentes hospitem Deum, & possident aurum, ut sunt philosophi, & alii sapientes hujus mundi, fulgorem boni ingenii, splendoremque eloquii.

Ibi impii cessaverunt a tumultu. Procul dubio in inferno. Et sicut Septuaginta transtulerunt, ibi *impii deposuerunt furorem suum*, id est, typhus & superbia, cum sævitia in hoc sæculo gloriantium, humiliata est in inferno.

Et ibi requieverunt fessi robore. Sicut alia habet translatio: *ibi requieverunt fatigati corpore*: ab oppressione utique & miseria, labore etiam istius mundi liberati.

Et quondam vincti pariter sine molestia. Vincientes & quondam vinctos in inferno dicit pariter habitare, sine injuria tamen & molestia vinculatorum: non ita ut istic ubi præter pœnas, captivitate vel servitute dura, diversis etiam aliis calamitatibus, homines obligantur, dominatu & injustitia iniquorum.

Non audierunt vocem exactoris. Jussa imperantium vel inique exigentium, non verentur.

Parvus & magnus ibi sunt, & servus & liber a domino suo. Quare misero data est lux, & vita his in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. Cum sit, ergo, ut video, in inferno æqualitas personarum, & nullus de alterius dominatione formidat: cur mihi misero data est lux ista, & vita similis eis qui in amaritudine animæ suæ sunt, cum meliora sint inferorum ergastula, quam istius mundi miserabilis vita cruciatibus plena: ubi præ angustiis homines mortem quærunt, & magno desiderio, ut veniat, expectant. Exemplum egregium adhibuit, dicens: Quasi effodientes thesaurum, quia nimirum utique gratulantur, cum optatam sibi invenerint sepulturam.

Viro cujus abscondita est vita; & circumdedit eum Deus tenebris. De se dicit: sic itaque incedebam in mandatis Dei, credens quod mihi fructus justitiæ meæ responderet; sed absconditum est meritum vitæ meæ, & pro hoc pœnarum tenebris circumdatus sum: ita ut illud bonum mihi subtractum sit, & hoc malum appositum. Quod autem pœnas tenebrarum nomine dixerit, audi quid sequitur:

Antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus. Inter cæteros cruciatus, etiam hanc ei diabolus infirmitatem inflixerat, quam infirmitatem medici bolimiodes appellant, quæ infirmitas talem habere dicitur pœnam, ut ante cibum torqueatur ægrotus, & sint ei post cibum indesinentes dolores. Unde dicit: Quasi inundantes aquæ, sicut rugitus meus.

Quia timor quem timebam evenit mihi. Timebam enim peccando lædere Deum, & ille offensus, iram justitiæ suæ in me exerceat. Sed quid profuit cavisse a peccatis, quandoquidem ut reus omnium peccatorum discrucior? Sequitur:

Et quod verebar accidit. Aliis verbis ipsum re-

repetit, quod superius dixerat. Pro confirmatione dicti solent in Scripturis talia iterari. Non arroganter hæc dicit, ut faciat Deo injuriam, sed conscientiæ merito libere loquitur.

Nonne dissimulavi? Non reddendo retribuentibus mihi mala.

Nonne silui? Ut non delinquerem in lingua mea, posui ori meo custodiam.

Nonne quievi? Sciens cum surrexit in judicio Deus, quod salvos facturus sit omnes mansuetos terræ.

Et venit super me indignatio. Indignationem hoc loco plagarum molem dicit, quam refert super se cecidisse, cujus pondere & B doloribus se gemit obrutum: cum ipse esset, ut superius ait, morbis castigatus: quas pœnas in consequentibus, sagittas dicit: sicut ait: *Sagittæ Domini in me sunt: quarum indignatio ebibit spiritum meum*: sive ut alia Translatio habet, *ebibit sanguinem meum*. Et proprie sagittæ vermes possunt intelligi, quia ab eis indesinentibus stimulis pungebatur: sicut ipse Job ait: Et qui comederunt, non dormiunt. Quos diabolus ad comedendum eum acriores faciebat, & illi quasi indignantes & irascentes, ita carnem ejus morsibus fodiebant, ut velut sagittæ viscerum interiora penetrarent. Explicit C ubi Job maledixit diem nativitatis suæ.

Caput IV.

RESPONDENS *autem Eliphaz Themanites, dixit: Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Sed conceptum sermonem tenere quis poterit?* Concepta ergo verba edit in injuriam audientis, & dicit ita:

Ecce docuisti multos. Id est, quamplurimos solertia tua, & bonitate ab erroribus revocasti.

Et manus lassas roborasti. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia D confortasti. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? Ista ergo in sanctum Job cum irrisione dicuntur: & istum habent sensum: si hæc fecisses quæ dixi, nunquam in hæc tam mala ad exemplum mortalium incidisses, quia Deum rerum omnium conditorem bonum scimus & justum.

Recordare, obsecro te: quis enim unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, E flante Deo, periisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos. Ergo ignoras Abel in principio innocentem occisum, & Abraham Patriarcham propter uxorem suam fuisse periclitatum: & hæc non discernens, generaliter das sententiam, ut cum alii hominum flagellentur a Domino, ut emendentur, alii ut probentur, de quibus iste est: cur huic velut reo pœnam exprobras? Quin potius eos qui operabantur iniquitatem, flante Deo, periisse: id est, ut judicis sententia

A velut vento vehementissimo sublatos a spe æternæ vitæ

Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. In rugitu leænæ & voce, sævitiam deprædantis voluit significare.

Tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt. Porro ad me dictum est verbum absconditum. In tigri velocitatem ejus ad spoliandos homines, prædamque ex eis capiendam describit, cujus etiam catuli similes ejus dissipati sunt & interempti. In alia Editione pro tigri, myrmicoleon, id est, formica, & leo, B quem nos verius diabolum dixerimus: qui quando prædam agit, de Sanctis tanquam de majoribus rebus, ut leo habendus est: quando vero minima quærit auferre, formica dicendus est. Et quia sicut formica grana de area, ita ille cogitationes bonas aufert de cordibus hominum.

Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Stetit quidam, cujus non cognoscebam vultum, imago C coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audivi. Nunquid homo Dei comparatione justificabitur: aut factore suo purior erit vir? Id est, latenter ad aurem cordis mei, virtus sententiæ velut quodam spiramine penetravit.

Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas. Dicitur quidem diabolo, qui quondam sanctus angelus fuit, quod in veritate non steterit, & ab illa sublimitate angelica propria voluntate deciderit: sed tamen non est continuo generale: ut sicut in illo, ita & in omnibus D angelis inveniatur pravitas, quæ est peccatum. Omnis enim natura, sine dubio creata, capax peccati est: ut apparuit in angelo de quo dixi: quia in veritate non stetit: tamen per donum & gratiam creatoris sui, ita in amorem caritatis illius transierunt, ut jam nec velint peccare, nec possint.

Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea. Si domus luteæ sunt corpora nostra: fundamentum domorum nostrarum, vitam hanc temporariam esse, credendum est, qua subtracta, domus luteæ ruunt in mortem.

De mane usque ad vesperam succidentur, E & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Qui autem reliqui fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia. In uno die, totam vitam hominum monstravit, quæ in mundo vernat. In parvulis floret, in juvenibus convalescit, & roboratur matura ætate: in senioribus, tanquam in fructibus, & postremum in decrepita senectute conficitur, quam hic vesperam appellavit. Unde est illud in psalmo: *Mane sicut herba transeat*, & reliqua: decidit in morte, induratur in cadavere.

Ca-

Caput V.

VOCA ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere. Virum stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia. Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus statim. Longe fient filii ejus a salute, & conterentur in porta, & non erit qui eruat. Stultum dicit, qui de suis meritis gloriatur. Sed hic pulchritudinem, nomine falsæ felicitatis appellat: quæ maledicenda est, & execranda est, quia eam sequitur interitus sempiternus.

Cujus messem famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias ejus. Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egredietur dolor. Sitientes, famelici, & armati: diabolus & sui possunt intelligi, qui potestatem accipiunt a Deo, ut vastent iniquos: vel sitientes hominum mortem, omne scilicet bonum naturæ, & quod nomine divitiarum dictum est, ab eis velut haustum poculum absorbetur · vel homines iniqui, qui premunt subjectos.

Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum. Quamobrem ego deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum. Id est, labor hominem * monet, ut ab omnibus vitiis castigatus incedat.

* manet.

Qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia absque numero. Qui dat pluviam super faciem terræ, & irrigat aquis universa. Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate. Ut in Filio Dei homo Christus sit Deus, & per eum Ecclesia.

Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possit implere manus eorum quod cœperant. Judæorum videlicet, qui Christum putaverunt extinguere, & nomen ejus delere de terra. Vel in martyribus persecutorum Ecclesiæ adversantium dissipavit cogitationes, sicut Herodis in Petro. Et aliter: Non implent manus eorum quo volunt, quia alii eorum liberantur ad tempus: alii vero per januam mortis introducuntur ad vitam, & istos, & illos salvabit Deus. Illos aperte liberando, hos occulte coronando.

Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat. Philosophos scilicet, vel Judæos doctrina apostolica convincens, & ad nihilum errores eorum redigens.

Per diem incurrent tenebras. Dies erat in Judæis, de regno, sacerdotio, lege, unius etiam Dei religione gloriantibus: sed non credentes in Christo, tenebras perfidiæ inciderunt.

Et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Utique prosperitatis suæ, quæ cum solito circa felices sæculi hujus splendore vanæ gloriæ amplius fuerit, qua se longa securitate munitos putabant eam usque ad ætatis suæ vesperam possessuros: in tribulatione subita, quæ noctis nomine dicta est, stupore nimio, in angustiis coarctati, mortis etiam timore perculsi, palpare dicuntur, perditi utique consilio, quid facerent ignorantes.

A *Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.* Christum a blasphemiis Judæorum: quia lingua eorum gladius acutus fuit, dicendo, crucifige eum.

Et erit egeno spes: iniquitas autem contrahet os suum. Beatus homo qui corripitur a Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus ejus sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. In fame eruet te de morte. Resurrectionis Christi virtutem ostendit.

Et in bello de manu gladii. Sed videamus,
B ne forte gladium peccatum dicat, dimicans contra animam hominis, ut eam sibi acquiescentem prosternat. Quod peccatum gladii nomine dicitur per Prophetam, ut ait: *Speculator si viderit gladium venientem.*

A flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit. Si conversus fueris ad Deum, interiora tua, gladii verborum, per linguam jaculati non penetrant, & calamitates, vel mala quæ a Deo irrogantur peccatoribus, non timebis.

In vastitate, & fame ridebis. Ridebis, dixit, pro exultabit, atque gaudebis, & lætus eris, cum alios videris fame affici, si-
C ve præsenti, sive etiam intellectuali.

Et bestias terræ non formidabis. Hæc septima extremaque tribulatio. Bestiæ terræ, possunt & ista animantia, quæ sunt sine ratione intelligi, quibus ad devorandum homines dantur in potestatem, & homines mali, bestiæ appellantur, mores habentes similes moribus bestiarum, contra quas pugnasse se Ephesi dicit Apostolus. Non formidabis ergo, inquit, hoc malum, cum correptus a Domino, viam emendationis intraveris.

Sed cum lapidibus regionum pactum tuum. Lapides per metaphoram, homines dixit
D stabiles & quietos qui sunt utique justi, & sancti: hi namque in modum lapidum firmi in Deo sunt, per regiones varias constituti. Cum his itaque habebis pactum solidæ caritatis, ut ab eis nunquam te tribulatio possit avellere.

Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Homines videlicet quondam feri, & mali, in innocentia, ut oves effecti: nomen tamen pristinum retinentes, sicut de Matthæo Evangelista dicitur: *Matthæus publicanus.*

Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. Ab istis omnibus quibus velut ab hostibus expugnatur tabernaculum, vel ha-
E bitatio, sive domus corporis tui.

Et visitans speciem tuam non peccabis. Hoc dicit: Hominis tui speciem, o Job, ut divina visitatione dignam exhibeas peto: ac habitationis, & habitantis nomine, totum integrum hominem signavit.

Et scies, quoniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua quasi herba terræ. Spiritualiter de omnibus Sanctis dictum sentire possumus, quod filios in operibus bonis habeant. Isti tales filii cogitationum semine concepti pariuntur in opera, & Sancti hujus

hujus generationis multitudine gloriantur: quoniam talibus magis quam carnalibus Filiis Deo placere voluerunt. Potuit ergo Eliphaz, quasi consilium dans Job, ita dicere: Si conversus ad Deum fueris, ita ut te tuorum operum antiquorum pœniteat, cordis tui virtutibus, velut seminibus abundabis. De quibus opera bona, tanquam sanctitatis filios poteris procreare: ita ut progenies operum tuorum multitudini herbarum virescentium comparetur, quarum radices, si spe intus habeas in corde defixas, terra tua flores cum fructibus germinabit.

Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Consummatis annis provectæ ætatis, plenusque dierum in tumulum positus requiesces, ut in tempore justi judicii Dei, a sordibus peccatorum minimis & levibus purgatus inveniaris: velut triticum quod coacervatur in aream.

Ecce hoc ut investigavimus, ita est, quod auditum mente pertracta. Hoc dicit, quæcumque a me tibi dicta sunt, diligenter investigata vera noveris: quæ ipse ad emendationem tuam, debes corde percipere.

Caput VI.

RESPONDENS *autem Job dixit: Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc gravior appareret. Unde & verba mea dolore sunt plena.* Dicitis me peccatis meis facientibus ista pati: propter quod velim, ut peccata contra calamitatem hanc quam patior pensarentur, & illico videretis, quia hæc ipsa calamitas velut arena maris, supra horum peccatorum merita ponderaret.

Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me. Hic potest videri, quod superius sagittarum nomine vermes dixerit: a quibus tum indesinenter pungebatur, nec loqui permittebatur: non quod vermes talem sensum habuerint, ut hoc judicio facerent, sed permissu Dei, a potestate adversaria, ut acriores essent, etiam ipsis motibus agebant: sicut locustæ, muscæ & ranæ in Ægypto. Quod autem dixit: Terrores Domini militant contra me, potest ipse diabolus cum suis intelligi: qui adhibitis cruciatibus, ut cæderet Job, & ut innocentiam sanctitatemque amitteret, insuper terroribus minabatur: quod etiam multi persecutores, ministri diaboli, sanctis Martyribus facere voluerunt. Obsederunt in gyro tabernaculum meum. Ecce hic manifeste ostendit, quod velut hostes inimicique diaboli, & sui acriter militarent: hi enim maligni spiritus, diverso modo accipiunt potestatem: ad aliorum quidem damnationem, aliorum vero emendationem, aliorum autem probationem: qui de suis moribus vel ministerio, mali, sive terrores, vel etiam latrones nuncupantur.

A Omnia dedit in manibus eorum, id est, prædonum. Omnia utique quæ habuit, sive filios meos, sive substantiam: sicut & meipsum dedit Deus in manibus diaboli, sive suorum satellitum.

Nunquid rugiet onager cum habuerit herbam: aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit? Sicut enim illa cum vel abundant pabulis, nullam quasi querelarum vocem emittunt, ut pabuli inopiam protestentur: simili modo, inquiens, & ego si pacem & quietem potius quam bellum haberem in membris, & in anima mea, nullum sermonem amarum asperumve pro-
B ferrem.

Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum. Quomodo ratio non sinit naturalis, ut quicquam insulsum comedi possit: ita ego nihil insulsum, nihil stultum contra Deum, nihil quod non fidei sale conditum esset, operatus sum.

Aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Anima enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur. Sicut enim nemo mortiferum aliquod comedit, ut vitæ suæ inimicus sit: ita ego peccatum contingere pertimescebam.

Quæ prius nolebat tangere anima mea: nunc
C *præ angustia cibi mei sunt.* Hoc est, verbis nunc pascor asperis, & amaris, quæ mihi immensitas pœnalis extorquet. Hæc enim timebam meo ore depromere, quando in sanctitate & justitia cum pace quiete vivebam. Sed & prætereundum non est, quia hoc quoque inter cæteras pœnas passus sit Job, ut etiam cibi ei fœtidi viderentur: sicut est odor leonis, feralis utique, & nimium horridus: qui odor cum de ejus visceribus erumperet, escæ suæ ei id sapiebant, quod suarum spirabant interna febrium. Quod ipse ostendit ubi dicit, Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie:
D id est, jam decocta sunt, & putrefacta.

Quis det ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? Hæc mihi sit consolatio, ut finem pœnæ, vel cruciatuum meorum, remedia mortis obtineam.

Et qui cœpit, ipse me conterat. Solvat manum suam & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat: nec contradicam sermonibus sanctis? Quæ est enim fortitudo mea ut sustineam: aut quis finis meus ut patienter agam? Hanc igitur mortem potestati divinæ Job solvi exoptat, ut ab ea decidens cadat in hanc temporariam mortem, quatenus præsentes pœnas
E possit evadere: cum velut arbor de hac vita succisus fuerit.

Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea: nec caro mea ænea est. Caro mea corrumpitur sanie ac putredine vulnerum: quia non est in me talis fortitudo, velut lapidum, ut dolores non sentiam.

Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque mei recesserunt a me. Tam ex sua, quam ex persona Christi Propheta hoc dicit.

Qui tollit ab inimico suo misericordiam, timorem

morem Domini derelinquit. Fratres mei praterierunt me: sicut torrens qui raptim transit in convallibus. Misericordia est, ad miserias eorum qui tribulantur, compatiendo mœrore cordis deflecti: hanc vos dum amico non impenditis, timorem Domini derelinquitis.

Qui timent pruinam, irruet super eos nix. Tempore quo fuerint dissipati, peribunt. Timebam peccata etiam minima perpetrare, ne pro eis Dei in me ultio desæviret: & ecce nunc ita punior, tanquam scelera immania commiserim.

Et ut incaluerint, solventur de loco suo. Ubi fervere cœperat nomen ejus in populis, in gloriæ suæ loco non comparuit, velut nix cum calore dissolvitur.

Involuta sunt semita gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt. Semitas virtutes animi dixit, in quibus ut Deo placeret, omni studio gradiebatur: has semitas malis quæ patiebatur involutas atque implicitas esse dicit, dum bonis vitæ suæ, suppliciorum admiscerentur mala.

Considerate semitas Theman: itinera Sabba, & expectate paulisper. Confusi sunt, quia speravi. Venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperti sunt. Id est, intuemini ad hæc loca quæ dixi, & ipso silentio cognoscetis, vera esse que dixi. Respicite ad vias diversorum regnorum: per quas ad me omnium gentium frequentiæ confluebant, & videbitis eas raritate, imo solitudine hominum desolatas.

Nunc venistis, & modo videntes plagam meam timetis. Nunquid dixi: Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi: vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me? Docete me, & ego tacebo, & si quid forte ignoravit, instruite me. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis. Hoc dicit, quod & ipsi amici sui, exemplo ejus ruinam sibi similem formidarent. Nonne quievi, nonne dissimulavi, patientiam videlicet aut vindictam malorum? Nonne silui, silentio cohibens linguam meam, ut non responderem exprobrantibus mihi mala: vel ne in toto mihi nominaretur iniquitas. His ergo veritatis sermonibus detraxistis, quando quidem me in his non solum fallacem, verum etiam in aliis rebus criminosum judicastis: cum vestrum nullus ita mundus sit a peccato, ut quemquam posset libera conscientia increpare.

Super pupillum irruitis, & subvertere nitimini amicum vestrum. Veruntamen quod cœpistis, explete. Præbete aurem, & videte an mentiar. Desolatum scilicet a parentibus & amicis.

Respondete obsecro absque contentione, & loquentes id quod justum est, judicate. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem: nec in faucibus meis stultitia personabit. Non sit contradicendi studium, quod contentionis generat morbum: & ita demum animosi-
A tatis caligine non perturbati, poteritis in me & vos quod justum est judicare.

Caput VII.

MILITIA *est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarii, dies ejus.* Dimicans contra invisibiles adversarios.

Sicut cervus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero dicam quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tene-
B *bras. Induta est caro mea putredine.* Similiter, & ego me consequi arbitrabar, sed pro umbra refrigerii incurri æstus pœnarum, & pro mercede mei operis, vacuus dimissus sum.

Et sordibus pulveris cutis mea aruit, & contracta est. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, & consumti sunt absque ulla spe. Memento, quia ventus est vita mea: & non revertetur oculus meus ut videat bona. Hoc etiam a tormentorum pertinebat dolorem, ut sanies quæ de putredine ferventium vulnerum defluebat, sordibus infusa pulveris, cutem ejus exsic-
C caret, atque contraheret.

Nec aspiciet me visus hominis. In ea enim pace, & gloria, divitiis, & honore, ubi antea fui, jam non sum ab hominibus videndus.

Oculi tui in me, & non subsistam. Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descendit ad inferos non ascendet: nec revertetur ultra in domum suam. Quia oculi tui quasi iracundia pleni, in me idcirco sunt intendentes: ut plagas graviores inimici mei accumulent.

Neque cognoscet eum amplius locus ejus. Quapropter, & ego non parcam ori meo: lo-
D *quar in tribulatione spiritus mei, confabulabor cum amaritudine animæ meæ. Nunquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere? Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum.* Id est, pristina mundi istius conversatio, non erit in homine commutato.

In stratu meo terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Hoc a Deo Job se pati dicebat, quod a dæmonibus patiebatur: qui ad ista facienda a Deo acceperant potestatem, qui ei torvis vultibus & minacibus sine dubio apparebant in somnis: stridentes etiam dentibus, & ad
E devorandum eum quasi ora aperientes, ut insolitæ visionis horrore excuteretur in lecto, & expergefactus somno aufugeret quo solent dolores nimii mitigari, & succederent juges vigiliæ, ut indesinentibus cruciatibus torqueretur. Sive vulnera quæ vigilans oculis suis videbat quotidie, putrisque sanies, vermiumque multitudo discurrentium per vulnerum foveas, in somnis ei a dæmonibus demonstrabantur.

Quamobrem elegit suspendium animam mea, & mor-

& mortem ossa mea. Satius est, inquit, & peccato multo tolerabilius, si victus cruciatibus, de morte mea cogitem, quam tuæ majestati irrogem blasphemiam.

Desperavi. Nequaquam ultra jam vivam. Desperavi, loquendo hæc, quæ dicere non debueram. Pro hoc itaque verbo, quo se lapsum in peccatum deplorat, pœnitentiam illico profitetur dicens:

Parce mihi, Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, & subito probas illum. Tanquam si diceret: in hoc tempore pœnitentem suscipe, & obsecranti pro hoc delicto esto placabilis.

Usquequo non parcis mihi. Id est, ab istis pœnis mihi instantibus non desistis.

Nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Inter cætera mala dolorum & cruciatuum, synanchim habuisse se perhibet, qua tumore saucius hominis halitus intercluditur, & sæpe quasi laqueo strangulatus extinguitur.

Peccavi. Quid faciam tibi, o custos hominum? Peccavi in his quæ dixi superius, quæ me dicere non decebat: quid possum facere tibi qui justus es?

Quare me posuisti contrarium tibi? Dedisti mihi copiam respondendi, ut dicerem tibi: justo homini non conveniunt pœnæ, quæ potius peccatoribus irrogantur: dum homo hæc dico Deo: creatura creatori. plasma figulo.

Et factus sum mihimetipsi gravis. Quia servus Domino meo tam querula voce respondere non debui.

Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam: Id est, aufers dolores meos, per quos qui eram hactenus justus, nunc peccare compellor?

Et si mane me quæsieris, non subsistam. Post istius sæculi noctem, in illius futuri sæculi principio, quando erit felix resurrectio beatorum: cum requisitus fuero, non inveniar: quia non ita dignus ero, qui sanctitatis merito subsistam ante faciem tuam. Quod si ab hinc peccator abiero, cui tu ante propitiatus non fueris: postea ante conspectum, ubi sunt cæteri Sancti, amplius non ero.

Caput VIII.

RESPONDENS *autem Baldad Suites, dixit Usquequo loqueris talia, & spiritus multiplex sermonis oris tui?* Offensus est Baldad in sermonibus sancti Job. Primum quia temere locutus fuisset ad Deum: deinde, quod diceret, quod in regno fuisset cæteris regibus præpollentior, & quod hanc plagam innocens pateretur, & notat eum ipse Baldad, quod quasi non libera mente, & sobria loqueretur, sed nescio quo spiritu potius ageretur.

Nunquid Deus supplantat judicium, aut omnipotens subvertit quod justum est? Hoc

A dicit, quia justitia Dei pateris, quæ mereris.

Etiamsi filii tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ: tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ad te, & peccatum reddet habitaculum justitiæ tuæ: intantum ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicentur nimis. Si filii, inquit, tui facientes mala, dimissi sunt a Deo, ut potestas quæ propter iniquitatem eorum in eos data est, interimendi eos haberet effectum, tibi in nullo nocere poterit: si tamen ipse adhuc jacens in stultitiæ cæcitate, diluculo in agnitionem divinæ justitiæ consurrexeris, & pro tuis erroribus, & delictis Deum, qui omnia potest concedere, fueris deprecatus. Qui quasi dormire videbatur, non audiendo te videlicet, nec videndo, confestim evigilabit ad te, & ad præparandam felicitatem tuam instabit. Intantum ut si priora tua fuerint parva, novissima tua multiplicentur nimis. Si ergo ad Deum conversus fueris, inquit, ab iniquitatibus, propter quas nunc pœnas pateris, & per satisfactionem eum pro meritis tuis tibi valde iratum reconciliare volueris: tantam ejus gratiam continuo possidebis, ut ad comparationem novissimorum bonorum tuorum, quæ tibi subito poterit compensare, priora satis parva, & minima deputentur. Quos peccatores filius ille junior in Evangelio figuravit, qui cum bonum naturæ, tanquam divitias cum meretricibus, id est, voluptatibus vivendo, prodigus dissipasset, pœnitenti occiditur vitulus, Christus: annulus quoque fidei, qua cuncta promissa certa impressione signantur, in manu ei tribuitur: & gressuum suorum accepit munimenta, ut super serpentes, & scorpios securus incedat: stola etiam æterna immortalitatis donatur.

Interroga enim generationem pristinam, & diligenter investiga patrum memoriam. Hesterni quippe sumus, & ignoramus: quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram: ipsi docebunt te. Loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia. Hoc est dicere, quia nos hesterni sumus, interroga antiquos, & invenies alios in diluvio, alios in Sodoma, sive in diversis locis pro peccatis suis diversas accepisse sententias.

Nunquid vivere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? Hoc est dicere: sicut scirpus vel carectum sine aqua vivere non potest: ita tu sine fomento atque humore justitiæ, nequaquam permanere in pristina felicitate potuisti.

Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum. Dicit sanctum Job, velut herbæ similitudine floruisse: qui antequam ad maturitatem fundatæ gloriæ perveniret, in tanta mala præcipitatus sit, ne in tempore suo, quasi in plenitudine dierum consummato completoque floren-

rentissimo regno, manu potestatis Dei, in A qua omnia regna consistunt', auferetur a sæculo. Ergo quia non ita egisti, ut in pace, completo tempore tuo conferreris in sepulchrum tuum; idcirco ante omnes herbas, id est, ante omnes peccatores, qui herbarum vocabulo sæpe dicuntur, solis ardore siccatus es: id est, cum infidelibus tribulationibus corde cessisti. Quod autem ait, *ante herbas omnes arescit*: quisquis hominum multarum est iniquitatum, sicut tu es, præ pondere criminum, ante incipit pœnas luere quam cæteri peccatores.

B *Et spes hypocritæ peribit.* Hypocritæ simulantis sanctimoniam vitæ: hic autem secundum Dei, sicut ipse ait, testimonium, simplex fuit, rectus, & innocens: *Si ambulavi in vanitate.*

Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia ejus. Grandis revera vecordia est, & amentia, ficte, & simulate agere ante Deum: quod eis in prosperum non procedet, cum ille scrutator sit cordis, & renis. Tales in Evangeliis arguuntur; qui sunt ornati deforis quasi specie sanctitatis, & intus peccati putredine pleni sunt, ut sepulchra mortuorum.

C *Innitetur super domum suam, & non stabit.* Confidendo in seipso, & confirmando carnem brachii sui: stare non poterit: sed magis cadet superbia. Quia *omnis caro fœnum* est.

Fulciet eam, & non consurget. Conatur propriis viribus se erigere, sed nequaquam consurgere poterit: quia non est Dominus fortitudo ejus. In quem incumbentes firmissime continentur.

Humectus videtur antequam veniat sol. Felicitatem prosperantis hominis dicit: qui cum æstu tribulationis percussus fuerit, adversitatibus frangitur, & omnis viror pristinæ ejus lætitiæ, consumptus tristitia exsiccatur. D

Et in ortu suo germen ejus egredietur. In principio, inquit, felicitatis suæ peccator prospere agere videtur, sed non permanebit, virentis herbæ similis: hæc est repentina jucunditas, sicut in psalmo: *Cum exorti fuerint peccatores ut fœnum, & apparuerint*: id est, velut herbæ in virorem lætitiæ præsentis emerserint: mox adveniente caumate peribunt. Justus vero non ita ut fœnum florebit: cui, ut dixi, peccatorum gloria comparatur: sed sicut palma florebit, inquit Propheta. Quæ ita in profundum est radicibus stabilita, ut nec tempestatem E metuat, nec solis ardorem formidet. Et cum sub sacrato numero ad centum usque nodos pervenerit, quibus altitudo ejus solide continetur: tunc fructus afferet dulcissimos caritatis, in summo scilicet perfectionis fastigio, quo se per incrementa virtutum, quasi per plurimorum quasdam ætates annorum ascendisse gloriatur.

Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, & inter lapides commorabitur. Quopiam radices ejus in terra bona solidatæ, ut fructus patientiæ afferrent, non figentur, sed super acervum magis petrarum coarctabuntur, non habendo illic vitæ humorem: moriturus utique prius ariditate siccabitur.

Et inter lapides commorabitur. Metaphoricus: lapides, infideles, & duri cordis hoc loco possunt intelligi: inter quos quisque peccator commorabitur vitæ similitudine coæqualis, qui Deum ut stolida metalla non sentiunt. Aut certe lapides peccata nominavit. Unde Propheta ait, *tollite lapides de via*: id est, de via sanctæ conversationis auferte peccata.

Si absorbuerit eum de loco suo: negabit eum, & dicet: Non novi te. Cum de hac vita ad loca squalida inferorum transferendus absorptus fuerit: indignus utique conspectui Dei esse negabitur. Locus hominis, dici potest qualitas conversationis; ubi vel vitæ genere, vel mente consistit: id est, disciplina, vel gratia quam accepit, aut elegit sectari.

Hæc est enim lætitia viæ ejus. Ironicus dicitur: hæc est lætitia viæ ejus: velut si diceret: Sic in bonis operibus, Deoque placentibus ambulavit dum viveret; ut ad ærumnas perpetuo perveniret.

Et rursum de terra alii germinentur. Facit utique Deus, ut justus judex, dum Judæos incredulos a promissionibus quæ in Christo sunt, propter perfidiam exclusit, & gentes propter obedientiam intromisit. Sive in loco Judæ Mathiam constituens, justa judicia sua declaravit.

Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis. Id dicit: non juvat ut faveatur operantibus iniquitatem, & tamen porriget manum pietatis suæ, ut peccatores ad pœnitentiam convertat.

Donec impleatur risu os tuum, & labia tua jubilo. In risu, lætitiam cordis intellige. In jubilo, vocem exultantis adverte.

Qui oderunt te, induentur confusione. Cum utique talis fueris, qualem dixi superius, qui oderunt te, merito confundentur.

Et tabernaculum impiorum non subsistet. De Job quidam hoc dicit, sed fallitur. Nam manifestum est tabernaculum impiorum periturum in æternum: id est, diabolum, & ministros ejus, vel etiam præsens sæculum.

Caput IX.

ET *respondens Job, ait: Vere scio quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo: non poterit respondere ei unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore.* Noli ergo de me ita existimare quod ego saltem cogitare hoc audeam, cum sciam quia creatura creatori suo in nullo possit penitus comparari.

Quis restitit ei, & pacem habuit? Quis contra Deum agens non sibi bellum iræ ejus commovit, sicut Dathan & cæteri?

Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvertit in furore suo. Qui commovet terram de

de loco suo. Metaphoricos, montes homines, sive angeli intelligendi sunt: quorum elatio mentis intantum intumuit, ut excelsis montibus compararentur.

Et columnæ ejus concutiuntur. Columnas hoc loco pro stabilitate terræ intelligamus: quam Deus super semetipsam immobilissima mole fundavit.

Qui præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Per vicissitudines diei & noctis; dispositione Dei gubernantis omnia quotidie fieri ita videmus.

Qui facit arcturum, & oriona, & hyadas, & interiora Austri. In his stellarum signis, quæ sunt in firmamento cæli pene omnibus stellis notiora, totam militiam astrorum dicit ad regimen Dei pertinere, quæ magna, & mirabilia homines ignorant. Unde ipse Dominus ait: Nunquid nosti ordinem cæli, & ponis rationem ipsius? Item moraliter: Qui commovet terram de loco suo. Hominem Deus de loco vitæ prioris commovit, & delectabiles cogitationes, sed noxias, quibus quasi columnis incubans ac requiescens in eis sustinebatur, concussit, & infirmavit, ut eum ad sanctitatem vitæ commutaret. Qui præcipit soli, & non oritur. Peccatoribus cordis cæcitate percussis, non sol oritur justitiæ Christus, sive stellarum: id est, Sanctorum merita, quibus alii ab aliis distabunt in claritate: qui dum hic latent, quasi clauduntur sub signaculo. Qui extendit cælos suos. Apostolos, & cæteros Sanctos, cælos effectos ubique prædicatione diffundit: sive eis Scripturas, quæ cælorum nomine plerumque significantur, revelando eorum cordibus patefacit: sicut ait: *Quoniam videbo cælos opera digitorum tuorum.* Egredietur super fluctus maris. Super sæculi utique istius homines inquietos, elatos, & turbidos: ut ad mansuetudinem, & placabilitatem tumore deposito conculcentur. Qui facit arcturum: id est, primos in resurrectione Ecclesiæ: ut sint gloriosi, splendentes velut meridies, calore caritatis Dei accensi, & fidei lumine illustrati.

Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia: quorum non est numerus. Magnum est quod facit Deus, ut vas fragile hominem morti obnoxium per Christum in spem beatæ resurrectionis constituat. Et interiora Austri. Ubi candelabrum cum lucernis, septiformis spiritus gratiæ videlicet, & intelligentiæ relucentibus, collocatur.

Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei? Vel quis dicere potest, cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resistere potest. Plus dicit, quod venientis Dei præsentia sit, quando homini innotescit, & quando occulitur, quasi abeuntis absentia indicatur.

Et sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & A *loquar verbis meis cum eo? Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.* Portantes orbem, Sancti recte intelliguntur: qui gloriam meritorum suorum, magni, & potentes sunt apud Deum. Hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati. Ita Sancti portant mundum, dum eum ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent. Columnæ cæli intremiscunt, ac pavent ad nutum ejus. Apostoli, Prophetæ, omnesque apostolici viri, sancti quoque, & cæteri fideles intelligendi sunt: de quibus B est Petrus, Jacobus, & Joannes, qui videbantur esse columnæ: sive sancti ante Deum incurvati, & procidentes adorant, qui portant orbem, id est, totum hominem suum: quem docti minorem mundum appellant: perfectioni Crucis imponunt, & ne per mundi vanitates cogitationibus solvatur ac deflectat, intra se eum constringendo per Dei gratiam regunt, & continent.

Et cum invocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam. Qui me etiam inculpabili studentem vitæ, impugnantium permittit injuriæ. Exauditus est C in hoc, ut Dei bona mereatur. Non se autem exauditum credit, eo quod mala patiatur.

In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa. Turbo diabolus potest intelligi, qui velut turbo incubuit in Job, ut eum vastaret.

Non concedit requiescere spiritum meum. Asthmaticon se dicebat effectum: infirmitas enim est, quæ in pulmonibus generatur. Obstruuntur aditus quidam pulmonum, quos Græci poros appellant, & ita constringuntur atque concluduntur in pulmonibus, ut dicunt medici, ut reddere, D sive recipere spiritum pulmones coangustati non sufficiant, nimio etiam dolore cum festinato suspirio repetitur, & concisus flatu semittitur.

Et implet me amaritudinibus. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, pravum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ. Unum est quod locutus sum, & innocentem, & impium ipse consumit. Plagis omnibus atque infirmitatibus circumdata atque obsesE sa, repleta fellis atque blasphemiæ, & amaritudine anima mea. Ita ut durum verbum & asperum os meum dicere compellatur, & tædebit me vitæ meæ. Ego tamen hoc solum novi, quod malis vitæ præsentis punior.

Si flagellat, occidat semel: & non de pœnis innocentium rideat. Dure hic satis locutus est contra Deum. In toto quidem libro hoc, nullus locus est asperior isto, & altero superius posito, ubi ait: Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mor-

mortem offa mea: de quibus sermonibus A respondit ad Deum in fine libri: unum locutus sum, quod utinam non dixissem, & alterum quibus ultra nihil addam. Tota altercatio Job cum amicis hic est, quod ille se justum, illi eum impium pronuntiabant.

Terra data est in manus impii. Caro Christi in potestatem Herodis, sive Pilati: vel ipse Job in potestatem diaboli.

Vultum judicium ejus operit. Quod si non ille est, quis ergo est? Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes: sicut aquila volans ad escam. Vultum B hoc loco mentis judicium, quod Dei justo judicio est opertum, appellat. Excæcanda corda satellitum impii diaboli: quos istic judices nominavit, ut sanctum Job crudelitate acrius cruciarent.

Cum dixero: nequaquam ita loquar. Nequaquam ita ait, hoc est, quando compellente cruciatu, aspera contra Deum loquor, & dura: eodem puncto resipiscens definio, me Deo ita loqui non oportere.

Commuto faciem meam, & dolore torqueor. Verebar omnia opera mea: sciens quod non parceres delinquenti: si autem & sic impius sum, quare frustra laboravi? Id est, præ doloris C nimietate contraho atque contristor, & in ipso definitionis meæ momento, subitis ac repentinis dolorum aculeis ita vexor atque discrucior, ut rursum amaritudinis, & fellis verba depromam.

Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ: tamen sordibus intinges me. In ablutione ergo aquarum nivis, candor mentis ostenditur, & in manu, munditia fructus sanctorum operum demonstratur. Et recte potest nivi baptismus comparari. In pluvia ergo, & imbre affluente sermonem doctrinæ legislator voluit indicare. In D rore vero & in nive, sensum cum illuminatione sui interiora viscerum penetrantem.

Et abominabantur me vestimenta mea. Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri. Tantum enim malorum mihi illatum est: ut squalore vulneris, & putredinis, si dici potest, etiam quæ insensibilia sunt detestentur.

Non est qui utrumque valeat arguere: Id est, quis est qui Deum potest injustitiæ, quasi iniquum arguere, nisi temerarius, & blasphemus? quis potest velut in reum ini- E quitatis cum extensione manus dare sententiam? Job vero juxta Dei testimonium, quo fuerat collaudatus, eo quod innocens esset, sibi conscius vere dixit, quod non esset ullus eorum, cum quibus altercabatur, qui eum recte possit arguere: quia ille judicare alterum justissime audet, cujus rea conscientia de his quæ in alterum judicat, non tenetur.

Et ponere manum suam in ambobus. Auferat a me virgam suam, & pavor ejus non me terreat. Loquar, & non timebo eum: Nec enim possum metuens respondere. Securus, inquit, & constanter tunc potero respondere, si hæc duo amoveat a me: potentiæ videlicet suæ magnitudinem, & horum cruciatuum pœnas.

Caput X.

TÆDET *animam meam vitæ meæ: dimittam adversum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita judices? Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves? Nunquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu videbis? Nunquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora: ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim: cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me? Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle, & carnibus vestisti me: ossibus & nervis compegisti me.* Quod autem dicit, totum se in circuitu factum: contra hæreticos locutus est, qui dicunt animam ab alio Deo factam, & corpus ab altero plasmatum.

Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum. Licet hæc celes in corde tuo: tamen scio quia universorum memineris. Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? Et si impius fuero, væ mihi est, & si justus. Ipsa anima est vita hic appellata, non vita animæ: quia possunt, & actus animæ, vita nuncupari.

Non levabo caput, saturatus afflictione, & miseria. Et propter superbiam. Id est, contractus dolore & tormentis viscerum: caput ad ima depositum elevare non possum, sive confusione & mœrore repletus.

Quasi leænam capies me. Huic ergo bestiæ, ait Job, assimilas me hominem humilem & abjectum.

Reversusque mirabiliter me crucias. Deum dicebat ad se reverti, quando cum antiquis novas pœnas, & recentiores in suo corpore sentiebat mirabiliter.

Instauras testes tuos contra me. Hoc dicit, quia castigationes, & pœnæ nostræ, testes sunt divinæ justitiæ. Sive cruciatus illius idcirco dictos testes existimo, quia ejulante eo, & rugiente, quasi testimonium Deo tormenta reddebant.

Et multiplicasti iram tuam adversum me: & pœnæ militant in me. Quare de vulva eduxisti me, qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem, quasi non essem de utero translatus ad tumulum. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Potest ira Dei diabolus intelligi: cujus ministerio Job acerbos dolores patiebatur.

Pœ-

Pœnæ autem in se militantes dicuntur: quia per quemdam malorum ordinem succedentes, officium commissæ sibi crudelitatis exercent.

Dimitte ergo me, ut plangam paulukum dolorem meum. Id est, requiem ab istis cruciatibus mihi concede, ut plangam aliquantulum dolorem pœnarum mearum quem in corpore meo sustineo, sive quem futurum in inferno perhorresco.

Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terram miseriæ, & tenebrarum: ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. Quod terram inferorum descripserit, nulli dubium est; nullus ordo ibi est vitæ: tenebrosa est, ut dixi, proculdubio velut carcer, in quem peccatores, & impii qui lucem odio habuerunt, ut tenebrarum filii, contrudentur. Quæ terra caligine mortis operta est: ut clausi in nocte æterna, nullum pœnitentiæ lumen aliquando aspiciant. Ubi est miseris umbra mortis, quæ in hoc loco pœnæ intelligendæ sunt: quia sicut umbræ corporum non sunt longe a corporibus, quæ faciunt umbras: ita pœnæ non longe a morte sunt, quæ inferunt mortem. Non revertar ad hanc mortalitatem, ubi tanta mala patior. Spiritus divinus, qui est in naribus meis. Quia eum dolorum angustiis anhelantem, consolationum robore urgebat. Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, & abscondas donec pertranseat ira tua, & constituas mihi tempus in quo recorderis mei? Furor iræ Dei pertransiit, quem Adam peccando promeruit, quando chyrographum in mortem filiorum ejus conscriptum, Christi delevit adventus. Nemini ergo de sanctis mirum videatur, qui adventu Domini sunt absoluti ab inferis, & resurrectionis Christi exemplo in spe beatæ resurrectionis suæ sunt constituti.

Caput XI.

RESPONDENS *autem Sophar Naamathites, dixit: Nunquid qui multa loquitur, non audiet: aut vir verbosus justificabitur?* Veluti si dixisset: Nunquid potest vir verbosus admirationi haberi, aut præconio laudis efferri: cum sit ostensione nimiæ verbositatis odiosus: sed potius audire debet quæ meretur: ne vanitate elatus, solum se existimet sapientem.

Tibi soli tacebunt homines, & cum cæteros irriseris, a nullo confutaberis? Non sunt hæc amicorum solatia, sed hostium tela. Ita ut nunc dicamus de vobis: *Filii hominum dentes eorum, arma & sagittæ.*

Dixit enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo. Non ita dixit, quod purus esset & mundus: id est, quod cogitationibus & verbis ante Deum immaculatus existeret: sed dixit, nihil impium feci.

Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi. Dixit quali judicio A Job debuerit condemnari. In loquendo enim vocem Dei, cujus sonum aures suscipiunt, ut arbitror, voluit indicare. In aperiendis vero labiis, vocis intelligentiam demonstravit.

Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex ejus. Cordis ejus abdita, & remota judicia, in quibus multiplex, & imperscrutabilis est, cognosceres.

Et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Hoc est, plura pati debes tormenta, quam te sustinere proclamas.

Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies. B Vestigia Dei illa sunt, quando dignatione sui hominibus innotescit. Et ideo tunc eum vestigamus, quando se nobis aliquantulum manifestare dignatur. Hæc sunt ergo vestigia Dei, cum eum incomprehensibilem intellexeris, & credideris.

Excelsior cœlo est, & quid facies? Profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura ejus, & latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit: quis contradicet ei? vel quis dicere ei potest: cur ita facis? Credimus quod ubique est Deus, & intra eum omnia quæ ab eo creata sunt C continentur.

Ipse enim novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne considerat? Ipse enim novit opera iniquorum, & videns injusta non negligit; quia iniquos, & impios vindicat.

Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Dicit eum pullo onagri similem, effreno scilicet animali & vago: eo quod ita existimet de se Job, qui ad nullum debeat pertinere.

Tu autem firmasti cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas. Firmasti cor tuum, D ait: non ut satisfaceres Deo per pœnitentiam, ut auferret plagam hanc pessimam in tuis carnibus sævientem. Expandisti ad eum manus tuas: id est, falsa operum merita, ore vaniloquo dilatasti: quia multis locis, nomine manuum, opera designantur.

Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia. Cum exprobratione arguit Job, dicens: Si iniquitas quæ est in manu operis tui, & injustitia in tabernaculo cordis tui non manserit.

Tunc levare poteris faciem tuam absque E *macula, & eris stabilis, & non timebis.* Sanctam videlicet possidens conscientiam, & liberam ad deprecandum Deum erigens faciem tuam. Cain enim fratricida in terra Naid habitavit, id est, instabilis factus est. Ne ergo & Job hujusmodi supplicium, super morte sua perpetuum timorem incurreret, Sophar hortatur eum, dicens: Si hæc feceris, quæ supra diximus eris stabilis. Hoc sane sciendum, quia est commotio, in qua peccator permanens in facinoribus suis, ante faciem non consistit. Facies

cies tua tanquam aqua pura, & spoliaberis sorde, & non timebis. Qui est sinceræ, & purificatæ mentis, & mundus ab omni sorde, pertimet vitia: quibus velut exuviis expoliatus, tanquam e tenebris eductus fulgebit: Homo faciem mentis suæ candoris puritate præferens radiantem populum significat Judęorum, qui Christum patrem quodam modo suum occidit.

Miseriæ quoque oblivisceris, & quasi aquarum quæ præterierint, non recordaberis. In transitu itaque aquarum, Sophar hoc vult intelligere; quod tam cito possint discedere ab eo dolores, si tamen Job se emendare voluerit; quemadmodum aquæ intra momentum ad loca alia dilabuntur, & ita omnino abstergi ab eo posse plagæ hujus miseriam: ut prorsus tenui memoria recordetur ejus, quasi quæ non fuerit.

Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam. Et cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer. Spiritualiter sic intelligi potest: consurget tibi ad vesperam: id est, in consummatione laborum malorum tuorum, consolatio sol justitiæ tibi Christus adveniet: sive post mortem resurgens in gloriam. Item aliter, etiam in hoc interitu tuo quo quotidie tanta putredine contabescis, & defluis, ut jam omnino consumptum te arbitreris: si feceris, quæ jam dixi, ex nihilo omnino penitusque consumpto, repente orieris ut Lucifer; qui per occultas cursus sui metas polum circuiens: post biennium in ipsius auroræ rutilo dicitúr apparere. Ita ergo & tibi post noctem, & tenebras densiores diutinæ tentationis istius: si culpas tuas cognoveris, poterit evenire.

Et habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies. Requiesces, & non erit qui te exterreat. Et deprecabuntur faciem tuam plurimi. Habebis hanc fiduciam, ut defossus in morte, certusque de resurrectione effectus, securus dormias, requiescas in inferno, in spe certæ spei constitutus, & non erit illic ullus tortor adversarius inimicus, qui te exterreat, & tibi pœnas infernales infligat, sed potius quicumque sunt, preces tibi supplices fundent, ut eis tartarei cruciatus tui orationibus temperentur.

Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio animæ. Id est, expectatio hominum impiorum hoc fine concludetur: ut in tempore alienæ gloriæ, ipsi non absolutione, sed E abominatione digni inveniantur.

Caput XII.

RESPONDENS *autem Job, dixit: Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia? Et mihi est cor, sicut, & vobis: nec inferior vestri sum. Quis enim hæc quæ nostis ignorat? Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum. Deridetur enim justi simplicitas.* Hoc A est dicere: quid vos tantum dicitis sapientes, & putatis quod post vos nullus erit sapiens?

Lampas contempta apud cogitationes divitum parata ad tempus statutum. Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum. Lampadem se contemptam a divitibus dicit: utique superbos eos denotans, eo quod despicerent eum afflictum cruciatibus, & despectione propinquorum; qui tamen magnæ fidei, & bonorum operum oleo intrinsecus fulgebat. Sive etiam lampas contempta a divitibus, Christus a Ju- B dæis, qui surgens a mortuis splendore gratiæ suæ illuminavit universum mundum. Divites vero ideo Judæi dicti sunt, quia acceperunt eloquia Dei.

Nimirum interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? In cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis. Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem? In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia, & fortitudo, & ipse habet C *consilium, & intelligentiam.* Quod omnia ad Dei providentiam & gubernationem pertineant, etiam quæ irrationabilia atque insensibilia sunt, quadam ratione veritatis interrogata respondent. Secundum mysticum intellectum possunt homines inconditi, & irrationabiles moribus, jumenta intelligi. Volatilia vero intelliguntur dæmones, sive leves, & elati homines ac superbi: aut certe astrologi. Terra voluptuosi homines, & carnales, qui terrena sapiunt. Pisces, philosophi, & eorum similes, qui de rebus mundi, & ejus qualitatibus inquirendis nimii sunt. Aliter: Jumenta, equi boni sunt, D quæ animalia in hæreditate Domini habitabunt: quibus pluvia voluntaria Evangelii ab incredulis segregata est. Volucres vero sunt qui sursum corda habent, & cœlestia concupiscunt; vel qui obviam Christo in aere ex mortuis ituri sunt: caro Sanctorum rectissime intelligitur, quæ regnante Domino, exultabit. Pisces vero qui inter fluctus mundi istius tempestatesque]natantes, tuta sibi loca æternitatis, & quieta prospiciunt. Vel illi pisces intelligendi sunt: qui per aquam vitam accipiunt; qui confestim de fonte Baptismi migrant ad Christum: sive ad Deum, ut alii dicunt.

Si destruxerit, nemo est qui ædificet. Manifestum est quicquid sapientiæ suæ judicio dissipare voluerit, ac destruere: nemo poterit fortitudini illius velut potens resistere. Sicut destruxit turrem, & regna multarum gentium, vel etiam Jerusalem, ubi præcepta ipsa legalia tanquam lapides scripti sunt, sub præsentia gratiæ suæ dissolvenda esse prænuntiavit. Sic itaque, & secundum Job prophetationem, paries inimicitiarum, lex utique præceptorum, per Christum destructa est; ut duos conderet

in

in semetipso in unum novum hominem pacem faciens. Destruxit atque reseravit Deus Christus claustra inferni, & diabolum habentem potestatem mortis, regno dominationis deposuit. Destruxit Deus Christus igitur mortem, dum ipsam ut in ea mori dignaretur, suscepit, & dum in cruce destruxit corpus peccati, veterem hominem nostrum illic interficientem peremit: ut viam nobis in æternum restitueret. Sicitaque destruxit mortem, & illuminavit vitam: persequentium Ecclesiam destruxit consilia, molientium ut nomen ejus effoderent de sub cœlo, Judæi scilicet, & gentes. Destruxit dogmata, & diversos errores hæreticorum ab Ecclesia: indissolubili rectæ fidei ædificio: de quibus Salomon: *Civitates fortium ascendit sapiens, & destruxit munitiones ejus*. Destruxit & omnem cultum idolorum.

Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Inclusit Deus Noe in diluvio: Lot, in Segor: Jonam, in ventre ceti: Jeremiam, & Baruch ne invenirentur. Includit, & illos de quibus dicitur: *Immittet angelum suum in circuitu timentium eum, & eripiet eos*. Sive sub sententia mortis judicio Dei positum hominem quis potest revocare? Inclusus est Pharao in mediis aquis: inclusi sunt Dathan, & Abiron vivi in inferno: populus Israel in eremo per quadraginta annos inclusus est. Includit Deus hominem tribulationibus excoquendum: aut certe correptionibus flagellandum peccatorem cingit ut emendet. Quis est qui copiam declinandi veluti quemdam aditum aperiat, ut evadat: sicut ipse Job, qui ait: Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum tradidit me. Potest homo hoc loco diabolus intelligi: qui cum inclusus fuerit in inferno, nec se ipse liberavit, qui se contra Deum fortissimum detestabiliter arbitratur.

Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, & si emiserit eas, subvertent terram. Quod factum sub Noe, secundum Scripturarum fidem, minime dubitamus. Modo vero spiritualiter aquæ doctrinarum in Judæorum populis continentur, ut sint eis legis flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim: & habeant ut istæ aquæ terrenas cupiditates atque luxurias, & disperdantur ac demoliantur, in terra Ecclesiæ rationabilis relicta imagine terreni hominis, in spiritualem vitam se convertendo proficiant.

Apud ipsum est fortitudo, & sapientia. Hoc est, Filius cum Patre, & Spiritus sanctus.

Ipse novit, & decipientem, & eum qui decipitur. Noverat Balaam, Achab, Ænam falsum surrecturum Prophetam: Ænam novit, sed per hæc meritum populi peccatoris ostendit: ut in perditionem ejus falsa vaticinando denuntiet, & hi qui nolunt audire Deum, & Prophetas vera dicentes, pseudoprophetarum falsis vaticinationibus illudantur. Filii quoque Israel, sicut in li-

A bro Judicum legimus, æquissimo Dei judicio decepti sunt. Et cum justa causa propter uxorem Levitis contra Beniaminitas congregati fuissent, ut scelus adulterii puniretur: in ipsis prius est sacrilegii crimen vindicatum, quia prius ipsi emendari debuerant: vel certe eos, qui idola in injuriam Dei adorabant, interimere: quibus majus fuit fratris injuria quam Dei, & ob id prius in illis vindicatum est. Novit autem Dominus, & decipientem, & deceptum per præscientiam, quod etiam de Abel, & Cain, & Dalila, & Samson, qui gratiam Spiritus Sancti in septem crinibus

B mystice possidebat, intelligi potest. Noverat utique hæc omnia Deus antequam fierent, præscius futurorum; sed permisit ut homo, qui libero utebatur arbitrio, præcepto Dei inobediens, insuper, & Deum posse se fieri credens, per justitiam Dei pœnam inobedientiæ dignissime sustineret. Hi omnes typum Christi habuerunt. In Samson vero qui leonem tenuit & occidit, & in ore mortui leonis favum mellis invenit: significatum est, quod in superbis, in quorum ore putor fuerat blasphemiæ, esset postmodum dulcedo laudis, & gratiæ Dei. Et ut ille Samson sitiens de molari

C dente asini, invocato Deo, aquam eduxit ut biberet: ita & Christus de immundo, & duro gentium populo fide credentium tanquam refrigerii populo saturatus est. Maxilla quoque ejusdem asini de cujus molari aquæ copiosæ effluxerant, occidit mille viros. In maxillis, & dentibus, oris eloquium intelligitur. Doctrina igitur eorum, qui ex gentibus crediderunt, perfecto quodam numero finitur. Samson vero hostes suos atque adversarios tribus modis interfecit, & occidit: dum alii non credendo pereunt: alii vero credendo fidei, moriuntur peccato. Opus hoc

D maxillæ elevatio appellatur. Ita enim doctrina, & prædicatio Evangelii magnificata est super omnem terram, ut eam omnes gentes ubique elevatam mirentur. In illis ergo vulpibus figuratum est: ut per dolosos, & sanæ fidei inimicos, quorum principatus in caudis est, pars post tergum relicta, pars circa fructus Christo adversantium vastaretur.

Adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem. Ut fecit contra Ægyptiorum Magos, qui dicebant Pharaoni, regem Chaldæorum non esse venturum ad vastandam Ægyptum, sive ipsum Nabuchodono-

E sor in amentiam vertens, vel Balthasar timore concutiens.

Baltheum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum. In baltheo regnantis gloria intelligitur: in fune, ignominia regno depositi: sicut Sedechiæ, & Manasse contigit, Deo jubente. Sive populum Judæorum, qui per infidelitatem suam, a Christi regno distinctus est. Sed, & nunc renati in Christo reges, sunt omnes in adoptionem filiorum æterni regis vocati. Vere ab illa honoris sublimitate merito di stin-

stinguuntur, quicumque ea quæ pœnitentiæ funibus digna sunt, perpetrarunt. Sicut ait Propheta: *Pro zona reste cingeris.*

Ducit sacerdotes inglorios. Ut filios Eli, vel plures alios ejusdem gentis.

Et optimates supplantat. Non dolo supplantat Deus, in quo non est iniquitas, sed hoc modo dicitur supplantare, dum injustum amovet, & iniquum: & in locum quem tenere videtur quisque indignus, bonum hominem, & justum substituit, ut David in locum Saulis.

Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant, relevat. Cum propter peccata remotis promissionibus, æternæ gehennæ flammas adoptatis dare compellitur.

Qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subversas in integrum restituit. Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, ut frustra incedant per invium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios. Umbra mortis ipse diabolus est: qui non protegit homines, sed premit in mortem: hic producitur in lucem, quando ab anima fideli separatur.

Caput XIII.

ECCE *omnia hæc vidit oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi singula. Secundum scientiam vestram, & ego novi: nec inferior vestri sum. Sed tamen ad Omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio: prius vos ostendens fabricatores mendacii, & cultores perversorum dogmatum. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. Audite ergo correctiones meas, & judicium labiorum meorum attendite. Nunquid Deus indiget vestro mendacio: ut pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem ejus accipitis, & pro Deo judicare nitimini? Aut placebit ei quem celare nihil potest? Aut decipietur, ut homo, vestris fraudulentiis?* Doli erant in illis, quia sub verbis consolatoriis inimico eum corde pulsabant.

Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accipitis. Statim ut se commoverit, turbabit vos, & terror ejus irruet super vos. Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ. Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit. Ut a Deo arguamini, digni estis: abscondite, id est, quasi eo ignorante, personam ejus in vobis ad me damnandum suscipitis: tanquam eum latere possit aliquid, ut ita ei subrepere velitis.

Quare lacero carnes meas dentibus meis. Torquentibus eum nimiis cruciatibus, manus vel labia sua dentibus lacerabat.

Et animam meam porto in manibus meis? Etiam si occiderit me: in ipso sperabo. Verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam, & ipse erit salvator meus. Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris. Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar. Qui est qui judicetur mecum? Veniat. Quare tacens consummor? Duo tantum ne facias mihi, & tunc a facie tua non abscondar. Manum tuam longe fac a me, & formido tua me non terreat. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certe loquar, & tu responde mihi. Quantas habeo iniquitates, & peccata. Ipsam vitam suam, quæ solet animæ vocabulo dici, portare se ait in manibus suis: hoc est jam nunc in tormentis deficiente anima & exeunte, velut efferendam porto in manibus.

Scelera mea, & delicta mea ostende mihi. Ut scire possim, quam ob causam ita me crucias.

Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur a tinea. Dum ita puniri me permittis, quem velut inimicum existimas, dolet mihi eo quod ipse optime noveris, quia illi potius qui tibi restiterit, noceatur.

Caput. XIV.

HOMO *natus est de muliere, brevi vivens tempore: repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* In flore hoc loco fragilitatem humani generis intelligamus, non fragrantem odoris pulchritudinem, & decorem.

Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est. Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Hoc est, dignum ducis, ut propter humanum genus, Unigenitum tuum hominem nasci velis. Sive aliter: me quoque permittis fabulari tecum, & evolvere miserias meas.

Recede ergo paulum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, & sicut mercenarii dies ejus. Hoc est, amove a me flagellum tuum, neque me diutius permittas taliter tentari.

Lignum habet spem. Si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatum est. Rationabile lignum credendum est, de quo dicitur: *Est enim arbori spes.* Hoc itaque lignum præcisum fuit per inobedientiam: quando habitabat in medio lignorum paradisi, prius quam Dei sententia moreretur, a quo in baptismate vetustas

ſtas præciditur, ut in Jeſu Chriſti novi hominis vita, per reſurrectionem fidei reviviſcat, & rami ejus virtutibus pullulent: id eſt, opera ejus ſancte vivendo proficiant.

Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque conſumtus: ubi quaſo eſt? Homo autem non habens ſpem in Chriſto, ſicut gentes quæ ignorant Deum, cum mortuus fuerit, non renatus per baptiſmum, vita etiam deſtitutus ac præſenti delectatione nudatus, ſine dubio ſententiam æternæ damnationis excipiet.

Quomodo ſi recedant aqua de mari, & fluvius vacuefactus areſcat: ſic homo cum dormierit, non reſurget. Donec atteratur cœlum, non evigilabit: nec conſurget de ſomno ſuo. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus: & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putaſne mortuus homo rurſum vivet? Cunctis diebus quibus nunc milito: expecto donec veniat immutatio mea. Si fieri poteſt ait, ut aquæ ſalutarium præceptorum Dei, de ſanctarum Scripturarum mari deſinant recedere, cui perenni abundantia non deficiunt: & ſi poteſt fieri ut fluvius ſacri baptiſmatis, quadam inopia divinæ miſericordiæ exſiccetur, & non plenus ſit gratia Dei, ſancti quoque Spiritus donis non redundet: ita poterit fieri, ut homo cum mortuus fuerit, non reſurgat.

Vocabis me, & ego reſpondebo tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Vocabuntur omnes mortui in noviſſimo ſæculorum, & in voce Archangeli, atque in tuba Dei de tumulis excitabuntur: reſpondebuntque univerſi hoc modo cum ad verbum majeſtatis ejus atque potentiæ, cineres ac favillæ humanorum corporum vivificabuntur, & exſurgent ex mortuis incorrupti.

Tu quidem greſſus meos dinumeraſti: ſed parce peccatis meis. Cogitationes & opera juventutis meæ.

Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti iniquitatem meam. Saccus, ſignificativo nomine, quaſi tota maſſa peccatrix generationis Adæ dictus videri poteſt: in quo quaſi ſub ſignaculo imaginis ejus, genuit Adam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, totam ſobolem illius in ipſo prævaricatricem effectam: quam per multa ſæcula Deus clauſam tenuit ſub peccato, & tamen in noviſſimis ſæculorum temporibus, vulnera delictorum ſua redemptione curavit. Si autem de ſemetipſo Job hoc dixiſſe videtur, ut arbitror, iſte eſt intellectus: Si qua igitur, ait, ad Deum per totum ſæculum vitæ meæ peccata commiſi, in unum omnia per diverſa temporum ſpatia congregaſti, ut ſecundum rigorem juſtitiæ tuæ pro cunctis ſimul mihi retribueres.

Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo. Lapides excavant aqua, & alluvione paulatim terra conſumitur, & homines ergo ſimiliter perdes. Montem ergo iſtum diabolum, ſive ſuperbiæ hominem

A ſentire debemus, qui contra Deum, ut mons elatione mentis tumeſcit, & ita ſe erigendo, cadit in præceps, ut defluat, & ſolutus in pulverem ad nihilum deducitur. Saxo vero illos aſſimilari puto, qui cum in naturæ bono debuerant tanquam lapides ſoli ſimili fortitudine permanere, commutati ſunt voluntate propria in ſtoliditatem quandam ac duritiam cordis, & ideo deteſtationis ſuæ habitaculo quod ſe habere quaſi de ſuis meritis præſumebant, dejiciendi ſunt ad digna ſibi loca. Aquæ autem iſtæ quæ ſemper inferiora petunt, per quas etiam quondam venit interitus, B adverſarias ſignificant poteſtates, & procellas ac turbines mundi. Hæ ergo aquæ, inquam, eos homines qui ſibi fortiſſimi ac ſolidi ſunt de ſe præſumentes, & confidentes in virtute ſua, unde, & lapidibus comparantur, indeſinenti lapſu atterunt. Terram vero illos eſſe exiſtimo, qui tentationes, & pericula non auferentes, ſe dimittunt labefactari. Homines ergo ſimiliter perdes: id eſt, ſanctos tuos, qui imaginem tuam in ſe cuſtodiunt.

Roboraſti eum paululum, ut in perpetuum tranſiret. Hoc eſt, in vita iſta non permiſiſti ſanctos tuos tentationibus ſuperari.

C *Immutabis faciem ejus, & emittes eum:* Id eſt, cum mortale hoc immortalitatem induerit, & incorruptionem. Sive aliter, faciem animam intelligimus, quæ cum naturalem receperit ſerenitatem, contemplatur gloriam divinæ majeſtatis, quæ cum corpore ſuo ſimul fuerit gratulata: nulla perturbatione cujuslibet vitii ſauciabitur.

Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget. Hoc eſt, non filii carnis, ſed filii mentis: id eſt, opera virtutum. Non intelligunt ergo ſancti in hac vita ante judicii diem, quales pro certo filios habeant: utrum Deo placentes, an non placentes. D Roboraſti eum paululum, ut in perpetuum tranſiret, ſecundum formam ſervi quam aſſumpſit. Hæc Chriſto Deo non aptari poſſe arbitror. Nam cum ex ea parte qua homo eſt, infirmaretur proximus paſſioni, Evangeliſta ait: *Apparuit autem angelus Domini de cœlo confortans eum.* Hic ergo ad breve tempus adminiſtrata redemptione noſtra in perpetuum illud ſæculum cœlos penetrans tranſivit. Immutabis faciem ejus: hoc eſt, cum totus homo in Deum tranſiit: ſalva tamen utriuſque ſubſtantiæ proprietate in unitate perſonæ.

E *Attamen caro ejus dum vivet, dolebit, & anima illius ſuper ſemetipſo lugebit.* Ita veram carnem Salvator noſter aſſumpſit, ut potuerit dolorem ſentire. Vel anima ejus doluit, cum ait: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Sive Eccleſia, quæ caro ejus eſt, dolet cum preſſuris premitur ſæculi: quia ipſa Eccleſia filia eſt in eo, qui per fidem baptiſmi initiatur in Chriſto. Et rurſum mater eſt, cum ille qui membris Chriſti incorporatus eſt, ſuſcipit miniſterium baptizandi.

Caput XV.

RESPONDENS *autem Eliphaz Themanites dixit* : *Numquid sapiens respondebit, quasi in ventum loquens*. Hoc sensu videtur cæpisse: quisquam ne sapiens, & disciplinæ philosophicæ studiosus, ita furore rapitur, atque insania possidetur, ut sine ullo timoris Dei vel religionis intuitu, sic loquatur, ut auræ flatui simile sit, ventoque quod loquitur. Ob hoc igitur Eliphaz sanctum Job veluti spiritu superbiæ ventoque tumidum redarguere ausus est.

Et implebit ardore stomachum suum. Nomine ardoris, exanhelantem felle iracundiæ animum ejus voluit indicare, qui adversum Deum tanquam coæqualem sibi irasci præsumpserit. Alia interpretatio ita habet: *Et implebit dolore ventrem suum*. Ventrem capacem quemdam sinum animæ dictum intelligamus: quia quemadmodum receptaculum aliquod est corporis quo viscerum vitalia continentur, & hoc ventris nomine appellamus: ita virtutem quamdam exercitationibus animæ capabilem illa translatione per demutationem nominis dixit, quæ eo modo cogitationibus repleatur, quo venter hominis escis repletur. Increpatur ergo Job ab Eliphaz, quod hujusmodi ventrem dolore repleverit, id est, ea cogitet quæ animam ejus discrucient, vel unde dolores corporis merito patiatur.

Arguis verbis eum qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit. Quem ita dicendo, velut rebellem Deoque contrarium notat. Ob hoc forsitan, quia in præcedenti sermone dixerit Job ad Deum inter cætera: Et arbitraris me inimicum tuum.

Quantum in te est, evacuasti timorem; & tulisti preces coram Deo. Tam elatus, inquit, effectus es, ut timore divino omnino sis vacuus, & Deum jam nec deprecari digneris: propter quod ait, & tulisti preces coram Deo, id est, quasi tibi non necessarias a te abstulisti.

Docuit enim iniquitas tua os tuum: & imitaris linguam blasphemantium. Malum igitur mentis tuæ, os tuum didicit loqui, & idcirco imitator & discipulus es illorum, qui linguam ad blasphemandum Deum semper habent paratam.

Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua respondebunt tibi. Id est, merita sermonum tuorum recipies.

Nunquid primus homo tu natus es, & ante omnes colles formatus? Ergo antequam generatio humana existeret, esse cæpisti, donans tibi plurimum, quod præ cæteris hominibus sapias: ubi sermone subsannatorio potuit primum Adam dixisse: quem utique sapientissimum a Deo novimus factum. Ita ergo in sanctum Job invehitur, ut diceret: nunquid tu ante patrem humani generis, & ante conditionem angelorum esse cæpisti?

A *Nunquid consilium Dei audisti, & inferior te erit ejus sapientia?* Subinde nimium, & jactantem arguit vero Deo placentem, & vehementer increpat, dicens: quod non solum nosse putet Dei consilium: verum etiam, & inferior sit illo ejus sapientia. Apparet ergo plenum livore animum, exprobrationum jacula in hominem justum sine causa dirigere, ut conviciis obrueret innocentem.

Quid nosti quod ignoremus? Quid intelligis quod nesciamus? Plurimum: plane in primis ipsum Deum magis noverat: deinde revelanda in Christo mysteria spiritu pervide- B bat.

Et senes, & antiqui sunt in nobis multo vetustiores quam patres tui. Senes, & antiqui nobiscum positi, qui jam ipsa longævitate plurimum eruditionis atque scientiæ consecuti sunt: nihil temere contra Deum, ut tu facis, dicere præsumserunt.

Nunquid grande est, ut consoletur te Deus? Sed verba tua prava hoc prohibent. Manifestum nec grande est omnipotenti, nec difficile misericordiæ Dei, hominem consolari: ut invocantem exaudiat, & a pressura tribulationis eripiat; sed tu blasphemias ructando, exacerbas magis Deum in pœnam C tuam, quem poteras humilitate, & satisfactione placare.

Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones? Quid est homo, & ut immaculatus sit, ut justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu ejus: quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Cor, oculi, spiritus, totam hominis animam significant, sed in corde hominis sapientiam cognoscamus. In ocu- D lis, perspicuitatem intelligentiæ. In spiritu vero illius animæ motum, quo cogitationibus incessabiliter agitur ad quæcumque facienda. In elevatione ergo cordis, & attonitis oculis, tumore etiam spiritus: superbum valde contra Deum, & inflatum nimium sanctum Job Eliphaz amicus ejus exprobrat. Illis etenim sermonibus offensus fuerat, quos beatus Job ad Deum superius narravit. Si judicatus fuero, scio quod justus inveniar, & contra isto sermone loquitur: Quid est homo ut immaculatus appareat?

Ostendam tibi, audi me, quod vidi narrabo E *tibi*. Expertam rem loquor, quam cognovisse, & vidisse me noveris.

Sapientes confitentur, & non abscondunt patres suos. Ita vult eum diversis modis atque exemplis, quasi ad pœnitentiam coarctare atque constringere, ut confiteatur plagam illam pœnarum quam sustinebat ob merita sustinere. Vel ita: non defendendo seipsos, suosque patres similes sui, vel quos imitando parentes habere cœperunt; peccata sua sive parentum non cooperiunt, nec abscondunt. Sive non cælant patres suos, id est, se-

ſeniores, vel ſacerdotes ſuos, quibus peccata ſalubre eſt confiteri:

Quibus ſolis data eſt terra, & non tranſibit alienus per eos. Frequenter Deus propter peccata tradit terram iniquorum aliis gentibus. De converſationis igitur introitu, & ingreſſu Sophar ad Job loquitur: In amaritudine ſua vadent & venient ſuper eum horribiles, id eſt, quaſi iracundia fellium commoti, & veneno invidiæ in amaritudinem furoremque converſi: circa te, inquit, jugiter morabuntur. Sive moraliter. Sapientes illi in Chriſto ſunt, & in ſæculo ſtulti, qui ſatisfactione pœnitentiæ, peccata ſua vel errores hæreſeos convertendo ſe ad Deum fideliter confitentur, & auctores vel criminum ſuorum, vel dogmatum manifeſtant, ut terram corporis ſui ſoli poſſideant: id eſt, non ei vitia, vel hoſtiles nequitiæ dominentur. Alienuſque per eum non tranſeat, id eſt, diabolus in eum non habeat poteſtatem. Qui vere alienus dicendus eſt, quia ſe a Deo, & angelorum conſortio fecit alienum.

Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit. & numerus annorum incertus eſt tyrannidis ejus. In perſonam quidem Job hæc Eliphaz videtur invehere, quæ uſque ad calcem ſermonis hujus perduxit. Ego vero exiſtimo quod afflatus ſpiritu prophetiæ, cuncta hæc in quemlibet impium, ſive in ipſum diabolum, vel ejus ſocios dixerit.

Sonitus terroris ſemper in auribus illius. Sicut Ægyptii paſſi ſunt.

Et cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Perſeverat impius in ſcelere ſemper de conſcientiæ malo: novit enim ſecundum juſtum judicium Dei, quæ impiis retributio ſit ſeparata.

Non credit quod reverti poſſit de tenebris ad lucem. Fruſtra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus ſit. Hic impius in profundum peccatorum deveniens, vitam ſe poſſe conſequi deſperavit. Et idcirco non credit quod reverti poſſit ad pœnitentiæ lucem de tenebris peccatorum. Hujus autem diffidentiæ cauſſam, enarrat dicens.

Circumſpectans undique gladium. Id eſt, hinc inde: ſive præſtolans mortem. Diximus, diabolum in eſcam datum ſpirituum immundorum, quia ejus malitia vivunt: vultures vero homines peccatores, & immundi intelliguntur. Cum ergo hi converſi fuerint, tunc inimicum devorantem ſe, verſa vice habebunt in eſcam, quia ipſe eſt draco qui datus eſt a Deo in eſcam populis Æthiopum, qui quondam propter nigredinem peccatorum Æthiopes, nunc autem per fidem lux facti in Domino. Hunc impium ſive draconem conſumunt ac devorant: dum omne corpus ejus, qui ſunt utique peccatores, per fidem intromittunt in corpus, id eſt, in Eccleſiam: ſecundum hoc, quod dictum eſt Petro: *Surge, occide, & manduca.* Hinc etiam Moyſes filios Iſrael vitulum comminutum bibere compulit, ut ſicut ab eo fuerant abſorpti in er-

A rore: ita illi in corpore populi Dei relicto errore tranſirent.

Cum ſe moverit ad quærendum panem, novit quod paratus ſit in manu ejus tenebrarum dies. Motus animorum, eſt inchoatio cogitationis. Cum ergo hic recordatus fuerit, reus ſibi ſemper male conſcius, quemadmodum poſſit vivere: nihil ei occurrit aliud quam tempus illud judicii Dei horribile, quo pœnas perpetuas irrogandas expaveſcit.

Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallebit eum, ſicut regem qui præparatur ad prælium. Antequam dies prædictus adveniat, B malo formidinis cruciabitur: preſſuris quoque, & anguſtiis ſeptus undique coarctabitur: veluti rex profecturus ad prælium. Sub nomine regis impium hominem, ſive diabolum ſignificari exiſtimo, qui contra Deum bella quotidie blaſphemias contentioneſque, ſive pugnas parat vitiorum.

Tetendit enim adverſus Deum manum ſuam & contra omnipotentem roboratus eſt. In elatione, ſive expanſione manus, reſiſtentem Deo demonſtrat, quemque mentis etiam tumidæ contumacia robuſtum dicit.

Cucurrit adverſus eum erecto collo. Abruptam ac præcipitem ſuperbi indicat C mentem: quia contra Deum poſſeſſus inſanus in audacia reſiſtendo, non lentis greſſibus proceſſit.

Et pingui cervice armatus eſt. Pinguedinem nominando cervicis, ſuperabundantem, & quaſi nimium effluentem ſuperbiam indicavit. Quemadmodum Propheta ait, cum de eadem hominum ſuperbia loquitur, dicens: *Prodivit quaſi ex adipe iniquitas eorum*, hoc teſtimonium nova Editio apertius dicit: *Proceſſerunt a pinguedine oculi eorum*: id eſt, ſenſus ſive cogitationes nimium ſuperborum, in blaſphemiam proruperunt.

D *Operuit faciem ejus craſſitudo.* Facies plerumque ipſa mens animæ intelligitur, ut ait Apoſtolus: *Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculamur.* Hanc diabolus ſive impius homo ſanctitate ſeu humilitate, ſerenam non habet, ſive perſpicuam, ſed craſſitudine opertam ſuperbiæ, quæ cæco corde ſit, & obtuſo. Alia editio: *Operuit faciem ejus tanquam in adipe ſuo*: tanquam diceret: ſuperbia videlicet atra, auctor omnium vitiorum: non tenui, & perlucida humilitatis virtute velut pretioſo amictu ſe veſtivit, ſed de ſeipſa fecit ei quodammodo deriſum, & veſtimentum E obſcurum, quo ſuperbiam craſſa cæcitate cordis obtunderet.

Et de lateribus ejus arvina dependet. Poſſunt latera ejus, miniſtri ſive ſodales intelligi, qui ejus ſimiles extiterunt. Non abſurde etiam aures intelliguntur, quæ utrique in audientia impinguantur: unde nimia ſurditas contumacibus generatur, ſecundum illud: *Incraſſatum eſt cor populi hujus.* Alia Editio: *Fecit capitatulum ſuper femora.* Videtur mihi iſte verſiculus ſenſum hujuſcemodi continere; quod in hoc im-

impio increpetur, quia frenum disciplinæ, A quo ad virtutes retineri poterat, habere noluerit, sed ad quamdam se potius dissolutionem, deposito animi rigore, dejecerit, ut quasi loro laxato ad voluptatem, & luxuriam deduceretur.

Habitavit in civitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redacta. Habitationem ergo bestiarum, & avium immundarum spiritus immundos dicit: qui habitant in hominibus, quos Deus deseruit. Hic enim habitat in hominibus derelictis a Deo: & ob hoc sepulcra facti sunt mortuorum. Et si peccata in Scripturis mortui aliquando dicuntur, necessario peccato- B res, & impii tumuli sunt mortuorum. Igitur in civitatibus, potest generale nomen esse omnium peccatorum. In domibus vero speciale uniuscujusque peccatoris, & impii.

Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus. Substantia hic non rerum divitiæ intelligendæ sunt, sed peccata: de quibus ait Sanctus Spiritus in Apocalypsi Joannis: *Cecidit, cecidit Babylon civitas magna, & facta est habitaculum dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.* Quod autem ait, non ditabitur: hoc dixisse mihi videtur, non longum tempus erit, quo vita C ejus in divitiis facinorum decrassetur, cum etiam collecta vitiorum ejus substantia non erit permansura.

Nec mittet in terram radicem suam. Id est, quia tanquam arbor evulsa sit moriturus: ideo in terra viventium stabilitatem æternam sive eorum consortium non habebit: eo quod hic prius spem vel radicem fidei non præmisit: auram etiam salutis, ut sub umbra vivat refrigerii, non habebit.

Non recedet de tenebris. Alii dixerunt, *Non effugiet tenebras*: id est, pœnas æternas subiit, & tenebras non evadet. Non rece- D det autem de tenebris: intelligimus de tenebris infidelitatis. Homo hic impius ad lumen pœnitentiæ venire detrectat.

Ramos ejus arefaciet flamma. In ramis, operum malorum fructus intelligamus, sicut Salomon ait: *Fructus impiorum peccata.* Hos vero velut ligna, fœnum, stipulam gehennæ ignis absumet.

Et auferetur spiritu oris sui ab eo. Quia ergo furor contra Deum animus ejus est, quo etiam & blasphemias in eum spirare non desinit: oris sui, ait judicio condemnatur. Secundum antiquam ergo Editionem in stirpe sive fronde, originem vitæ impii E significari existimo, quam Spiritus Dei sententia judicii, ut incubans ventus percutit: ut velut arbor arefactus impius illico moriatur, & ita omnis flos honoris ejus & gloriæ defluat.

Non recedet frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Hoc igitur ait, putat fortassis diabolus, & homo impius cordis duritia in impietate persistens, quod Deus ei pro suis meritis non retribuat: dum Deus nequaquam ei parcit, & si verbis hoc potentibus atque compositis ut obtineat deprecetur, cum jam secundum Dei justum judicium, sempiternis addictus sit cruciatibus.

Antequam dies ejus impleantur, peribit. Tunc dies uniuscujusque impleri dicitur, cum bonorum hominum ac malorum retributio venerit. Hic ergo homo, sive diabolus, ante perspicuæ sententiæ diem, quam eis Dominus in judicio daturus est: * præsciit in prædestinatione. * præscitus peribis: sicut &c.

Et manus ejus arescent. Nullum utique boni operis fructum in se habens.

Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, & quasi oliva projiciens florem suum. In botro nulli dubium, quod fructus operis intelligatur prædictus. Igitur florem gaudii temporalis, ad maturitatem fructus perpetui perducere non valebit, eo quod in spe ipsa mendacis gloriæ, calido vento superbiæ dissipabitur. Sive frigore caritatis Dei, velut a pruina lædetur, sicut eodem sensu in sequentibus arbitror dictum. Et quasi oliva projiciens florem suum. Oliva enim in Scripturis divinis, & vinea, aliquando homo tantum significatur: aliquando populus seu bonus, seu malus. Quod autem dixit, vastabitur, sive evertetur, ita intelligendum, sicut in Apocalypsi habetur: *Qui fecerit mandata Domini, non lædetur morte secunda.* Vinea ergo, & oliva, plebs Judæorum potest intelligi. Hæc igitur vinea perdet, sive amittet fructum sanctitatis atque justitiæ, qui Christum primum florem, & optimum sanctorum omnium in agro legis habere noluit. Ipse enim dicit: *Ego flos campi.* Sed ut infidelis, atque incredula, ne illi fides Christi flagraret, projecit eum a semetipsa: & dum projicit extra vineam, & a se excutit velut florem, ipsa a Patriarcharum radice evulsa est, & Christo fructu nostræ salutis excussa.

Congregatio enim hypocritæ sterilis. Raptorem, & violentum simulatorem sanctum Job his sermonibus denotat, & dicit quod, & ei non proderunt divitiæ ex iniquitate collectæ: ita enim adversum Job, & in primo sermone locutus est, ubi etiam leoni, & leænæ, leonumque catulo, & tigri comparavit. Sed Deo magis credendum est, qui eum laudans non simulatorem effectum dixit, sed innocentem, & simplicem prædicavit. Quod autem ait Eliphaz.

Et ignis Devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. In sanctum Job cadere non potest. Quia ipse, ut jam dixi, secundum Dei testimonium de seipso ita locutus est. Er si in manibus meis adhæsit macula, cum de muneribus loqueretur. Ignem vero nominando, gehennam puto significavit, quia tabernacula, id est, corpora iniquorum sunt consumenda. De hoc igne & Sophar in consequentibus ait: Devorabit eum, id est, impium ignis qui non succenditur.

Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & uterus ejus præparat dolos. David quoque post-

postmodum de hujusmodi ita dixit: *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem*. Dolor ergo est injustitia, & iniquitas. Hoc ergo impius peperit quod conceperat, & tamen uterus cordis ejus, dolos præparare non desinit. Quos tunc edit, quando opera in factum procedunt. In conceptu itaque iniqua cogitatio intelligitur, sicut in partu effectus malæ cogitationis agnoscitur. Adversum Job hæc universa Eliphaz locutus est; sed jam superius diximus, quod subministratione prophetiæ per personam Job, diabolo vel cuilibet homini impio dicta hæc videri possunt, sicut & alia quæ amici ejus locuti sunt.

Caput XVI.

RESPONDENS *autem Job, dixit: Audivi frequenter talia. Consolatores onerosi omnes vos estis. Nunquid habebunt finem verba ventosa, aut aliquid tibi molestum est si loquaris? Poteram & ego similia vestri loqui. Atque utinam esset anima vestra pro anima mea*. Si vos, inquit, hæc quæ sustineo pateremini: non ita circa vos agerem, ut vos erga me agere non cessatis.

Consolarer & ego vos sermonibus, & moverem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo, & moverem labia mea, quasi parcens vobis. Blandimento utique sermonum meorum vos potius cohortarer: mentes etiam vestras tribulationibus acerbis exasperatas, ne in lapsum blasphemiæ caderent, levi sermone, & placido sustinerem.

Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus, & si tacuero, non recedet a me. Id est, sive loquar ista nunc vobis, sive etiam taceam: hoc solum me nosse confiteor, quod incessabili dolore discrucior.

Nunc autem oppressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt omnes artus mei. Hoc etiam de Christo intelligendum est.

Rugæ meæ testimonium dicunt contra me. Contractio cutis quam exsiccante eadem sanie patior, quodammodo manifestatione sui dat adversum me testimonium, & quasi loquitur, quantos dolores sive cruciatus sustineam.

Et suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi. Collegit furorem suum in me. Hic aut ipsum Eliphaz falsiloquum dicit, quia exprobrat sancto Job, quod hæc ob peccatorum merita sui ineret, aut diabolum, qui eum dixerat peccatorem. Aliter, falsiloquus, Judas vel populus Judæorum intelligendi sunt, qui contra Christum falsum dederunt testimonium.

Et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Ore amicorum contra sanctum Job disputantium, diabolus minabatur: sive Judæi infremuerunt contra Salvatorem. Alia editio: *Sagittæ piratarum super me ceciderunt*. Piratæ isti diaboli sunt ministri, sive homines, sive dæmones: qui tunc piratæ in Scripturis vocantur, quan-

A do sæculum istud mare appellatur. Sagittæ vero dolores vel cruciatus intelligendi, quos patiebatur, ut ab eis transfossus blasphemia moreretur. Et ita demum aurum atque argentum sapientiæ ejus, & scientiæ, vestes quoque pretiosas virtutum, spei atque fidei in Deum, auferent ab eo, & grandi pretio comparata monilia.

Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. In oculis terribilibus animum sauciantis in se describit invisibilis inimici: qui sive per visiones nocturnas, sive per amicorum vultum terribilem, minas intende-
B ret: sicque dum Job amici ejus sancto nefanda responderunt, nutibusque etiam cum irrisione deterrent, de Christo intelligendum.

Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Igitur in maxilla, generis est nobilitas, sive honor quidam manifestus. Et sicut alii dixerunt, acriter est percussus in genis, intantum ut ab honore, & nobilitate, & divitiis fieret alienus, quando maxillam fidei suæ collidendam diabolo fortiter præbuit, quam ille perturbare cædendo conatus est, quasi
C quandam januam divinæ confessionis effringens, sive cum falsum testimonium contra Christum dixerunt, sive illud, *Crucifige eum*.

Conclusit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit. Id est, diabolo, & angelis ejus. Sive de Christo intelligendum, quando traditus est in manibus Judæorum.

Ego ille quondam opulentus repente contritus sum. Tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Id est, de divite factus pauper. Vel Christus, de Deo homo natus.

D *Circumdedit me lanceis suis: convulneravit lumbos meos. Non pepercit, & effudit in terra viscera mea*. Lanceæ hoc loco nominatæ, dolorum compunctiones, quas Job patiebatur, significanter intelliguntur: sive de Christo blasphemiæ, quas passus est a Judæis, intelligendæ sunt. Job vero non solum deforis toto corpore computruerat, verum etiam putoris sanie liquescebat: ita ut ipse Job diceret, halitum meum exhorruit uxor mea. Omnia circa lumbos ejus putruerunt. Sive de Christo intelligendum, convulneravit lumbos meos. Quia Judæi usque ad hoc persecuti sunt Apo-
E stolos, qui quasi de lumbis doctrinæ suæ nati fuerant: ut eos vulnere infidelitatis Christum negando sauciarent dum Petrus dicit, *nescio hominem*. Et tenuit cervicem meam, sive ut alii dixerunt, *tenens comam meam devellit*. Proinde nunc intelligamus quo furore diabolus ac virtute istum virum commoverit atque concusserit, sive confregerit, ut etiam comam capillorum ejus simul apprehensam, sit conatus evellere. Sive de Christo ita intelligendum: tempore passionis ex suo permissu tenuit adver-

adversarius, & usque ad mortis dormitationem inclinavit, quem jam verberibus, & affixione clavorum confregerat, & signum salutis in contrariam partem posuerunt.

Conscidit me vulnere super vulnus: irruit in me quasi gigas. Dum languoribus meis atque vulneribus adduntur plagæ innumerabiles, dividor totus resolutus atque comminuor, ita ut nullum in me membrorum residuum sit, quod aliqua soliditate subsistat. De Christo etiam sic intelligendum: Cum Judas lætali apostasiæ vulnere peremtus est, non pepercit: in tanta namque sævitia debacchatus est, ut scelus quod mente conceperat, etiam ore publicaret: vel super vulnera crucis clavorum vulnera addiderunt.

Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam. Quod similiter dictum, ad humiliationem regni ejus pertinere mihi videtur. Cornu autem, regnum in Scripturis vocatur: juxta illud, *Exaltabit cornu Christi sui.* Christus vero ipsam gentem de qua oriundus erat, saccum appellavit. Cinere vero operuit principes Judæorum, cum ab eis regnum pro negationis sacrilegio transtulit ad gentes.

Facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligaverunt. Fletus sive lacrymæ in homine de doloribus, sive de tristitia generantur; sed lacrymæ aliquando per genas cum silentio defluunt: fletus vero cum habeant lacrymas, non sine voce, & commotione corporis dantur: quem fletum Job se habuisse testatur, qui ei de ærumnis animæ, pœnarum quoque cruciatibus nascebatur. Item aliter: Prophetæ, facies Dei intelliguntur eo quod sciant futura: qui cum perditionem impiorum contemplarentur in spiritu, gemitibus continuis eos flevisse intelligamus. Oculi etiam caligaverunt Christi, dum Martyres sive Sancti in tentationibus titubantes conturbati sunt: sed gratia Dei liberati in lumine permanserunt.

Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Nullus Sanctorum ita mundas atque immaculatas, absque omni vel minima labe cogitationis preces ad Deum habet, ut mediator Dei, & hominum homo Jesus Christus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Quas utique preces atque orationes secundum hominem, quem assumsit, ad Deum habere credendum est: cum secundum divinitatem suam cum Patre ipse exaudiat. Sive Sancti, qui pro nomine ejus passi sunt sine iniquitate rebellionis vel criminis alicujus a persecutoribus occisi: quantum ad illos persecutores, gratis morti traditi sunt.

Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus. Totum hoc est quod dicit, ne innocentis, & bene sibi conscii meritum lateat: præsertim cum insontem se mala tanta passum referat. Sanguinis vero nomine, vitæ istius

A præsentis statum dicere voluit. Hoc autem loco clamorem positum, ipsam sanctitatem ejus contra pœnas illius reclamantem: quæ iniquis merito inferuntur ad vindictam, justis autem ad probationem. Aliquando etiam in Scripturis clamor affectus animi intentus ad Deum ostenditur, vel etiam clamor iniquitatis populi: qui expectabatur ut faceret uvas, & fecit spinas. Nec omnis iniquitas clamor dicitur, sed illa quæ publice fit.

Ecce enim in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis. Quia Deus de eo testimonium perhibuit.

B *Verbosi amici mei.* Qui verba non ad Deum pertinentia loquitur, verbosus vocatur: qui vero verba Dei loquitur, verbosus non potest judicari.

Ad Deum stillat oculus meus. Cum lacrymis interpellat Deum.

Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo: quomodo judicatur filius hominis cum collega suo. Hoc dicit: Utinam mihi esset copia cum homine disputandi, ut me innocentem probare possem. Deum autem meum nolo intrare mecum in judicium, qui & scrutans corda, & renes Deus est: cujus judicium falli omnino non potest: neque

C ipse consuevit discuti a quoquam.

Ecce enim breves anni transeunt, & semitam per quam non revertar, ambulo. Ita credebat, quod nec ad mortale corpus suum, nec ad tormenta corporis sui esset iterum reversurus.

Caput XVII.

SPIRITUS meus attenuabitur, & dies mei breviabuntur. Hoc dicit, quod in brevitate vitæ suæ, spiritus ejus sensim attenuatus defecerit.

Et solum mihi superest sepulcrum. Quia

D mors est finis omnium tormentorum.

Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Verum est, quod Deo placitus non peccavi. Et licet possit hic locus ita intelligi, quod in Deo quidem non peccaverit, & tamen quasi in ipso peccaverit, pœnas blasphemantium patiatur. Et forte quoniam a Deo in præsenti laudatur, non peccaverat: sed in præteritis adolescentiæ temporibus peccasse non negat.

Libera me, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Sub scuto igitur protectionis Dei latere optat: quo munitus atque defensus, sævientem hostem non

E timeat.

Cor eorum longe fecisti a disciplina: propterea non exaltabuntur. Quia ad Deum hæc loquitur Job: de diabolo utique, & satellitibus ejus præcesserunt peccata: quippe pro quibus pœnam obdurationis acceperunt. Caussa igitur de quibus loquimur, qua elongati sunt, ut non apprehenderent disciplinam, quia exaltationem bonæ naturæ suæ debitam, voluntate propria perdiderunt.

Prædam pollicetur sociis, & oculi filiorum ejus deficient. Posuit me quasi in proverbium vul-

vulgi, & exemplum sum coram eis. Socii sive filii diaboli, iidem sunt ministri ejus: sed socii dicuntur propter contubernium conspirationis adversus Deum. Filii, propter imitationem ipsius diaboli. His igitur dæmonibus beatum Job in prædam dandum, pater eorum, & rebellionis caput diabolus promittebat, dum eum per tantos dolores ad blasphemiam impellendum, & a Deo ob hoc relinquendum esse credebat: sive quando eum omni gloria domus, & filiorum spoliavit.

Caligavit ad indignationem oculus meus, & membra mea quasi in nihilum redacta sunt. Juxta illud Evangelii: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus*. Hunc igitur oculum Job sibi caligasse conqueritur illa indignatione, qua ipsum sanctitatis suæ merita conservabant: eo quod bona conscientia, pœnas pateretur indebitas.

Stupebunt justi super hoc. Admirantes de justis Dei judiciis, quomodo justus, & sine crimine pœnis affligatur.

Et innocens contra hypocritam suscitabitur. Hypocrita est ipse diabolus, qui cum sit tenebrarum, id est, delicti inventor, ipse recedendo a vero lumine est tenebrosus effectus. Quasi lucifer posuit in cælo sedem suam, & transfiguravit se in angelum lucis. Aut certe unumquemque amicorum suorum Job hypocritam dixit: quia sub verbis consolatoriis dolos eis dolose loquebantur.

Et tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem. In quas profecto virtutes se magis crescere manifestat.

Igitur omnes vos convertimini, & venite: & non inveniam in vobis ullum sapientem. Convertimini, ait, a pravitate sententiæ, qua me condemnare summo studio non desistitis. Venite: sermo invitantis est ad melioris vitæ profectum: quod est, o vos hypocritæ, & non veri, nec fideles amici, ad agnitionem veritatis accedite, quam vos habere minime noveritis.

Dies mei transierunt. Dies hi præteritæ felicitatis possunt intelligi, in quibus pollens virtutibus vivebat beatus Job. Hos igitur dies a se non sine gemitu loquitur præterisse, quando multis miseriis circumdatus est, & plaga intolerabili dolorem patiebatur.

Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras spero lucem. Cum in unius jugiter contemplationis intentione positus essem, & cogitationes meas haberem semper intentas ad Deum: plagæ hujus supervenientis mihi miseriæ, easdem cogitationes meas a sua unica soliditate in me video dissipatas, & ob hoc excruciatur cor meum: eo quod earum dilaceratione torquetur, videns me mala simplicitati meæ inconvenientia sustinere.

Si sustinuero, infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum. Pœnis corporis cogitationumque stimulis, sicut ait, indesinenti tempore agebatur, & idcirco

A pœnas inferorum, jam se pati clamabat. Aut forte separatio illa qua ab hominibus factus est alienus extra civitatem, sedens in sterquilinio, tenebræ dictæ sunt quia lucem humani solatii non haberent.

Putredini dixi, pater meus es: mater mea & soror mea vermibus. Tam longo, inquit, tempore computresco, ut ipsam putredinem, & vermes nascentes in ejus sanie parentes appellem: ac per hoc quemadmodum quispiam mortalium sine parentibus non potest existere: ita & ego factus sum, quasi sine putredine, & vermibus esse non possem. Qui ita in carne mea velut in

B natura sua sunt: tanquam si ex eis ipse subsisterem. Cum illi in me de carnis meæ sanie potius generentur, non ego ex illis. Ubi magis mortalitatem per peccatum factam significavit: cui inest corruptio, & corruptioni putredo. Patrem vero appellavit ipsum ortum humani generis in Adam, qui corruptione factus est putrescibilis. Matrem vero naturam humanam dixit, corruptione vitiatam. Sororem vero omnem posteritatem Adæ dixit: quæ de corruptione mortalitatis, velut de sanie putredinis nascitur: quod & Baldad dixit: Homo putredo, & filius hominis

C vermis.

Ubi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat? Quod ait, & patientiam meam quis considerat? aperte fortem se in illis cruciatibus manifestat: pro quibus quasi queritur, quod ad retributionem tanti laboris sui non potuerit pervenire.

In profundissimum infernum descendent omnia mea. Alii dixerunt, *Omnia bona mea*. Bona sua dicit ad inferos descensura, quod est anima mea: vel ipse pro illis sum descensurus. Vere non credimus de justitia, quod tantus ac talis vir pro sanctis operibus suis

D frustrari potuerit. Quod autem ait:

Putasne saltem ibi erit requies mihi? Istud est: si in hac vita pœnas patior infernorum, putasne in locis pœnarum erit aliqua requies mihi? Hoc autem gravatus miseriis loquitur, potius quam victus diffidentia: quia aliis locis ait ad Dominum: Scio quia in inferno protegas me: donec pertranseat furor tuus.

Caput XVIII.

RESPONDENS *autem Baldad Suites, dixit: Usque ad quem finem verba jactabis? Intellige prius, & sic loquamur*. Id est,

E quis finis erit hujus verbositatis, quasi non sit sincerus: vel solus Job a Baldad verbosus arguitur: vel quasi spiritu nescio quo instigatus loqui non desinat.

Quare reputati sumus ut jumenta, & sorduimus coram te? Hoc dicit, quod tanquam bruta animantia eos sanctus Job despexerit, & vilissimos & indignissimos colloquio existimaverit: & ita iracundia possessos, ut phrenesim pati viderentur.

Quid perdis animam meam in furore tuo? Le-

Loquendo contra divinam justitiam, furo- A ris amentia concitatus, animæ tuæ necesse est inferas mortem.

Nunquid propter te derelinquetur terra, & transferentur rupes de loco suo? Tanquam si diceret: nunquid propter te mundus ad rectorem suum non pertinebit: ut si quos peccatores invenerit, sicut & teipsum, non puniat. Terræ vero & rupium nomine metaphoricos universa multitudo populorum, & excelsi quique mundi & superbi, ac potentes, possunt intelligi. Possunt rupes, & animæ hominum, ut terra, caro humana intelligi. Sed & angeli propter celsitudinem naturæ suæ eminentemque honorem, B rupes dici possunt.

Nonne lux impii extinguetur: nec splendebit flamma ignis ejus? Luce felicitatem præsentem quam sanctus Job gloriosus agebat, significavit, sicut & Salomon ait: *Lumen vero impiorum extinguetur*. Hanc igitur extinctam dixit: quando Job destitutus est omni felicitate præsenti. Quod autem ait: Nec splendebit flamma ignis ejus: id est, non rediet ad pristinam felicitatem.

Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna quæ super eum est, extinguetur. Non solum, inquit, præsentem felicitatem amit- C tet: sed etiam lux recordationis Dei, quæ erat in tabernaculo cordis ejus obtenebrabitur, ut ei Deus scilicet in memoriam non ascendat, & pro merito lucerna protectionis divinæ, quæ super eum fuerat, extinguetur.

Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum. Ut superbus confidens in virtute sua recte incedere arbitratur, concludetur tribulationum angustiis, & pressuris, ut inde omnino exire non possit.

Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat. Retis nomine atque D macularum ejus, inevitabile malum significatur: quod volens quisque exuere, ipso conamine impeditur, atque implicatur ut corruat.

Tenebitur planta illius laqueo, & exardescit contra eum sitis. Laqueus hic ipse diabolus non absurde sentitur, qui ad supplantandum calcaneum, peccatores observat, & ipse nihilominus sitis nomine appellatur: eo quod velut in aliquo bono æstuans sitiat hominis mortem.

Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam. Latet illum quibus insidiis perditus sive in semetipso E pedicam, qua præpedit pedes suos, habet absconditam: id est, obligationem peccati, & in sævitia conversationis suæ, qua se recte putat incedere, erroris istius latet decipula.

Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus. Sive dolores. Superbus scilicet terrore venturæ calamitatis semper terrebitur, Possunt etiam formidines, hoc loco non affectiones cordis intelligi: sed ipsi potius ministri diaboli. Hi igitur multis modis terrere sanctum Job, ut eis cederet, instituerunt.

Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas illius. Potest fames & ipse diabolus intelligi: qui hujusmodi famem patitur, qua nunquam de necibus hominum saturetur. Sive & ipse famem patitur: quia verbum quod procedit de ore Dei, accipere non meretur. Et idcirco sub nomine costarum, thoracis munimenta significantur: quibus se velut quadam obduratione construxit, ut eum cibus divini eloquii non adeat. Sive etiam impiorum plagam describit.

Devoret pulchritudinem cutis ejus, & consumat brachia illius primogenita mors. Pulchritudinem cutis, id est, ornamenta virtutum, & brachia, fortitudinem regni ejus, confecit diabolus: qui ideo primogenita mors appellatus est: quia per ipsum primum intravit mors in orbem terrarum, & ipse est suæ mortis inventor.

Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus, & calcet super eum quasi rex interitus. Hunc igitur interitum diabolum esse dixit, qui est rex super omnes filios superbiæ: sed super sanctum Job, ut eum prosterneret, calcare non potuit.

Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est. Socii, sodales, sive filii, ut supra dictum est, ministri diaboli sunt: qui hoc loco non esse dicitur, & cum sit naturæ suæ proprietate subsistens, tamen non est, ut dixi: quia prævaricatione factus est alienus a Deo.

Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur. Ut fumum hic sentiat gehennarum.

Deorsum radices ejus siccentur: sursum autem atteratur messis ejus. Messis opera possunt intelligi, quæ foras atque in publicum ex interioribus erumpentia, de fidei radice consurgunt. Aliter: Deorsum radices ejus siccentur: id est, opera, quæ in hoc sæculo perpetravit, inveniantur mortua, mortuisque ariditate similia. Sursum autem atteratur messis ejus: in futuro utique mercedem laboris sui minime consequatur.

Memoria illius pereat de terra. Id est, nihil memoria sua dignum operetur: vel etiam memoria ejus pereat de terra viventium.

Et non celebretur nomen ejus in plateis. In platea sedebant reges, inter quos optat eum famam justitiæ non mereri. Plateæ virtutes intelliguntur: in quibus sapientia fiducialiter agit, & circumit civitatem Dei Jerusalem: in qua Sacramentis divinis atque mysteriis latum est Scripturarum mandatum. Vehementer igitur in his plateis ludent senes, & anus, & infantes.

Expellet eum de luce in tenebras, & de urbe transferet eum. De hac utique luce temporaria mittetur in æternas tenebras inferorum: sive etiam de parte sortis sanctorum retrudendus in tenebras tormentorum.

Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo. Hoc dicit, quod posteritatem indignam memoria gentis suæ, vel patriæ dere-

derelinquat: secundum illud psalmistæ: *Generatio rectorum benedicetur*. Talem igitur generationem in populo suo noluit procreare: unde in hac gente spirituali gloriaretur, & patria.

Nec ulla reliquiæ in regionibus ejus. Manifestum est, quod sancto Job nihil remanserit. Spiritualiter autem sic intelligendum: nullas reliquias generationis suæ habebit impius in futuro.

In die ejus stupebunt novissimi. Id est, in tempore damnationis ejus.

Et primos invadet horror. Id est, infimi & proceres terrebuntur: quod est, reges potentes, & magni. Sive novissimi & primi, homines, & angeli: sancti quoque & peccatores non absurde intelliguntur.

Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus ejus qui ignorat Deum. Ennarrantis maledictionis sententiam videtur dare, & dicit, ubi hujusmodi superbus, scilicet, impiusque habitaturus sit: sed Job iniquus non est, quem rectum & innocentem Deus appellat.

Caput XIX.

RESPONDENS autem Job, dixit: *Usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Manifestum est, quia responsionibus amicorum suorum attritus sit, & afflictus sive fatigatus sit, & destructus.

En decies confunditis me, & non erubescitis, opprimentes me. Dies decem, pro toto tempore nominavit. Sed quomodo in brevi numero, in Apocalypsi major numerus temporis intelligitur: ita & in hac eadem summa numeri minus significatur, ut hoc solido numero, & perfecto manente, pro diversitate locorum in Scripturis divinis, nunc majorem numerum, nunc minorem significari noverimus.

Nempe & si ignoravi, mecum erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis. Putatis me, inquit, ignorare Deum, sicut & dicitis. Nunquid amicos decet insultare oppressis, a quibus magis tribulantes solatia præstolantur? Non est hoc opus amicorum fidelium, sed est potius subsannatio irridentium.

Saltem nunc intelligite: quia Deus non æquo judicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit. Ecce clamabo, vim patiens, & nemo audiet. Vociferabor, & non est qui judicet. Ille dicebat se inique sustinere molestias tormentorum: illi vero utpote iniquum pati suo merito loquebantur. Et putant quod in hoc articulo istius sensus erraverit, & ideo postmodum dicat ad Deum: Insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam.

Semitam meam circumsepsit, & transire non possum. Qua rectus utique atque illibatus proficiscebar ad gloriam meritorum meorum. Hanc igitur ignominiam passionis hujus circumsepsit atque interclusit, ut ad illam gloriam pervenire non possim.

Et in calle meo tenebras posui. Id est, in

A tramite: hoc est, castigatæ viæ meæ, qua velut per arctum & angustum certa spe ad justum retributorem pergebam, tenebras in eo miseriæ hujus, & calamitatis inveni.

Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo. Gloria me regni privavit: fidei quoque fiduciam abstulit: quam de ipso apice mentis meæ, qui est naturæ rationalis caput, velut honoris coronam detraxit.

Destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsæ arbori abstulit spem meam. Domo, regno, familia, filiis, amicis, sanitate corporis mei destitutus sum: ita his omnibus B ablatis, perire me video cujus etiam spes vitæ meæ velut arbor ablata est.

Iratus est contra me furor ejus, & sic me habuit quasi hostem suum. Furor Dei hoc loco potest diabolus ipse intelligi, qui beatum Job diversis modis, id est, blasphemiis, & carnis ejus cruciatibus insectabatur.

Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me. Furor Dei, diabolus est; latrones vero ministri ejus sunt: hoc est quod ait, & fecerunt sibi viam per me: quando eum, vel facultatibus mundi, vel sanitate corporis spoliaverunt. Unde pulchre dictum est:

C *Et obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant obliti sunt mei. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. Servum meum vocavi, & non respondit: ore proprio deprecabar illum*. Id est, foris insidiati sunt. Sive circumdederunt in gyro tabernaculum ejus: hoc est, in corpore ejus tormenta posuerunt. Animam vero inclinare ad peccatum non potuerunt.

Halitum meum exhorruit uxor mea. Ita D totus intrinsecus putrui, inquit, ut halitus fœtorem nec uxor mea sustinere potuerit: ubi potuit fieri, quod apostema habuerit in visceribus, quod totum ventris ejus sinum tenuerit, & inde loquendo odorem fœtidum de purulentia profundi vulneris expuerit.

Et orabam filios uteri mei. Stulti quoque despiciebant me. In Scripturis divinis, filii appellantur etiam pronepotes, & illi qui longiore serie nati sunt. Proinde quando filios uteri sui dixit, in se quasi ad fontem, & ad originem posteritatis suæ respexit: unde ei cognationum familiæ veluE ti rivuli manaverunt. Potuit & illos uteri sui filios dicere, quos doctrina sapientiæ suæ, tanquam semine de utero cordis sui formaverat, habens in se per gratiam Dei formam gratiæ, & disciplinam naturalis legis in veritate.

Et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondam consiliarii mei, & quem maxime diligebam, aversatus est me. Hoc forte vult intelligi, se in eorum oblivionem venisse, & ab eorum affectibus, & cordibus recessisse.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum. Ad tantam ariditatem caro ejus devenerat, ut nihil in eo humoris remanserit, & ob hoc adglutinata quodammodo fuerit pellis ejus ossibus suis: hanc infirmitatem marasmon dicunt medici.

Et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Ad hoc enim diabolus, consumptis carnibus sancti Job, labia ejus integra dereliquit, ut haberet positus in tormentis, quibus posset facile blasphemare: quasi cordis blasphemia non sit: pro qua ipse Job sicut pro cæteris peccatis holocausta Deo pro filiis suis die septimo offerebat. Sed ideo diabolus linguam reservavit, ut intelligere posset, si Job ob cordis simplicitatem, blasphemiam proferret in labiis.

Misereminì mei, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Manum ergo Domini appellavit ipsam plagam quam patiebatur, quæ facta est Domini potestate. Tetigit, pro afflixit intelligendum est.

Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Fecit Deus circa me in judicio, cui soli licet omnia in opere suo: vos quare præsumitis sicut Deus, ut affligatis innoxium: quod ipsi tantum pro dispensatione sua competit, aut quasi dispensatione vestra indigeat Deus?

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stilo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Quoniam a nullo homine potuit invenire solatium, convertit se ad Deum, & resurrectionem futuram prophetat in spiritu, ubi pro his malis præmium sit recepturus, & hæc duris insculpta lapidibus optat inscribi, ut sermones prophetiæ in ætates sæculorum prolixiores permaneant.

Scio enim quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Hoc igitur clypeo Ecclesia, quæ Incarnationem Unigeniti Dei veram confitetur, & resurrectionem mortuorum verissime credit futuram, se munit, & protegit, & inimicos suos convincit, atque debellat. Ubi sunt illi qui dicunt, nos in resurrectione alia corpora habituros? audiant istum virum; ore Dei laudatum, dicentem:

Quem visurus sum ego ipse. Ego ipse Job, qui in stercore jaceo, & totus vulnerum sanie computresco: ego, inquam Job, jam corruptus, atque vulneribus dissolutus, in hac carne mortali, incorrupta resurrectione futura glorificatus videbo Deum: & ut exprimeret ipsius sui corporis instaurationem, idcirco ait:

Et oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hac spes mea in sinu meo. Consummata sunt omnia in sinu meo.

Quare ergo nunc dicitis: persequamur eum? Ut quid nunc agitis, ita ut tanquam vanum, nihilque credentem velut Deum non

A timeam: sive quia religione divina sim alienus, persequi velitis, aculeatis me vestris perfodiendo sermonibus.

Et radicem verbi inveniamus contra eum. Videtis ergo, quia mecum non ut veri amici fideliter agitis: sed ut dolosi de meis sermonibus mihi laqueos concinnatis: quandoquidem de ipsis verbis meis occasionem, velut quandam radicem reprehensionis invenire cupitis.

Fugite ergo a facie gladii: quoniam ultor iniquitatum gladius est. Hoc dicit: si recesseritis ab impressione mea, gladium justæ sententiæ Dei poteritis evadere. Gladius B est enim lingua regis, & non carnalis, ut Salomon dicit.

Et scitote esse judicium. Quo judicio justi judicis Dei potero de subsannatoribus judicari.

Caput XX.

RESPONDENS *autem Sophar Naamathites, dixit: Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diversa rapitur.* Ideo, inquit, æstuo, & cogitatione conturbor: quia dicis te hæc mala sine causa a Deo judice sustinere, cum de Deo nihil sini- C strum debeat suspicari.

Doctrinam qua me arguis audiam, & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi. Audiam quidem te increpantem ac redarguentem me: quia forte in doloribus positum objurgare non debeam: mihi de Deo, quod est justissimum respondere convenit: quia non posses ab eo ita puniri, nisi esses malorum conscius, & multorum criminum reus.

Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram: quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Jam nunc cæpit in sanctum Job maledi- D ctis invehi: quem & impium aperte asserit, & hypocritam, eo quod simulaverit se justum, & nunc in Deum rebellis extiterit.

Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit. Manifesta & certa hyperbole, hominem elatum nimis, & tumidum dicit.

Quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent ubi est? Cui sterquilinio assimilatus es per omnia, & ipse te nunc conspicis putrefactum. Et qui quondam viderant te regnantem in gloria, nunc inquiunt insultanti voce: Ubi est ille E sapientissimus hominum, & potentissimus regum?

Velut somnium avolans non invenietur: transiet sicut visio nocturna. Manifestum est sicut ait: Defecit velut somnium surgentis.

Oculus qui eum viderat, non videbit: neque ultra intuebitur eum locus suus. Id est, honor impii non poterit reparari.

Filii ejus atterentur egestate. Sive ergo carnales filii ejus, sive opera quæ aliquando filiorum nomine appellantur, sive illi qui eum tanquam patrem fuerint imitati, per

per Dei sententiam ad nihil redigentur, quod jam in filiis tuis, carnalibus operibus quoque tuis ex parte vides esse completum.

Et manus illius reddent ei dolorem suum. Hoc enim operatus est unde malum vindictæ, operante Dei justitia, recipere mereretur.

Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus. Hoc ait, quod a juventute sua, ex qua graviora peccata committere cœperit: in eisdem peccatis suis usque in senectam permanserit: pro quibus nunquam voluerit pœnitere. Et idcirco sequitur.

Et cum eo in pulvere dormient. Id est, post mortem vitiorum quæ est in anima: sive usque ad mortem, quæ fit per resolutionem corporis hujus. Ossa ergo hoc loco ipsam senectutem non est absurdum intellexisse: quibus veternositas annorum, & durities senii jam præmatura significetur. Sive ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ, &c. Si quæ igitur virtutes sunt animi in impio homine naturales, ab adolescentia ejus vitiis intelescunt, & resolvuntur, aut defluunt, ut nihil in eis solidum, & forte maneat: quia jam eisdem vitiis tanquam carnibus fluidis videlicet rebus operiuntur, & obteguntur: ubi magis deberent virtutes, velut ossa solida, & firmissima, tanquam carnes fluidas, & solutas vitia restringere, continere, & regere, & ideo in carnis ejus pulvere dormiant: quia repugnantibus vitiis atque vincentibus, rigorem bonæ suæ naturæ amittent.

Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum: abscondet illud sub lingua sua. Dulcia mala sunt impie, blasphemia & cætera oris peccata. Abscondet sub lingua sua, dicens: ubi est ei labor & dolor, & defendet atque cælabit, ut ait Scriptura: *Qui contegit iniquitatem suam, non prosperabitur.*

Parcet illi, & non derelinquet illud. Id est, palpat, fovet, & nutrit malum suum, & delectans se in illo, nunquam pœnitet, ut ab eo discedat.

Et cælabit in gutture suo. Illud dicere mihi videtur, quod semper sit ad blasphemandum paratus, & non prius saltem per aliquam moram cogitat quid dicturus est: quia jam paratam habet blasphemiam, quam cum maledictione cordis effundat.

Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Panis scilicet tota vita hujusmodi hominis, est delectatio peccatorum, dulcedo illecebrarum, & suavitas, quæ amara illi, & mortifera postmodum erit. Quod autem dixit in ventre ejus, hoc ait, quod etiam in corde suo pro iniquitatibus suis, amaros dolores, acerbos & nimios conscientia torquente patiatur.

Divitias quas devoravit evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Caput aspidum surget, & occidet eum lingua viperæ. Quod inique & violenter rapuit, & invasit, merito ei Deus pœnas illatis criminibus ejus reddidit & ita extorquebitur ab iniquo quod injuste abstulerat. Angelus vero ille qui centum octoginta quinque millia occidit, videtur bonus angelus fuisse: quia angeli messores sunt: zizania ignibus æternis exurenda.

Non videat rivulos fluminis, torrentis mellis, & butyri. Amœnitatem sive delicias paradisi, affluentiam quoque ejus his nominibus significari noverimus: & reges hi qui non adversarii erant veritati, quod ipsi sint illi impetus fluminis, qui lætificant civitatem, non absurde intelligitur, manante scilicet de fonte, sive de flumine Scripturarum: sive eosdem Apostolos hos impetus recte sentimus, exeuntes de fonte Evangelii ad irrigandas terras steriles populorum: quos etiam torrentes propter velociter effusam super omnes doctrinam eorum, intelligere debemus: quæ doctrina divina, melli propter eloquiorum Dei dulcedinem, & butyro propter simplicem, & innocentem eumdem cibum doctrinæ verissime comparatur: qui etiam in psalmo hanc dulcedinem impium non dicit habiturum.

Luet quæ fecit omnia: nec tamen consumetur. Illud est, quia gehenna quædam perpetua incorruptio, & æterna perseverantia tormentorum est.

Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit: quoniam confringens nudavit pauperis domum: rapuit, & non ædificavit eum. Juxta illud quod Propheta dicit ad Deum: quoniam tu reddes unicuique secundum opera sua.

Nec est satiatus venter ejus. Ventrem hic appellatum puto quoddam receptaculum animæ, ubi cogitationes ejus quasi escæ ciborum reconditæ continentur, quem inexplicabilem dicit.

Et cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. Quemadmodum, & tu ipse, qui justo Dei judicio omne patrimonium perdidisti.

Non remansit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus. Inhumanitatis ei notam inurit, eo quod de abundantia mensæ suæ nulli peregrino, vel hospiti refectionem præbuerit: sed fallitur Sophar: quia sanctus Job dicit: Si comedi buccellam meam solus. Non remanebit de cibis ejus, quia non florebunt bona sua.

Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. Cum divitiis scilicet, & rerum omnium abundantia refertus fuerit, subitus ei interitus veniet: coarctatus miseria irruente atque conclusus, calamitatum cladibus æstuabit.

Utinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui. Quandam capacitatem, vel sinum spatiosum ventrem animæ superius intelleximus. Hoc ergo dicit, quia jam cogitationibus iniquissimis plenus est, usque ad summum oris sui blasphemia cumuletur: sive iram furoris ipsius diaboli animum non absurde sentimus, per quem probantur sancti.

Et pluat super illum bellum suum. Bellum præ multitudine sua, possunt intelligi ad-

versariæ potestates. Istæ igitur bellum Deo A inferunt, quando sanctos ejus oppugnant. Quod autem ait: Pluat super eum abunde, in eum calamitatis miseriam precatur effundi: sive homo impius qui bellum blasphemiæ infert Deo, recipiet opus suum.

Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum. Tanquam si diceret: Quando putaverit se leviores calamitates posse fugere, in atrociores incurret. Sive aliter: Si socios & ministros diaboli fugiat, incurret in ipsum principem tenebrarum, & cum sint illi rebelles in malitia, fortes, & duricordes tanquam arma ferrea, in pejorem tamen auctorem totius mali, velut in arcum æneum impinget: quem puto ideo hoc loco arcum nominatum: quia vel maxime in insidiis, & dolo homines inopinantes interimere non desinit. Arcu enim inopinantibus plerumque tela jaciuntur. Et non liberabitur de manu gladii. Hoc dicit: quia non evadet diabolus mortem perpetuam.

Gladius deductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua. Quia diximus arcum, translato nomine diabolum posse intelligi: qui dum inobedientia transgreditur terminos, & in superbia elatus metas sanctæ humilitatis transcendit: quasi de vagina beatæ habitationis justo judicio Dei eductus atque expulsus est. Sive eductum de vagina, paratum semper ad interimendum fugientem se, significatum esse noverimus. Vulnerabit eum sagitta ænea. Æs diutinum est: huic metallo diabolus comparatur, eo quod ad interimendum nunquam deficiat, nec senectute aliqua consumatur, qui etiam fulgurat, hoc est transfigurat se in angelum lucis.

Vadent, & venient super eum horribiles. Id est, socii ejus.

Omnes tenebræ absconditæ sunt in oculis ejus. Tenebræ in hoc loco intelligendæ sunt peccata, sive ea quæ commissa ab impio sunt, sive committenda sunt in corde ejus, & affectu, & cogitationibus latent: quæ ideo in secretis mentis ejus abscondita dicuntur esse, quia illis favet, eisque plurimum delectatur.

Devorabit eum ignis qui non succenditur. Hunc ignem non absurde intelligimus esse gehennam, qui non materiis quibusdam, & pabulis vivit, ut ardeat, sed per seipsum ut creatus est vigens, cuncta quæ ei injecta fuerint concremat. Ergo iste ignis devorabit impium qui tanquam rationabilis ita eum glutiet atque absorbebit, ut in eo æternis cruciatibus torqueatur.

Affligetur relictus in tabernaculo suo. Ob impietatem videlicet suam iniquus derelinquetur a Deo, ut in tabernaculo corporis sui pœnis perpetuis crucietur.

Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversum eum. In testimonium utique erunt angeli, & sancti homines, ut noverint quod pœnas justissime patiatur.

Apertum erit germen domus illius. In judicio Dei, quando impius condemnandus est, non solum omnes cogitationes cordis ejus: verum etiam principia interfectarum cogitationum, Deo pandenda sunt, atque clarius luce manifestanda.

Detrahetur in die furoris Dei. In die judicii mittetur in tenebras exteriores. Potuit & dies impia fuisse Job, quando plaga percussus est, & conclusit elocutionem suam, ut diceret:

Hæc est pars hominis impii a Deo? Hic quasi ex abrupto ostendit, quod in sanctum Job universa hæc dixerit. Quod autem sequitur:

B *Et hæreditas verborum ejus a Domino.* Id est, operum retributio: alii ita verterunt, *E hæreditas verborum ejus ab Episcopo*, quia quemadmodum Dominus a dominatione rerum omnium scitur: ita Episcopus eo quod superintendat in omnem creaturam, verissime dicitur. Non enim Deus perturbata mente commotusque puniturus est peccatores, cum sit incommutabilis, sicut ait ad Moysen: *Ego sum qui sum*, non solum sempiternus, verum etiam æternaliter mitis. Deinde ista de Deo anthropopathos dici intelligamus, non proprie secundum inconvertibilem substantiam ejus, sed translatis C nominibus passibilis creaturæ ad creaturam non conditam, nec creatam, sed potius omnium conditricem.

Caput XXI.

RESPONDENS *autem Job, dixit: Audite queso sermones meos, & agite pœnitentiam. Sustinete me, ut & ego loquar, & post mea, si videbitur, verba ridete.* Post tanta convicia non est commotus, ut acerbe responderet: quin potius deprecans eos alloquitur, & ait, ut audientiam præbeant sermonibus ejus, quibus perceptis, & cogni- D tis, noverint se super tanta oris sui amaritudine pœnitere debere.

Nunquid contra hominem disputatio mea est, ut merito non debeam contristari? Primum mihi illud est oneri, & valde molestum, atque horribile: quia non cum homine, sed cum Deo mihi caussa loquendi est: cui castificatam justitiam exhibebam, ut mercedem hujus operis repensaret: Ecce nunc tanquam reus criminum omnibus affligor miseriis. Hic dicit se tristari, quia scit Deum nihil injuste operari.

Attendite me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro. Quod sit istud secretum, E ut Deus bonus, & justus erga me taliter operetur: præsertim cum ejus testimonium de me bonum habeam.

Et ego quando recordatus fuero, pertimesco: & concutit carnem meam tremor. Cum enim plagam hanc cogito, quam juste vivens sustineo: Deique judicium, qui neminem insontem affligit, recorder, nimium pertimesco hoc ipsum optime scio, nullus patitur malum aliquod, nisi ipse permiserit. Nemini infert malum, nisi inferre ei ipse justissimum judicarit. Sed hæc Job contigerunt,

gerunt, ut appareret foris hominibus quod intrinsecus erat ante Deum.

Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ: & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non est privata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, ut serviamus ei? Et quid nobis prodest, si oraverimus illum? Et alius ita dixit: *Quare impiorum prosperatur vita?* Et alius dixit: *Quare non respicis ad iniqua agentes?* Respondete mihi, obsecro: Si ego impius, & immemor bonorum operum secundum justitiam, sicut vos affirmatis, hæc patior: quare impii vivunt, & sublevati sunt, confortatique divitiis? Hoc ergo inquam obsecro respondete: Nunquid vos, qui Deum contra me justum defenditis in hoc loco, injustum notatis: ut in me iniquus ultor sit, & in mei similibus clemens. Horum igitur de quibus nunc loquitur, finis & interitus erit mors æterna, & perditio inferorum.

Veruntamen quia non sunt in manu eorum bona sua: consilium impiorum longe sit a me. Quia pro hac gloria sua, & temporario flore, perpetua ignominia coram angelis induentur.

Quotiens lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui. Erunt sicut palea ante faciem venti, & sicut favilla quam turbo dispergit. Lux vero justi semper: quia in hac nocte sæculi, lucerna fidei nullo vento tentationis extinguitur, & illic ad gloriam sempiterni luminis præparatur. Lumen vero peccatoris intra breve tempus vitæ extinguitur. Quoniam transiturus est sicut umbra. Non erit, & veniet impiis, sicut Job ait, inundatio: id est, abundantia tormentorum. Quibusque dolores dividit furoris sui. Procul dubio Deus dolores dividit, dixit, pro hoc quod pœnas unicuique retribuet ut meretur.

Deus servabit filiis illius dolorem patris, & cum reddiderit, tunc sciet. Diabolo servat supplicium gehennarum, ut cum eo illi quos sibi exemplo malitiæ suæ filios fecit, pariter puniantur: quod Deo reddente, pater eorum diabolus tunc sciet, id est, tunc sentiet: quando cum filiis pœnas patietur æternas.

Videbunt oculi ejus interfectionem suam. Sive necem suam, ut alii dixerunt. Duplex enim tormentum est, videre pœnas quas sustineas.

Et de furore omnipotentis bibet. Ipse est calix aureus Domini in manu Babylonis.

Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? Et si numerus mensium ejus dimidietur. De eodem diabolo dicit, de quo Salomon ait: *Impius cum venerit in profundum malorum suorum*, & criminum, desperatione *contemnit*. Jam enim novit se cum suis, qui sunt domus, & regnum ejus, perpetuo esse damnandum: quia nulla est ejus voluntas agendæ pœnitentiæ.

Nunquid Deum docebit quispiam scientiam: qui excelsos judicat? Qui enim de excelsis atque sublimibus potestatibus angelorum habet justum judicium: quemadmodum a quoquam doceri poterit, ut in his quæ supra diximus, possit ejus judicium reprehendi?

Iste moritur robustus, & sanus, dives & felix: viscera ejus plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur. Alius vero moritur in amaritudine animæ suæ absque ullis opibus, & tamen simul in pulvere dormient, & vermes operient eos. Beatorum in hoc mundo, & infelicium in hac vita, communem dicit esse conditionem: Viscera, sive *intestina* ejus, ut alii dixerunt, plena adipe, & medullis ossa illius *irrigantur*. Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus: & tamen simul in pulvere dormient, & vermes operient eos. In hac igitur continentia sermonis hujus iste sensus est: quod in hoc mundo justi, & peccatores indifferenter vivant: sed hæc diversitas commutanda sit in futuro: sicut in illo divite factum est, & in Lazaro paupere.

Certe novi cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas. Ergo recte definio, inquit, quod perspicitis: quia una sit in hoc sæculo, & peccatori moriendi conditio, & sancto. Qui tamen postea disjungendi, ut ad præmium mutentur justi: peccatores vero ad supplicium rapiantur. Vos vero in insontem iniquam datis sententiam.

Et dicitis enim. Insultantes mihi, meque irridentes.

Ubi est domus principis, & ubi tabernacula impiorum? Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis. Quia ergo de me ita sentitis, quod damnationis meæ nunc tempus advenerit: non ita est, quod definisse vos arbitramini: quia hæc Dei castigatio temporalis, non est æterna damnatio.

Quia in diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducetur. Qui & ad diem furoris Dei ducendus est, ut excipiat sententiam mortis æternæ. Sancti enim omnes recte viatores esse dicuntur, quia ut expediti, & alacres prætereundo sæculum, virili animo calcant terram suam, festinanter proficiscentes ad beatam patriam, mundi hujus iter laboriosum conficiunt. Hi ergo qui ascendunt ad populum peregrinum, sive succinctum, fidei utique cingulo, contra dissolutionem vitiorum lumbos mentis accingunt.

Quis arguet coram eos vias ejus, & quæ fecit, quis reddet illi? Videtur mihi, quod Job proprie de diabolo dixerit: licet & generaliter de omnibus peccatoribus possit intelligi. Quis hominum eum potest arguere

re propter viam ejus pollutissimam, per quam totum mundum ingredi fecit: aut reddere ei quæ creatura poterit quod meretur, nisi ille solus agnus Dei, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.

Ipse ad sepulchra ducetur. Ad mortem videlicet tormentorum: quam ipse hominibus intulit in Adam, & ipse ad inferos ducendus, ut illic perpetuo puniatur.

Et in congerie mortuorum vigilabit. Et licet damnandus ad pœnas ducendus sit: sed tamen morte hominum gaudens, ad intuendum eorumdem mortuorum congeriem, omni alacritatis instantia, in eorum interitu vigilabit: vel certe semper vivet in mortem.

Dulcis fuit glaries Cocyti. Cocytum inferorum fluvium esse dicunt. Nos autem in Scripturis divinis eumdem fluvium, torrentem, puteum, caminum, ignem æternum, lacum, stagnum, legimus & gehennam. Glarearum vero nomine ipsa officia tartarorum, ministros quoque pœnarum infernalium vinctos tormentorum locis existimo significari, & dictum est quasi per ironiam, eo quod desiderent illum, atque exoptent habitatores inferorum, ut puniat, & de ejus interitu saturentur. Vel certe dulcis fuit morti: quia tam innumeros ei populos acquisivit.

Et post se omnem hominem trahet. Qui imitatione exemplum ejus sequuntur: sive post se omnem hominem trahit, secundum prævaricationem humani generis in Adam.

Et ante se innumerabiles. Quod deceperit, & eos secuturus præmittit ad pœnas.

Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati? In hoc versiculo omnem altercationem disputationis suæ conclusit: amicos suos, quod sine causa contra eum de prædicta ratione decertent, convincit: cum illi diffidunt impios, & peccatores in hoc mundo puniri, inter quos & ipsum condemnant: ille convincit eos, quod vel maxime in sæculo glorientur, qui sunt ad damnationis judicium deducendi.

Caput XXII.

RESPONDENS *autem Eliphaz Themanites, dixit: Nunquid Deo potest comparari homo, etiam cum perfecta fuerit scientia?* In sugillationem igitur Job ista dicuntur: qui sibi omnino arroget hæc se propria cordis sui sapientia loqui.

Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua? Nemo justitia sua, & sanctitate Deum fecit meliorem: quoniam omnis boni fons atque origo, nullius bono eget, secundum Prophetam qui ait: *Quoniam bonorum meorum non eges*.

Nunquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium? Nunquid causa timoris Dei hæc est, ut timeat te Deus? forte ipse potens aliquando efficiaris, & coæqualis factus ipse resistas ei? Quæ risorie potius & subsannantis sensu dicuntur.

Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas? Non hoc timens arguit te, inquit, gravis plagæ hujus correptionibus: sed propter omnia mala tua, quibus studium commodabas. Quia ergo principale malum, id est, malitia Job plurimam habeat, unde cætera mala quasi in botro dependeant: subjungit, & narrat ea quasi per species singulas, ita dicens.

Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine caussa. Hoc dicit, quod violenter, & hostili more aliena rapuerit, vel pignora injuste extorserit: sive per speciem justitiæ per calumniam exspoliaverit: & prægravatur crimen, quando dicitur, quod nec sanguini suo pepercerit.

Et nudos spoliasti vestibus. Quid vestitis feceris, hic apparet: apud quem nec nudus a rapinis tuis immunis inventus est.

Aquam lasso non dedisti. Manifestum est.

Et esurienti subtraxisti panem. Grave est non dedisse, gravius subtraxisse. Grande ergo peccatum, hospitalitatem in necessitate positis non præbere. Aperte autem Eliphaz mentitum scimus, cum inferius legamus quanta bona Job fuerit operatus.

In fortitudine brachii tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam. Arguit nihilominus eum tanquam superbum, & tyrannum, qui non justitia, & æquitate regni sui populos regeret: sed truculentis moribus tanquam virtute brachii, duro eos servitutis onere subjugaret, & nullus propter imperium suum durissimum, nisi conditioni suæ subditus viveret.

Viduas dimisisti vacuas. Qui eas destitutas, & tribulationibus affectas, atque humiliatas, ad subveniendum audire noluisti: unamquamque earum vacuam dimisisti: quando id quod a te postulabat, non potuit impetrare.

Et lacertos pupillorum comminuisti. Si quid virium habuerunt, unde sustentari possent, tulisti, & eorum animas vitæ desperatione fregisti, vel non defendendo eos a malis hominibus: virtutem spei eorum, quæ ad te respiciebant, comminuisti, dum eos passus es opprimi.

Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te formido subita. Hoc dicebat Eliphaz, quod ipse beatus Job malæ conscientiæ formidine turbaretur, & eadem formidine sibi subito veniente, usquequaque consternatus consilium patientiæ perdiderit contra adversa.

At putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri. In tanta securitate iniquitatibus potens agebas, ut hæc mala meritorum tuorum reciproca tibi venire non credideris. Quibus tenebris miseriæ utique, & calamitatis, tanquam impetu aquarum inundantium repente depressus es, ut obscurato corde non videas, quod rectum esse patientia perdocet. Multis modis in Scripturis divinis, tenebræ appellantur, peccata, ignorantia, sive

sive tribulatio, vel etiam obscuritas divinorum voluminum, nomine tenebrarum ponitur.

An cogitas quod Deus excelsior cælo sit, & super stellarum verticem sublimetur? Et dicis: Quid enim novit Deus? Et quasi per caliginem judicat. Primum ergo Eliphaz sanctum Job criminatur, quod in Deum asserat ignorantiam cadere, & multa sint in creaturis suis quæ nesciat. Deinde quod judicium ejus affirmet incertum esse & dubium. Et idcirco per caliginem, id est, quasi verisimile quid judicat.

Nubes latibulum ejus: nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat. Idcirco autem hæc omnia quasi ex sensibus beati Job esse confingit: ut eum non solum blasphemum, verum etiam quod ignorantem dicat Deum, locisque eum asserat contineri: quod utique grande sacrilegium est sentire de Deo.

Nunquid semitam sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui? Custodire cupis, pro observare dixit: hoc est, nunquid actus, & vitam perditam consequi concupiscis eorum, qui in diluvio, & Sodomis, & eremo perierunt, vel eorum qui non credunt Deum humana curare.

Qui sublati sunt ante tempus suum. Ut Dathan & Abiron: vel illi qui subita morte perierunt.

Et fluvius subvertit fundamentum eorum. Imminente in se ira Dei, tanquam fluvii impetus, stabilitas præsentis vitæ eorum subversa est: sive quasi fluvius superveniente pressura, fundamentum corporum eorum demolitum est, ut vitæ eorum parietes corruerent.

Qui dicebant Deo: recede a nobis. Propter apostasiam ergo damnati sunt. At non talis est Job, qui dicit, etiam si occidat me, in ipsum sperabo.

Et quasi nihil possit facere omnipotens æstimabant eum, cum ille implesset domos eorum bonis. Non timuerunt ergo impii, ne propter peccatum offensam Dei, & bona quæ ipse præstiterat, vindictam suppliciorum incurrerent.

Quorum sententia procul sit a me. Et sanctum blasphematorum in numero ponit, quem ita ut eosdem detestatur.

Videbunt justi, & lætabuntur. Sive ut alii dixerunt, ridebunt: de abjectione infidelis populi loquitur.

Et innocens subsannabit eos. Quomodo hoc & de sanctis ejus non potest dici? quando vident peccatores justo Dei judicio condemnari: videbunt & lætabuntur. Placet enim illis Dei justitia, sicut & ipsi Deo. Sed Eliphaz cum hic fortassis recte dixerit, male opinatus est, ut beatum Job impiis, & peccatoribus comparet.

Nonne succisa est erectio eorum? Superbia utique illorum & contumacia, supradictis pœnarum exemplis succisa est, & perpetuæ perditioni tradita.

Et reliquias eorum devoravit ignis? Reliquias etiam dixit, extrema quæque peccaminum in die judicii punienda: quia in hoc sæculo, nulla pœna gravissimos peccatores ita ut digni sunt damnat. Sive reliquias posteritatem malorum hominum intelligere possumus: quæ imitando eos tanquam patres eorum reliquiæ appellentur. Sive in bonam partem ponuntur: secundum illud: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*, ut cogitatio hominis ad confessionem pertineat peccatorum: reliquiæ vero sunt ipsius confessionis æterna remuneratio: qua indultis sibi peccatis, velut in die festo spirituali lætitia perfruatur. Possunt reliquiæ & novissima intelligi: juxta illud, *Reliquiæ impiorum peribunt.*

Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos. Hortatur sanctum Job, ut se jam cogitet emendare, & dat consilium non quærenti, ut per patientiam convertatur ad Deum. Et ita post bellum instantis sibi horribilis plagæ, posset habere incolumitatis pacem.

Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones ejus in corde tuo. Sive dictum: id est, audi quæ præcepit, & conserva.

Si reversus fueris ad omnipotentem, ædificaberis. Si te factorum tuorum pœniteat, ædificaberis: id est, quotidie vallatus divina custodia munieris. Dissimulantibus agere pœnitentiam, hoc exemplum egregium proponendum est: necessaria enim hæc cohortatio est, qua possunt peccatores gloriam perditam reparare.

Et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. Si te emendare volueris atque corrigere, tibi ascribet Deus, quod longe facias a te iniquitatem tuam: cum eam a te potius ipse elonget. Sive ipse diabolus iniquitas dicitur: hoc est, qui te in potestatem accipit, elongabitur.

Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. Hoc dicit: quod si propitiatio eum Dei in præceptis ejus firmissimis stabilierit, non terrenis rebus, & carnis voluptatibus operam dabit: sed magis ad fortitudinem virtutum proficiet, per quam possit ad affluentes cælestium divitias pervenire: hoc enim metaphoricos Eliphaz ad sanctum Job dicit: quod si in saxo fortitudinis bonæ conscientiæ tuæ positus fueris, sensus divinæ sapientiæ tibi velut torrens aureus abundabit.

Eritque omnipotens contra hostes tuos. Cum feceris, inquit, voluntatem ejus, habebis eum defensorem tui.

Et argentum coacervabitur tibi. Diximus aurum pro sensu accipi, & argentum pro eloquio justificationis. Ergo & mandata Dei atque judicia, ipsa sunt divina eloquia. Cum ergo conversus, in his fueris meditatione assidua commoratus, intelligentias diversorum sensuum differendo, multiplex & copiose abundans eloquium coacervabitur tibi.

Tunc super omnipotentem deliciis afflues. Deliciis utique spiritualibus supradictis repleberis, cum petitiones cordis tui gratia Sancti Spiritus videris, & in gaudio mentis tuæ senseris adimpleri.

Et elevabis ad Deum faciem tuam. Liberam

ram frontem ad deprecandum Deum attolles: sive jam non ream, neque incurvatam deorsum mala conscientia, eriges ad Deum animam tuam.

Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes. Peccatorum te non potest exaudire, nisi eum prius pro peccatis tuis deprecatus fueris.

Decernes rem, & veniet tibi. Rem duntaxat justam, sanctam, atque honestam, quam a Deo petieris, obtinebis.

Et in viis splendebit lumen. Viæ tuæ actus tui boni erunt, & lumen tibi erit Dei notitia, Deique visitatio, atque protectio, quo actus viarum tuarum correcti illuminentur: ne forte per errorem inscitiæ in montes tenebrosos offendas.

Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinaverit oculos suos, ipse salvabitur. Et Dominus in Evangelio: *Qui se humiliat, exaltabitur*.

Salvabitur innocens, salvabitur autem munditia manuum suarum. Id est gratia bonorum operum, vel nitore. Antiqui ita dixerunt: *Erue innocentem, & salvaberis munditia manuum tuarum*: ubi retributionem videtur sonare, quod ait, erue innocentem: ut salvari possis innocentia manuum tuarum.

Caput XXIII.

RESPONDENS *autem Job ait: Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plaga mea aggravata est super gemitum meum*. Relictis infidelibus amicis, qui me calamitatis hujus miseriam juste pati definiunt, & addunt amaritudini meæ, totum me ad Deum convertam, & dicam ei pro conscientiæ meæ fiducia quæ sequuntur.

Quis mihi tribuat ut cognoscam, & inveniam illum, & veniam usque ad solium ejus? Intellectu se cognoscere Deum dixit: invenire quoque eum operibus bonis, & venire usque ad solium ejus, & futuri scientia, & cogitatione judicii proficiendo accedere usque ad ipsam contemplationem divinæ potestatis: quam utique mundi corde videbunt. Quod cor, multis castificationibus morum, sanctus hic Job purificatum se dicit habuisse.

Ponam coram eo judicium. Judicium, inquit, justitiæ tuæ ponam in conspectu Dei mei, secundum illud: *Ab ipso judicii ejus æquitatem requiram*. Tamen priusquam sit ejus in me finitiva sententia, multas ei proferam increpationes: quia cum ejus noverim singularem justitiam, quare justus patior tormenta, quæ iniquis impiisque potius debentur. Hoc ergo quod sequitur, ait:

Et os meum replebo increpationibus: ut sciam verba quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur mihi. Id est, justi doloris querelis.

Nolo multa fortitudine contendat mecum: nec magnitudinis suæ mole me premat. Proponat æquitatem contra me, & perveniet ad A *victoriam judicium meum*. In mole majestatis ejus, horripilationem intelligamus, non aliquid corporeum: quia Deus spiritus est. Certus sum, inquit, quia istas afflictionum miserias, ipso utique judicante, patebit me nullo peccatorum merito sustinere; hinc ait: Perveniet ad victoriam judicium meum.

Si ad orientem iero, non apparet: si ad occidentem, non intelligam eum: si ad sinistram, quid agam? Non apprehendam eum. Si me vertam ad dexteram: non videbo illum. Ipse vero scit viam meam, & probabit me quasi aurum quod per ignem transit. Dum B partes mundi enumerat, dicit eum habitare ubique totum: sibi tamen omnino esse invisibilem confitetur, eo quod non subjaceat ejus divinitas obtutibus creaturæ. Deus vero omnem viam conversationis ejus, ait, quia optime noverat.

Vestigia ejus secutus est pes meus: viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo non abscondi verba oris ejus. Hoc est, quod custodiri voluit, custodivi.

Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus, & anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. Hoc est, quia inscru- C tabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.

Cumque expleverit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei. Cum jam me quibus voluit tormentis affecerit, & alia adhuc quanta voluerit mihi infligere poterit, quem insensibilia sicut sensibilia contremiscunt.

Et idcirco a facie ejus turbatus sum. Mente scilicet sentiens, & ex parte intelligens.

Et considerans eum timore solicitor. Id est, horripilatione majestatem illius pertimesco.

D *Deus mollivit cor meum, & omnipotens conturbavit me*. Cor resolutum a pavore nimio, & timore, hoc loco dictum noverimus, non quod a duritia incredulitatis ad fidem suscipiendam mollitum sit, cum magis ipse Job per fidem fortis in Deum manserit. Unde sequitur: Omnipotens conturbavit me: hoc quod supra.

Non enim perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo. Ipsas calamitatis suæ miserias, tenebras appellavit, quas velut ruinas subito imminentes, sibi dicere voluit, eis tamen insistentibus sibi, ait, desperatione non perii: nec fa- E ciem mentis meæ infidelitas excæcavit, vel negatio Dei.

Caput XXIV.

AB *Omnipotente non sunt abscondita tempora; qui autem noverunt eum, ignorant dies illius*. Illi vero qui sentiunt, & intelligunt Deum, dies æternitatis ejus ignorant. In qua æternitate nec tempora, nec dies, qui in temporibus sunt, inveniuntur, ubi unus æternus est dies. Sive ali-

aliter: Omnia novit quæ nunc loquor, vel patior.

Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos. Id est, transtulerunt greges, & comederunt. Manifestum est secundum literam. Videamus nunc secundum mysticum intellectum quid significet. Terminos transferentes: id est, statuta Ecclesiæ convellentes, hæreticos esse significavit, qui novitate doctrinæ perversæ, Evangelicæ legis, & Apostolorum terminos præfinitos excedunt, & ita deceptoria persuasione diripiunt greges dominicos: id est, populos credentes in Christum.

Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bovem viduæ. Subverterunt pauperum viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ. Pupilli quidem sunt teneri, vel infantes in fide, vel qui Deum Patrem non habent, ut ab eo contra adversarios defendantur. Quorum animum, velut jumentum forte ac necessarium, ad Deum in se per fidem portandum, hæretici prædonum more ab eis abigunt, dum eos fallaciis suis, virtute animi spoliant: sive gentilem sensum, immundi utique animalis nomine dictum, ab eis quidem auferunt, dum sub prætextu veræ religionis, eos in perfidiam ducunt. Viduæ etiam illæ sunt animæ, quæ virum, Deum suum, & Dominum amiserunt: a quibus hæretici pro pignore perfidiæ, utique confessionis, per quam falsis eorum adinventionibus initiantur, & debitores eorum efficiuntur, sanctarum virtutum munditiam, & utilia animi opera auferre conantur. Pauperes quoque in hoc loco illi intelligendi sunt, qui testimonio fidei destituti sunt. Alii sunt divites in fide: horum religionis viam, qua ad Deum redire poterant, suis erroribus hæretici subverterunt. Mansuetos autem hic illos esse sentiamus, qui constantiam inimicis suis non habent resistendi, & propter ignaviam animi sui facile seducuntur. Hi ergo multis errorum dogmatibus, & diversis errorum superstitionibus opprimuntur. In bonam vero partem viduæ sunt, qui se mortificant cum vitiis: pauperes, Apostoli sunt. De isto numero hæretici auferre conantur: dum pauperes sanctorum aliquos persuadent, vel mansuetos circumveniunt, qui eis resistere non possunt, sed & patienter pro simplicitate audiunt: illi vero eos nituntur extinguere.

Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantesque ad prædam præparant panem liberis. Violenti sunt, qui publice rapiunt. Prædones & latrunculi sunt, qui de occultis ad opera sua exeunt, utique non Dei.

Agrum non suum demetunt, & vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant. Ager, sive vinea: uniuscujusque hominis quidam modus vitæ est, quæ ab unoquoque colitur, quando sordes & quidam frutices vitiorum mundantur, vel etiam exstirpantur. Quia ergo hujus culturæ diligentia minime prodest, quando omne bonum naturæ non ad
A fidem refertur: quia *justus ex fide vivit*; prædicti idolorum cultores opprimentes fidelium, quamvis honeste viventium, corda eos velut quadam ratione seductionis in errorem inducunt: dum quasi agrum eorum, sive vineam, dissipando fruges eorum, violenter abripiunt.

Nudos etiam dimittunt homines, indumenta tollentes. Dum eos operibus bonis exspoliant.

Quibus non est operimentum in frigore. Illos utique exspoliant, qui caritatis Dei non
B habent vestimentum, & idcirco in infidelitate algent: quia spiritus ferventis tunica indui non merentur.

Quos imbres montium rigant. Hos ergo per miseriam destitutos domibus suis dicit: quandoquidem eos montium cavernis, & umbraculis operiet, & quanta sit eis in ipsis montibus necessitas commorandi, describit. Quos imbres montium rigant, id est, aquis de ipsis montibus copiose fluentibus mundantur. Quos imbres montium rigant. Non imbribus cæli rigantur, sed montium extollentium se adversum scientiam Dei, quæ
C de cælo est.

Et non habentes velamen, amplexantur lapides. Manifestius alii dixerunt: *qui cum tegmen non habeant, petra adoperiuntur.* Et non habentes velamen, amplexantur lapides. Hoc est, sine vestimento virtutum peccatis suis, & erroribus delectantur.

Vim fecerunt deprædantes pupillos. Ubi intelligitur quid habentibus fecerint, quandoquidem facultate tenuissimis non fuerunt miserti. Vim fecerunt deprædantes pupillos. Illos etiam qui notitiam aliquam secundum naturæ bonum habent, quam defendere
D non poterant; fragili animo & puerili viventes: suasionibus pravis, vim inferentes prædati sunt.

Et vulgum pauperem spoliaverint. Multitudinem quoque populi vilem actibus, & inscitia pauperem: si quid fortassis habebat justitiæ, aut etiam innocentiæ naturalis, dum in majus erroris sui malum pertrahunt, prædictis bonis spoliaverunt.

Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas. Nudis fide, Deique custodia destitutis, vestimenta quoque spei, & caritatis divinæ, cæterarumque
E virtutum excubias non habentibus, quibus animæ exornantur: etiam spicas, in quibus divinam notitiam adopertam habent, abstulerunt: ne esurientes scientiam Dei, quandoque retecto velamine, possent ipsam nudam veritatem tanquam panem alimoniæ vitalis accipere.

Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. Hoc malum est magnum, & iniquissimum, ut sub labore, & fructu aliorum alii requiescant, & inebrientur vino eorum, qui collectis vindemiis suis sitiunt. Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt. Sublatis igitur spicis, per figuram intra se divini nominis notitiam continentibus, quando ex eis hi qui habebant eas ple-

plena cogitatione, solidum cibum conficerent: seductores violenti inter bona eorum opera quasi inter acervos gloriantes requiescunt, sibique tribuunt. Si quis gentilium virtutes secutus fuerit naturales, de quibus tanquam seminibus, in se operum acervos constituat: ipsi tamen seducti, calcata virtutum vindemia, & expressa, sitiunt: quia veritatis poculum apud eos, a quibus in errore abstracti sunt, non invenerunt.

De civitatibus fecerunt viros gemere. Non solum, inquit, illos qui sine munimine habitant spoliant, & dominatu duræ superstitionis affligunt; verum etiam & eos qui civitates mentium suarum bonis moribus munitas inhabitant, pugnando errorum arietibus subruunt. Quod & multis philosophis contigisse manifestum est: qui cum magni & clari circa corporum suorum fuerint continentiam, cum gemitu tamen & labore nimio ad veritatis notitiam pervenire non potuerunt.

Et anima vulneratorum clamavit, & Deus inultum abire non patitur. Deus vocem implorantium inultam abire non patitur, quin ultionem tribuat de erroribus: ut dum ad veritatem saucii peccatorum vulneribus convertuntur, convicta falsitas puniatur. Punit enim, quando eorum qui seducti fuerant conversionem destituit. Quod autem ait: Anima vulneratorum: pro consensu ad Deum clamantium intelligamus. Vastatorum autem tribulatio usque ad gemitum civitatem habitantium perveniebat. Vulnerati vero non solum intelligendi sunt: quorum corpora ab aliis transfodiuntur, verum etiam illi quorum animæ hostium timore nimio, velut gladio feriuntur.

Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus: nec reversi sunt per semitas ejus. Dæmones, hæretici, philosophi, sive etiam omnes impii intelligendi sunt, qui contra doctrinam Dei venire conantur, quia mandatum vitæ lux est, quia in natura lumen, lumen est quod per se est: tenebræ vero cæcitas cordis. Et proinde si cæcitas cordis, tenebræ sunt, recte exteriores tenebræ, pœnæ intelliguntur. Ut iniqui de peccatorum suorum tenebris, ad tormentorum tenebras projiciuntur: sic intus & foris Dei sententia consummata coram angelis Dei, induuntur sicut diploide confusione sua. Onagros vero qui commorantur in deserto: paganos quosque errore gentilitatis, qui in deserto veræ religionis sunt, intelligere possumus, eo quod jugo certæ religionis non contineantur. Hi igitur egrediuntur ad opus suum. Egredi namque dicuntur, quando affectus suos per doctrinas pravas in eos quos seducunt ostendunt. Ita enim omni solertia deprædantur vagas errore animas, ut ipsi multitudini perditæ posteritatis suæ, velut alimentum panis lætalis doctrinæ, pertinaciam derelinquant.

Mane primo consurget homicida: interficit A *egenum & pauperem.* Iterum mane dictum est, pro eo quod publice, & clara luce malum committitur, ut sit quasi gloria facinus operantibus, & secundum Sodomitarum exemplum, peccatum suum non absconderunt, sed prædicaverunt. Potuit & de iniquis judicibus hoc dixisse, qui ad hoc maturius surgunt, ut caussam egeni, & pauperis muneribus corrupti prævaricentur. Sive aliter: Hic igitur homicida, recte hæreticus quisque sentitur, ex eorum numero qui animas hominum noxiis, & lætalibus sensibus interficiunt. Quod autem dicit, mane primo consurgit: illud est, B quia cum hi qui cum nuper fide initiati sunt, matutinum habeant, id est, quasi principium sanctam religionem: sive ipsi matutinum effecti sint, cum de tenebris & filiis noctis facti sunt in Domino filii Dei: hi perfidiæ suæ venenum propinare festinant, ut eos decipiant. Sive aliter: Mane, Christus intelligendus est, ad cujus resurrectionem hæreses in Ecclesia esse cæperunt.

Per noctem vero erit quasi fur, Omnes sensus hæreticorum, nocti & tenebris comparandi sunt, quia lumen non habent veritatis. Ipsi etiam sunt adulteri, quia eloquia C Dei casta adulterina interpretatione corrumpunt. Noctem vero ideo dictam puto, quia prævaricatores negotiorum secretum quoddam quasi tempus nocturnum, requirunt, quando munera pro causis prævaricatis accipiunt.

Oculus adulteri observat caliginem, dicens, non me videbit oculus, & operiet vultum suum. Sive ut alii dixerunt: *Et latibulum faciei posuit,* Id est, cordis ejus oculus, oblivione excæcatus est, ut in ejus memoriam non ascenderet, quia omnium cogitationum, & operum humanorum malorum Deus est inspector & cognitor.

D *Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem.* Manifestum est, quod per diem hanc rapinam sua cogitatione disponunt, antequam ad ipsas facinorum tenebras veniant. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, Unusquisque hæreticus in pravitate doctrinæ consistens, non dulci & suavi sermone Evangelii, sicut imber placidus, & sicut ros cum silentio in animas descendit fidelium; sed aspero potius, & ad vulnerandum peracuto domos perfodit animorum. Hoc enim velut in die condixerunt sibi hæretici, ut omnes mortales jaculis doctrinæ noxiæ perfoderent, quando in Ecclesia adE huc, hoc est, in die veritatis positi hæreses facere condixerunt.

Si subito apparuerit aurora; arbitrantur umbram mortis, & sic in tenebris quasi in luce ambulant. Mox ut justitiæ sibi, & honestatis aliunde lumen cæperit apparere, & ingeri conscientiæ suæ malum: jam pœnas mortis se æstimant sustinere: quia justitia & sanctitas, ut ait Scriptura divina, odiosa est iniquo. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & sic in tenebris

nebris quasi in luce ambulant. Si quispiam disputator exciterit, qui contra eos lucem manifestæ veritatis enarret, convicti arbitrantur se incurrisse umbram mortis, & nihilominus in stultitiæ suæ tenebris, velut in luce sapientiæ gloriantur. Potest & diabolus homicida, fur, & adulter intelligi: quia ad decipiendum hominem factus est homicida, ut ait Dominus: *Ille homicida fuit ab initio.* Divinitatem quoque sibi per superbiam arrogando, quam præsumptione animi sui tentavit invadere, velut fur inventus est, qui aliena conatur auferre. Qui etiam virginalem illam, & castam dilectionem Dei amisit, dum adulterinos conatus contra Dei sui, & Domini amorem faciens, propria voluntate quæsivit. Hic igitur mane primo, id est, circa ipsam nativitatem protoplasti hominis, ad seducendum eum per ejus mulierem consurrexit, & eum tanquam egentem consilio, & pauperem, qui experientia minus cautus esset, deceptione insidiosæ persuasionis occidit. Noctem vero peccati ipse sibi operatus est: quando ad divinitatem invadendam, velut fur irrepere voluerat, dicens: *Super sidera cæli ponam thronum meum, & ero similis altissimo:* & exinde cum suis, quos cæli sidera appellavit, nox & tenebræ, princepsque tenebrarum est appellatus. Et recte, quia Domini lumen amiserat. Hic jam in peccatorum suorum tenebris constitutus, vultum malæ conscientiæ suæ obduratione operuit, pœnitentiam non acturus: & idcirco divino lumine privatus, studet atque observat, ut ea quæ tenebris, & caligine sunt digna committat. Unde in his operibus vitam agens, fodiet sibi domos habitationum in inferis, cum illis suis ministris, cum quibus se adversus Deum, & creatorem erigere tentavit. Hi ergo ministri ejus, cum adhuc beati essent in illa æterna felicitate, in die illo utique sempiterno, qui non habet initium neque finem, in hoc sacrilegium tyrannidis sunt cum suo principe collocuti, & putaverunt, quod Deus qui est lux vera, sapiens & intelligibilis, hoc malum contumaciæ eorum impunitum relinqueret, ut non eos de illa beata atque gloriosa sede dejiceret. Et hanc puto dixit, ignoraverunt lucem: quod existimaverunt Deum hoc eis minime facturum, propter quod excæcatis mentibus, æternales tenebræ facti sunt: qui & potestates dicti sunt tenebrarum: id est, hominum peccatorum. Et hinc est quod cum nomen Dei audierint, contremiscunt: quod vocabulo auroræ significari putamus. Cogitatio ergo ejus, id est, diaboli, usque ad sermonem tantum pervenire potuit, non etiam ad effectum: non enim regnavit illic, & sic dejectus est statim, ubi voce prompsit quod cogitaverat, & deorsum præceps actus est. Unde consequens vidit, ut machinamenta cordis sui, quibus contra Deum moliebatur, ad persuadendum cæteris Angelis sit locutus, & ita consentientibus multis, una quodammodo conspiratio fieret contra Deum, ut si ita videretur. Illud tamen immobiliter tenendum, nullo modo in silentio agi militiæ cælestis officia, cum legamus angelicas potestates, ante sedem Domini in laudem gloriæ ejus indefessis vocibus personare, neque ullo modo Apostolus dixisset, *Si linguis hominum loquar & angelorum*, nisi sic essent, & angelorum linguæ sicut hominum: quamvis angelicæ dissimiles sint humanis. Est ergo aliquod atque ipsum valde magnum super diversitate linguarum inter terrigenas, & ministeria superna discrimen. Super qua re nos canonicus liber novi Testamenti, qui Apostolica continet gesta, sufficienter instruxit.

Levis est super faciem aquæ. Quia non sunt de Ecclesia magna, id est, populo gravi & sancto, qui granis fecundi & optimi tritici comparatur, & qui in horreo æternarum mansionum condendus est, velut levis palea nihilque ponderis habens, quod ad prægravandos virtutum pertinet fructus, aquæ elemento supernatabit: ut auræ flatu tenui rapiatur. Sive aliter: Aquæ istæ hominum amantium hoc sæculum habent figuram: eo quod semper ad inferiora sint proclives, multum secum limi trahentes, qui in chaos inferorum, turbido pondere deponatur.

Maledicta sit pars ejus in terra. Qui enim in terra sanctorum, quæ est viventium terra, non fuerit, maledictus erit: sive maledicta sit pars ejus in terra, id est, in massa generis humani.

Nec ambulet per viam vinearum. Id est, ita maledicta sit ejus conversatio in terra hac, ut plebes Dei, sive animas sanctas, quæ sicut vineæ plenæ fructibus fructiferæ sunt, non imitetur: neque per ipsas ambulet. Has enim vineas doctores tanquam cultores, doctrinis velut ligonibus colunt, ut vinum operum bonorum vindemient, quod in fide, id est, torculari Ecclesiæ pondere tribulationis expressum, flagrans per gratiam Christi, odore suavissimo cum virtute meritorum in apothecas domorum cælestium recondatur.

Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. Quasi duas gehennas sanctus Job dicere mihi videtur, ignis & frigoris, per quas diabolus, hæreticus, & homo impius commutetur. Forte in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet illis, qui in ea torquebuntur, ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium, & pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calor fit, ut quasi de loco ad locum transitus æstiment. Et fortassis inde Dominus ait in Evangelio: *Mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur. Ubi & similitudinem quamdam ex nostris corporibus possumus invenire: in quibus rufi abundantia, quod est calidissimum, in typicis mo-

motibus intolerabilis rigor præcedit ignem febrium ardentissimum secuturum, & dicuntur a medicis hæc duo quæ sibi contraria dignoscuntur, ex una fellis materia in homine procreari.

Et usque ad inferos peccatum illius. Peccatum impii & iniqui tam magnum est, & tam grave, ut eum deprimat ad infernum tanquam plumbum in aqua validissima.

Obliviscatur ejus misericordia. Id est, qui non solum misericors, sed & misericordia dicitur: quia misericors a misericordia, & ideo quasi prototypon nomen, majus est, quam deductio nuncupata. Quicumque ergo sanctorum potest dici misericors, verax, & justus: nemo tamen eorum recte dicitur misericordia, & veritas, & justitia.

Dulcedo illius vermes. Per antiphrasim dictum, quod est, scatens vermibus moriatur. Et in Evangelio: *Vermis eorum non morietur.* Talis igitur dulcedo erit iniquis, & odientibus Deum.

Non sit in recordatione. Id est, ad veniam misericordiæ non perveniat, quod diabolo, & suis hæreticis & impiis futurum, de Scripturis sanctis ita didicimus.

Sed conteratur quasi lignum infructuosum. Secundum illud: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Vel lignum, peccatum intelligamus quod per lignum accidit: per quod lignum diabolus addidit ad cumulum criminis, quod adversum Deum rebellis extiterit, ut & hominem præcipitaret in mortem: unde jam & in æternum interitum condemnatus est: propter quod ipse diabolus lignum insanabile, & infructuosum potest dici: quia nunquam erit pœnitentiæ medicatione sanandus. De ligno autem vitæ, id est cruce, vel de Christo dicitur: *Secundum dies ligni, erunt dies populi mei.*

Pavit enim sterilem. Id est, nutrivit & fovit animas steriles, & infructuosas virtutibus.

Et quæ non parit. Eas quoque animas assensionis suæ delectationibus pavit, quæ cum possint de utero cordis bona parturire, noluerunt, sicut de hujusmodi ait David: *Noluit intelligere, ut bene ageret.*

Et viduæ bene non fecit. Viduam, animam sanctitatis viribus destitutam, quæ Deum virum habuerat, cum exhortatione noluit consolari, ut id ageret, quemadmodum posset reverti ad virum suum priorem.

Detraxit fortes in fortitudine sua. Alii dixerunt. *Et in ira evertit infirmos:* id est, fortes atque virtutum viros prostravit & detraxit.

Et cum steterit, non credet vitæ suæ. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbia: oculi autem ejus sunt in viis illius. Et cum in prosperis sit, nec sic quoque mordente conscientia putat, quod eadem felicitate perpetue potiatur, cum hujusmodi pertinacis, & duri animi sit, credens quod in illa vita sua tam perdita stare possit.

Elevati sunt ad modicum, & non subsi-

A *stent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur.* Ad modicum autem dicitur, pro brevitate vitæ præsentis, in qua pro tempore exaltantur iniqui. Auferentur sicut omnia, id est, sicut illa quæcumque sunt partis adversæ, sive cum in fine sæculi ablata fuerint omnia temporalia.

Et sicut summitates spicarum conterentur. Quemadmodum enim summitates spicarum, res utique nimium fragiles, tanta facilitate comminuuntur, ut ad nihilum deducantur: ita & hi de quibus locutus sum ut pulvis tenuissimus, sive ut favillæ lanugo erunt ante faciem Dei, cum fuerint

B contumelia confusionis attriti.

Quod si non est ita: quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea? Quis enim ex vobis arguere me poterit: quia non ita sit futurum ut dixi: meque falsitatis convincere, qui asseritis quod omnia in hoc tempore reddat Deus peccatoribus quæ merentur, quod in meam potius sugillationem de studio contentionis ingeritis.

Caput XXV.

RESPONDENS *autem Baldad Suites,*

C *dixit: Potestas & terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Nunquid est numerus militum ejus?* Convictus Baldad a beato Job dicente, in futuro magis Dei esse judicium, ad hæc se convertit ut diceret, apud eum est potestas & terror, id est, non jam exercet judicium, sed apud se repositum tenet ac reservat in posterum. Ipse tamen facit perpetuæ pacis concordiam in sublimibus, id est, angelis, sive hominibus sanctis suis, custodiendo eos, ne per aliquem lapsum peccati inimicitias offensæ cælestis incurrant.

D *Et super quem non surget lumen illius?* Ipse enim illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Nunquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Manifestum est, quod inopia respondendi, eadem quæ dixerant, frequentius repetant.

Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus? Sub nomine lunæ, sive stellarum, angelos & supernas potestates intelligere possumus, qui ad comparationem divinæ reverentiæ, immundi & tenebræ possunt videri: ex eo

E utique, quoniam natura conditæ creaturæ, licet non peccent: capaces tamen peccati sunt, ut apparuit in aliis angelis ejusdem naturæ peccantibus. Sed post eos, nullum angelorum peccasse, credendum est, quia omne liberum suum arbitrium in solius Dei caritatem verterunt: sicque immobiles facti sunt, persistentes in veritate, in qua prædictus angelus cum suis stare noluit. Proinde angelorum voluntas per amorem Dei facta est inconverti-

vertibilis, quæ in Deo eſt per naturam. Ideo illi ſoli incorrupto honor, & gloria. Poteſt & de his elementis dicere, quod ideo immunda dicantur, quia non ſemper luceant, vel quod corpora tantum illuminent, & non mentes, ſicut Deus, qui utrumque facere conſuevit.

Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Si enim angeli, inquit, & cælorum etiam corpora ad comparationem Dei, immunda eſſe dicuntur, quid putas, homo exiſtimandus eſt, cum ſit ipſe putredo: filius quoque hominis vermis, ex eadem utique naſcens corruptione qua vermis?

Caput XXVI.

RESPONDENS *autem Job, dixit: Cujus adjutor es? nunquid imbecillis, & ſuſtentas brachium ejus qui non eſt fortis. Cui dediſti conſilium? Forſitan illi qui non habet ſapientiam, & prudentiam tuam oſtendiſti plurimam. Quem docere voluiſti? Nonne eum qui fecit ſpiramentum?* Videns Deo injuriam fieri, juſta indignatione commotus, in ipſo initio ſermonis ſui Baldad Suiten durioribus arguit verbis, eo quod ita loqueretur, tanquam ſi Deus infirmus ac non habens ullam brachii fortitudinem, ejus egeret auxilio. Advertens igitur quia minor eſt participatio ad totum: gutta ſtillæ, perenni fonte: ſcintilla latens in cinere, igni divino, quo omnia concaleſcunt: lucerna corporis, ſoli juſtitiæ: teſta, figulo: anima, Deo: unde mirans Job loquitur, quare auſus fuerit, ut eum a quo illi eſt eſſe, docere voluerit.

Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis. Gigantes autem appellat Scriptura divina homines ſuperbos, rebelles, & contumaces. Diabolus quoque, & ſui, propter ſuperbiam tranſlato nomine, gigantes nuncupantur. Quod autem ait, ſub aquis gigantes gemere: ita, inquit, velut ſi dixiſſet, ſub terra: id eſt, in inferioribus terræ: ubi inferi eſſe perhibentur, unde & ipſi inferi nominati ſunt. Aquæ enim ejus naturæ ſunt, ut ſine terra eſſe non poſſint. Ecce gigantes gemunt ſub aquis. Qui gemitus utique de doloribus, & ſqualore tartareæ habitationis eis naſcebantur.

Nullus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni. Hoc dicit, quod ſcientiam Dei nihil latere poſſit. Et quod perditio, qui diabolus nobis non abſurde ſentitur, ſe non prævaleat ab omnipotentia ejus abſcondere.

Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. Hoc ſic intelligendum eſt: ſive quod terra ex nihilo facta ſit, ſive nihil infra terram ſit, quo terra ſuſtineatur, cum ipſa univerſa ſuſtineat, & ipſa innumerabiliter Dei virtute libretur, quia in ipſo ſunt univerſa, & ab illo omnia continentur. De quo Apoſtolus dicit: *Portans omnia virtutis ſuæ*

A *verbo.* Et quia aliquando in Scripturis per figuram Aquilo ventus, diabolus eſſe ſignificatur: ſiquidem a Salomone Aquilo durus ventus dicitur: nomine autem dexter vocatur. A ſuis quippe dexter quidem dicitur, ſed totus ſiniſtri operis auctor eſt. Hic igitur ſuper vacuum dilatatur, id eſt, ſuper frigidos fide atque incredulos, quod eſt ſuper inanes vera religione, & vacuos; atque ut eis velut rex dominetur, ſuperextenditur. Rurſum illi ipſi increduli, quos ſanctus Job terræ nomine appellavit: ſuper diabolum, qui a Deo nihil factus eſt, appenduntur, ut incerti ſem-
B per ſint, & imitentur caput ſuum membra, ut tanquam caput quod nihil dictum eſt eſſe, ſuper vacuum & nihilum appenduntur.

Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum. Per has nubes in altitudine ipſa ſpatioſi aeris colligantur aquæ, ſicut & alio loco de Deo ita legimus: *Cribrans aquas de nubibus ſuis.* Hoc igitur modo ligatæ dicuntur, quoniam non ſimul effunduntur in terram, ſicut in diluvio factum legimus. Spiritualis autem iſte eſt intellectus, ut nubes ſanctos doctores interpretemur Eccleſiæ, qui aquas Evange-
C lii portant populis effundendas, & gubernandas a Spiritu Sancto deferunt: ut irrigentur terræ populorum: & de hac cæleſti pluvia, virtutum fruges ſpirituali operatione multiplicentur. Quas aquas de ſuperna abundantia defluentes, ligat Deus in nubibus ſuis: ut unicuique ſecundum capacitatem cordis ſui, tantum doctrinæ, tanquam aquam effundat, quantum ſuſcipientis poſſibilitas patitur: ne ſimul fortaſſis effuſæ, obſint cordibus, minus valentibus abundantiorem ſuſcipere doctrinam.

Qui tenet vultum ſolii ſui. Sententiam judicii ſui reſervat in poſterum. Juſtitiæ ſuæ,
D & pietatis ſedem in omni creatura ſua, veritatis gloria reſplendentem Deus tenere dicitur, quod eſt manifeſtationem ſecretorum judiciorum ſuorum obvallare atque abſcondere, ut Evangelium Chriſti in his, qui pereunt.

Et expandit ſuper illud nebulam ſuam. Secundum illud quod Dominus ait diſcipulis in Evangelio: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum.* In obtectionem quoque divinæ cuſtodiæ ſuæ, expandit ſuper ipſum bonum nuncium Evangelii, in nubem defenſionis ſuæ, ut nullus poſſet ei quamvis acerrimus adverſarius prævalere: de qua A-
E poſtolus ait: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt.*

Terminum circumdedit aquis: uſque dum finiantur lux & tenebræ. Sub nomine aquarum [illegible], quod eſt a parte ad totum, mundi finem mihi videtur dixiſſe, quia noctis ac diei viciſſitudo præteritura ſit. Sive de impiorum populis, vel de ſanctorum tribulationibus, quæ aquarum nomine in Scripturis ſæpe dicuntur. Hæ igitur aquæ a Deo terminum acceperunt, ſive

sive ut semper iniqui, & peccatores sint, sive ut non sinat fidelis Deus tribulationes pati sanctos suos supra quam sustinere possunt. Hæc ergo fient donec prosperitas, & iniquitas transeat impiorum, quæ hoc loco lucis & tenebrarum nomine significata sunt.

Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus. Stabilitatem ergo solummodo permanentem in natura angelorum, columnarum nomine sentiamus, quia non solum immobiliter in sanctitate perseverantes sunt: sed etiam æternæ beatitudinis gloria speciosi. Nam de futura immobilitate hominum, ita ait Filius Dei: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Sed & ipsa Ecclesia, quæ est sanctorum omnium congregatio, pro æterna sibi in Domino stabilitate, columna & fundamentum dicitur veritatis. Potest & de sanctis angelis ita intelligi: ut pro caritatis suæ ac dilectionis intuitu, columnæ dicantur, eo quod pro salute hominum curam gerant, pro quibus sunt pio affectu soliciti, quod eis quasi ad pondus cogitationum accedere videtur. Et secundum tropicos intellectus, cæli nomine significari Ecclesiam noverimus, in qua cælorum mysteria celebrantur. Hujus itaque cæli, id est Ecclesiæ, columnæ sunt Apostoli, & cæteri qui gratia simili sunt, qui portant ac sustinent diversarum persecutionum ingruentia sibi pericula. Et animæ hominum aliquando cæli intelliguntur. Harum animarum quas per metaphoram cælos diximus: columnæ sunt cogitationes suæ: ipsis quippe anima sustinetur, & regitur: & ne ærugine peccati nutet ac titubet, consilii stabilitate firmatur. Quia hoc sæpius contingit humanæ fragilitati, ut ubi cautio minor intuentium est, impulsu peccati columnæ, id est, bonæ cogitationes in parte altera defigantur. Et idcirco tremunt ac pavent ad nutum minantis Dei: suum horrendum judicium prædicantis. Non enim cogitationes animæ istæ sunt propriæ, tanquam sibi natura inessent, quæ utique in natura existente sunt, & naturæ existentis ministerium, sine quibus natura rationalis non est: quoniam ut dixi, ipsæ per se non sunt, sed motus invisibiles sunt subsistentis naturæ.

In fortitudine illius repente maria congregata sunt. Quod in principio Genesis factum legimus.

Et prudentia ejus percussit superbum. Cui dubium est, quin principaliter diabolus sit hic superbus: qui tunc primum a Deo percussus est, quando eum de sede illa cælorum beata atque sublimi deposuit, de qua Propheta ait: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Spiritualiter, recte maria hæc, Judæorum, & nationum populos esse sentimus, quibus dominaturum verum Salomonem, David Propheta ita pronunciat, dicens: *Et dominabitur a mari usque ad mare.* De mari enim, id est, de gente Judæorum cæpit

A Evangelium Christi, quia de Sion exiit lex, & pervenit ad mare gentium. Hucusque ergo hæc maria populorum fortitudine ac virtute resurrectionis Christi, Apostolorum Evangelistarumque ministerio cæterorumque prædicta, repente in unum Ecclesiæ corpus congregata, atque in unam copulam fidei sunt Christi caritate connexa.

Spiritus ejus ornavit cælos. Legimus in principio Geneseos, quarto die a Deo stellas positas esse in cælo, aut in firmamento. Spiritu etiam sancto, rationabiles cælos ornavit: quos Apostolos, &
B Apostolicos viros intelligimus: qui multis Scripturarum locis, cælorum nuncupationem consequuntur, secundum illud Prophetæ: *Operuit cælos virtus ejus, & prudentia ejus percussit superbum.* Christus Dei virtus, & Dei sapientia percussit superbum diabolum. Hi ergo sancti, a Spiritu Sancto ita distincti sunt gratiarum donis, tanquam sidereis luminaribus.

Et obstetricante manu ejus, adductus est coluber tortuosus. Sancti ergo adornati verbo Dei, tanquam semen populis spargunt. Unde a timore Domini in utero spiritum salutis conceperunt, & ita manus, &
C sapientia Patris, Jesus Christus, animabus multiplici virtute fecundis, dignatione sua a sancto Job astare perhibetur, ut parturientibus filios venturi sæculi, obsequium quoddam adhibeat suæ pietatis, easque in persecutionem doloribus positas consoletur: ministerio quoque suo invisibiliter intrinsecus operante, adjuvet parturientes. Quia sine illo, nullus eos bonorum operum, quæ filiorum nomine superius diximus, subsequetur effectus. Ipso igitur caritate misericordiæ suæ, qua nos multum dilexit, per hoc ministerium observante, & pietate ejus obstetricante, ut
D animæ sanctæ hujusmodi fœtus edant, educitur ab eis, & de cordibus earum excluditur ille, in quo nihil est rectum, coluber tortuosus.

Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus. Hæ sunt viæ Domini, de quibus ipse Salvator per Salomonem ait, cum de sua nativitate prædixit: *Dominus creavit me in principio viarum suarum in opera sua.* Creatus est ergo ipse Dominus Jesus Christus per Deum patrem, ex Maria virgine, ad ostendendas, & manifestandas mandatorum vias, a quibus opus Dei, id est, homo aberraverat.

E *Et cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus.* Parvam stillam, hominem assumptum intelligamus, qui in psalmo Hermonim mons modicus appellatur. Et in Daniele lapis excisus, & fasciculus guttæ in Cantico Canticorum.

Quis poterit tonitrum magnitudinis illius intueri? Hoc dicit: si assumptio formæ servi, pene ineffabilibus mysteriis continetur, & ad comparationem assumentis Dei stilla permodica est: quanto magis quisque non poterit tonitrum magnitudinis intueri:

tueri: id est, ipsam divinitatem, quæ ideo tonitrui nomine dicta est: quia cum de excelso fama nominis ejus in Christo Jesu Filio suo terris insonuit, & hominibus hoc fragore terribili innotuit: nemo tamen eorum poterit totam divinitatis ejus magnitudinem intelligentia contueri: id est, illud, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.*

Caput XXVII.

ADDIDIT *quoque Job, assumens parabolam suam, & dixit: Vivit Deus, qui abstulit judicium meum, & omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam.* Dum eum innocentem pœnas iniquorum pati permittit: amaritudinem quoque animæ ejus miseria præsenti replevit. Vivit Deus qui abstulit judicium meum. Secundum formam servi quam assumpsit, judicium voluntatis humanæ: & ex persona assumpti hominis dictum est: quo orans dicebat ad Patrem: Mi *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Et ideo judicium meum dixit, quia in se humani generis infirmitatem, in veritate suscepti hominis demonstrabat. Et omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Amarum erat poculum mortis, ad quod bibendum Salvator noster advenerat: de ipsius namque calicis amaritudine erat, quod ait discipulis suis: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Verbum autem adduxit, secundum Apostolum intelligendum est: qui de Deo Patre ita ait: *Qui proprio Filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim nolens traditus est in mortem.* Alio loco de Salvatore idem Apostolus dicit: *Qui se tradidit pro peccatis nostris.*

Quia donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendacium. Absit a me justos vos esse judicem. Huc & illud pertinet quod de Domino in Isaia scribitur: *Quiesce ab homine, cujus spiritus in naribus ejus, quia excelsus reputatus est ipse.* Donec autem adverbium, secundum hunc intellectum quo de Salvatore nostro seriem intelligentiæ hujus texuimus, non ita ut sonat dictum existimemus, tanquam dixerit, quoadusque est halitus vitæ hujus in me: id est, antequam moriar; sed donec, pro semper atque perpetuo hoc loco dictum esse noverimus. Sicut ait ipse Dominus ad populum per Prophetam: *Ego sum, ait Dominus, & donec senescatis ego sum.* Non enim post senectutem hominum Deus non erit, cum eisdem potius senescentibus, Deus perpetuo maneat. Ad illud autem quod Psalmista ait: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum;* quid dicimus? quod posteaquam inimici subjecti fuerint, Christus non sessurus sit ad dexteram Dei Patris? & ubi erit illud quod ait Angelus: *Et regni ejus non erit finis?* Propter quod donec, in talibus locis, ut dixi, pro perpetuo est intelligendum. Nec non & illud quo de Joseph, & beata Maria Evangelista ait, *Non cognoscebat donec peperit filium.* Quis enim est super venerandæ beatæ Mariæ virginitate ita blasphemus, ut hoc saltem audeat cogitare, ut post Deum Salvatorem, filium suum, illa virum cognoverit? Proinde secundum veritatem fidei Catholicæ, donec & hic sicut supra dictum est, pro semper intelligamus. Ait ergo Dominus Jesus, quia semper halitus divinitatis in me est, quia secundum id quod homo sum, & in Deo conditus sum & creatus: habeo in me spiritum Patris mei, meumque substantialiter: sequitur ergo ita dicens: Donec deficiam non recedam ab innocentia mea. Quia ergo innocentiam non morum industria acquisivi, sed in ea ut natus sum, ita sum justus, & innocens.

Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Ego enim etiam si in his cruciatibus moriar, non recedam ab innocentia mea, quam vos quasi blasphemum in eis me asseritis perdidisse.

Justificationem meam quam cœpi tenere non deseram. Potuit hoc Salvator dicere, ut homo in Deum assumptus, cujus initium est secundum carnem ex virgine Maria: peccatum autem hominis, nec nascendo habuit, nec operando contraxit: & ideo solus veraciter dicit:

Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sicut impius, inimicus meus, & adversarius meus, quasi iniquus. Hoc loco omnis vita, præsens vita intelligenda est, quo tempore hæc dicebat: tanquam si diceret: Tota nunc conversatio mea irreprehensibilis est. Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea: id est, male suadentibus, ut & vos facitis ad blasphemiam hortantibus non consensi: quod & uxor ut facerem, suadebat. Non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sicut impius inimicus meus, & adversarius meus quasi iniquus. Non enim voto maledicit, sed prophetando prædicit, & secundum meritum loquitur hominum peccatorum: prædicens quid unusquisque permanens in peccatis recepturus ab eo sit. Nunc ad eum locum revertamur:

Quæ est enim spes hypocrytæ si avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus? Hypocryta, fictus in amicitia, vel dolosus intelligitur. Quantam vos cupiditatem, & quasi avaritiæ sitim patimini, inquit, in interitu meo, ut me votis jam in tartarum rapiatis? Super hac igitur nefanda voluntate: quam spem veniæ ante Deum habebitis, si non acquiescetis Deo, ut vos in hac vita emendare curetis.

Nunquid Deus audiet clamorem ejus: cum venerit super eum angustia. In tempore itaque retributionis, quando impio ventura est angustia, nullum erit remedium peccatori-

toribus: quia preces eorum Dominus in die ultionis non suscipiet.

Aut poterit in omnipotente delectari, & invocare Deum omni tempore? Is in Deo delectari poterit, & invocare eum, qui sibi bene conscius recte præsumit, & qui se talem exhibuerit, ut quolibet tempore mereatur audiri.

Docebo vos per manum Dei quæ omnipotens habeat, nec abscondam. Ecce vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini? Hæc est pars hominis impii apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient. Illa dicit quæ habet Deus in manu ac potestate, & in secretis judiciis suis.

Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt & nepotes ejus non saturabuntur pane. In filiis & nepotibus reliquam omnem posteritatem malæ generationis signavit. Aliquando in Scripturis, non solum carnali progenie: verum etiam morum similitudine filii appellantur.

Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt. Hoc significare mihi videtur, quod per tempora ad summam egestatem, sive miseriam, proles impii hominis, sive generatio deducenda sit, & viduæ eorum præ nimio instante sibi malo, flere, non poterunt.

Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta. Insatiabilem cupiditatem ac voraginem quamdam inexplebilis hujus impii dicit.

Præparavit quidem, sed justus vestietur illis, & argentum innocens dividet. Et Salomon ait: *Qui amplificat divitias suas cum usuris abundanti*: qui miseretur pauperum congregat eas.

Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum. His verbis hoc ait, quod homo impius frustra laboraverit: quandoquidem, vel cito transeuntibus rebus, vel tineis demolientibus, status illius domus comparatur. Aliter: Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimentum: præparabit quidem, sed justus vestietur illis, & argentum innocens dividet. Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum. Hic ergo impius, quem diabolum esse superius diximus, in prævaricatione Adæ pretiosos quosque & claros viros, ut terram & lutum viles constituit, a quibus etiam virtutes, & bona naturæ velut vestimenta detraxit, & eorum aurum, quo divitiæ mentis significantur. Hi enim divitiis ad imaginem & similitudinem creatoris sui pulchri facti fuerant, & compositi: qui eas auferendo ab eis, ad summam eos indigentiam vilitatemque perduxit. His igitur rebus homines comparantur, in Adam, ut dixi, seducti a diabolo, quæ in creatura mundi viliora videntur. Sed justus Dominus, & Deus noster, auferendo a diabolo prædicta spolia captivorum: ipsos quoque captivos liberans, quos inimicus in interitum præparaverat, Ecclesiam sanctam sibi exhibuit ex eis: mundans eam lavacro

A aquæ in verbo, atque eam sine macula, & ruga efficiens: id est, puram a peccato, & confessione fidei simplicem, pretioso induit vestimento. Argentum etiam quo perspicui quique, ut jam locutus sum, & clari mundi hujus intelliguntur: innocens agnus Dei, & immaculatus dividit, cum credentes in beatam vitam, & æternam gloriam mittit, & incredulos in perditionem mittit. Sive argentum clara & splendens eloquentia sæcularis, a mundo per Christum aufertur: ut credentium facundia, nitenti & puro eloquio, ejus Evangelium vestiatur; quia quemadmodum animæ hominum virtutum
B vestibus induuntur: ita & sensus dum prædicatione Evangelizantium enuntiantur, quodammodo sermonibus vestiuntur. Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos fecit umbraculum. Ut tinea consumit, & demolitur habitaculum suum: ita & diabolus domum perditi populi sui in interitum ejus ædificat: qui habitationem sibi temporariam, & paulatim solubilem præparavit, possessurus æterna supplicia. Hic est ergo ille impius hypocrita qui avare rapit. In non convertente nulla spes veniæ erit, cum etiam super hæc, quadam avaritia sæviente rapiat homines ad interitum. Qui idcirco
C hypocrita dicitur: quia se transfigurat in angelum lucis: cujus etiam clamorem seræ deprecationis non est Dominus auditurus: cum intra pœnarum angustias fuerit coarctatus. In Deo quoque non erit ei de bono conscientiæ aliqua delectationis fiducia: sed nec in laudem confessionis eum poterit provocare, qui in similitudinem innumerabilium filiorum suorum divina sententia Dei gladio ferietur. Nepotes etiam, in quibus illi intelliguntur qui ab illis seducuntur quos prius diabolus ipse deceperat: nepotes, inquam, ejus non saturabuntur pane, visionis Dei, utique famem inopiamque passuri. Quia omnes sancti contemplantes Deum, reficiendi
D ab eo sunt, & pascendi: quo nunc angeli saturantur. Reliquias quoque diaboli, extremam generationem ejus intelligere possumus, quæ similiter, ut ipse diabolus, & filii ac nepotes ejus, cum toto corpore populi sui in interitum sepelientur. Illæ quoque viduæ, id est, animæ quas vitiis suis, & illecebris voluptatum diabolus enervaverat, mollesque reddiderat, ut omnem fortitudinem, & virilitatem amitterent: nulla correctione ac satisfactione deflebunt, ut saltem aliquando resipiscant ad Deum, quem tanquam virum amiserant, vitiis velut adulteris cohærendo.

E *Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet.* Multis modis dives intelligitur in Scripturis divinis. Est dives facultatibus terrenis: sed si confidit in ipsis divitiis, cadet. Hic ergo dives cum in somno mortis fuerit, nihil de suis facultatibus secum feret: quoniam nudus venit nascendo: nudus revertitur in terram moriendo. Hic in resurrectione aperiet oculos suos, & nullum meritum boni operis inveniet. Judæorum quoque populus,

pulus, propter innumerabilia divina beneficia: Prophetarum quoque oracula, sive promissiones plurimas, & Dei ipsius frequens alloquium, dives est dictus. Unde eisdem Judæis ait Dominus in Evangelio: *Væ vobis divitibus*. Superbi quoque non habentes spiritus paupertatem, divites appellantur. Philosophi etiam, habentes facundiam, & scientiam mundialem, divites nuncupantur. Hi cum in die resurrectionis fuerint suscitati, nihil remedii quo salventur invenient. Hæreticus etiam quisque dives dici potest: quoniam multa imo omnia de sanctæ Ecclesiæ remunerationibus se habere præsumit: remissionem peccatorum, significationem spiritus, pignus etiam dominici Corporis, & hæreditatem cum sanctis angelis regni cælestis. Hi ergo omnes sive quia crucis scandalum patiuntur, sive præsumptione cordis sui, ut in errore ambulent, veritatis tramitem reliquerunt. Sive quia obscuratum habentes intellectum, proprium liberæ voluntatis arbitrium: in infidelitate perdurant. Vel quia abominabiles facti sunt: exaltantes cor suum post somnium mortis, in resurrectione aperient oculos suos, & nihil invenient.

Apprehendet eum quasi aqua inopia: nocte opprimet eum tempestas. Subitam egestatem prædictis divitibus, velut aquam superventuram significat, qui miseria, & inopinata sibi angustia, quæ tempestatis nomine dicta est, nocte, id est, repente dum nesciunt opprimentur: juxta illud Apostoli: *Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*.

Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo. Venti nomine, sententiam dixit, qua velut pulvis quisque eorum projicietur a facie terræ. Et ventus hic divinæ sententiæ urens dicitur, eo quod ad gehennæ uredinem ducit, sive compellit.

Emittet super eum, & non parcet. Ventus utique sententiæ Dei, sive ipse Deus per sententiam justitiæ suæ, mittet super eum pœnas: id est, meritum facinorum suorum suscipiet. Non enim parcet, cum reddet ei secundum opera sua.

De manu ejus fugiens fugiet. Et non tenebitur, inquit, manu Dei ut salvetur, de qua velut fugæ modo, veloci lapsu in ruina decidet. Quod autem ait, fugiens fugiet, sive ut alii dixerunt, *fuga fugiet*: pereuntem in perpetuum peccatorem significat, quia nunquam sit revocandus ad vitam, & illic ei pœnitentiæ locus non erit.

Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum, intuens locum ejus. Alii dixerunt, *Planget super eum manibus suis, & trahet eum de loco suo*. Nutibus quibusdam corporum humanorum, censuram indignantis Dei, & contra peccatorem divitem irascentis, hoc sermone describit: ubi & jam quasi sibilans indicet quam atrox illi pœnarum locus reservetur. Ad talem locum & Judas Iscarioth abiit.

Caput XXVIII.

HABET *argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur, & lapis, solutus calore, in æs vertitur*. Videtur mihi quod per ænigma & parabolam, sub horum nominibus metallorum, mores hominum, & virtutes animorum describat, minime ordinis observantiam, Prophetarum more, custodiens. Argenti vero, & auri vocabulum, secundum auctoritatem Scripturarum, verbi eloquium, & sensus animi indicare voluit. Hæc differentes nos ita dicamus: Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est in quo conflatur. Venæ argenti: id est, initium eloquii ab animæ sensibus oritur: sensus vero aureus, rationis ac sapientiæ judicio fabricatur, & ut sit optimus, ab igne divinæ examinationis probatione conflatur. Fortitudo vero, quæ ferri nomine appellatur, est qua terram, id est, carnis nostræ malitiam in nobis tollimus: adversum eam contra nos militantem, & contra legem spiritus conversantem, rigore animi, & virtute repugnemus. Lapidis quoque nomine cordis figuratur durities, quæ per calorem & fervorem fidei resoluta mollescit: ut primum possit in se verba scribentis recipere. Deinde velut in æs quod canorum est, merito sanctitatis proficiens, ad laudes & gratias Deo offerendas, fidei soliditate perveniet.

Tempus posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat. In Scripturis divinis, peccatores homines, dæmones & ignorantiæ atque tribulationes, sive peccata, pro modo, & locis tenebræ nuncupantur.

Lapidem quoque caliginis, & umbram mortis. Hunc lapidem metaphorice diabolum hoc loco intelligere possumus: qui propter errores suos quibus totum mundum involverat, lapis caliginis dictus est. Qui cum fortis & potens sit, per naturam qua est a Deo conditus: confidens per superbiam in virtute sua, & non in Domino, & Deo creatore suo, amiserit sapientiæ lumen, conversus in stultitiam & tenebras, & idcirco lapis caliginis dici potuit: secundum illud, *Stultus in tenebris ambulat*. Sicut ergo lapis caliginis diabolus nominatur: ita & umbra mortis dicitur. Quoniam hi qui se ab eo defendi ac protegi putant: æternis ut ipse diabolus gehennæ ignibus mancipandi sunt.

Dividit torrens a populo peregrinante eos, quos oblitus est pes egentis hominis, & invios. Hoc dicit: invios, id est, errantes, & illos quos oblitus est pes egentis hominis, separabit torrens a populo peregrinante, eo quod oblitus eorum sit gressus. Sive præsens conversatio egentis hominis pedis nomine significata est. Oblitus est dixit, pro eo quod præmissus egens, non est Deum pro hujusmodi deprecatus, cum tamen eleemosyna Deum precetur, id est,

ipſum opus bonum quod homo fecerit, quadam manifeſtatione ſui loquatur ad Deum. A Hoc ergo dicit ſanctus Job, quod invios ſine via veræ religionis viventes, & qui miſericordiam pauperibus, quod eſt Chriſti fratribus non fecerunt, torrens ignis ſeparet, ſimul & a ſanctorum conſortio dividet. Sive hic egenus proprie Salvator noſter intelligitur, qui propter nos egenus, & pauper factus eſt cum dives eſſet. In pede quoque ejus, diſpenſationem, vel aſſumentis hominem, vel mundum ingredientis adverte. Unde Propheta ait: *Exiſti in ſalutem populi tui*. Hi ergo qui diſpenſationem ſalutis ſuæ in Evangelio non receperunt, B oblivioni dati ſunt, qui credere per duritiam propriæ voluntatis noluerunt. Et idcirco invii dicti ſunt, quia Chriſtum, qui eſt via, non receperunt.

Terra de qua oriebatur panis, in loco ſuo, igni ſubverſa eſt. Diverſas res & obſcuras connectit, ut cum ſuperioribus inferiora non hæreant. Proinde mihi videtur, quia hoc loco terram Sodomorum deſcribat, cujus abundantiam, & amœnitatem cum admiratione collaudet. Terra de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubverſa eſt. Hæc terra poteſt & Judæa intelligi, in qua panis legis Dei, per doctrinam Pro- C phetarum populis naſcebatur, qua amore Dei per fidem Chriſti carnalis legis intelligentia ſubverſa eſt, & in rectos tramites, & ſpirituales ſenſus conſtituta, ut jam occidentem literam non ſequatur.

Locus ſapphyri lapides ejus, & gleba illius aurum. Per metaphoram dicit, quod in Sodomis uberrima fuerint omnia & optima, quæ etiam auro & pretioſis lapidibus comparentur. Locus ſapphyri lapides ejus. Sic dicit ei Dominus per Prophetam: *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphyris*, & reliqua. Hoc enim de- D core pretioſorum lapidum, id eſt, omnium Chriſto credentium per Deum Patrem, tunc adornata eſt Judæa, quando gentium populus ei per fidem Chriſti eſt copulatus. Locus ſapphyri lapides ejus, & glebas illius aurum. Lapides pretioſi, & aurum non in optima terra, ſed in remotis, & ſqualidis inveniri dicuntur. Igitur ſecundum hunc modum Judæa ſterilis fide, & infæcunda virtutibus, habuit in ſe hos lapides pretioſos: id eſt, Patriarchas & Prophetas, & omnem Sanctorum multitudinem. Locus ſapphyri lapides ejus, & glebæ ejus aurum. Glebas ſanctæ terræ E Eccleſiæ, ſanctos ejus propter fœcunditatem bonorum operum appellavit, quos etiam & propter gratiarum diviſiones, glebas ſanctus Spiritus voluit nuncupare: quo auri merito cenſerentur, in quarum occultis venis tanquam animarum ſeminibus, ſenſus magni pretioſique naſcantur.

Semitam ignoravit avis. Exitus plurimos in eadem regione multitudo habitatorum fecerat, & ideo forſan dixit, quod avibus præ frequenti hominum copia ſemitas intuendi, vel facultas illic reſpondendi incedendive non fuerit.

Nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Quia tam condenſis frutetis, & contiguis arboribus conſita erat: ut eam aves deſuper volantes depaſcere non poſſent. Semitam ignoravit avis: nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Avem & vulturem, ipſum diabolum cum ſuis poſſumus dicere, qui ſemitam ſpiritualis intelligentiæ in lege, & Prophetis: hoc eſt, quæ in Judæam occulte prædicebantur, noſſe minime potuerunt. Nec intueri aliquo veſtigio ſcientiæ valuerunt, a ſæculis diſpenſationis futuræ abſcondita ſacramenta. De quibus ait Apoſtolus: *Dei ſapientiam loquimur in myſterio, qua abſcondita eſt: quam nemo principum hujus ſæculi cognovit*. Semitam ignoravit avis: nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Poſſunt hic duo populi intelligi non abſurde: id eſt, Judæorum & Gentium. Carnalis ergo Judæa fidem in Chriſto non habens: ſed potius legis operibus vivens, eumdem Chriſtum pro nobis factum ſemitam ſive viam, qua reditur ad patriam, ut incredula ignoravit: propter elationem ſuam, qua ſe putabat legis operibus poſſe juſtificari. Avis dicta eſt, levis utique, & vaga: atque in ipſis operibus legis inſtabilis. Vulturi vero gentium populus ideo aſſimilari videtur: quoniam per errores mortuorum hominum diſcurrebat, & rebus mortuis paſcebatur. Hi ergo Chriſtum legis litera obtectum, & terram repromiſſionis per Chriſtum futuram, opacitatis ſignificationum umbraculis non potuerunt omnino perſpicere. Semitam ignoravit avis: nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Sub his nominibus, * avis & vulturis, inimicos Eccleſiæ intelligamus, qui tenebris obſcuratum habentes intellectum, neſcierunt ſemitam vocationis ejus, qua ad Deum ambulans per fidem revertitur. Quique diverſis erroribus mortuorum hominum rapti, quaſi volare arbitrandi ſunt.

* al. au...

Non calcaverunt eam filii inſtitorum. Hoc ait, quod ita fuerit terra Sodomorum omnibus bonis referta: ut nullius patriæ eguerit mercimoniis. Non calcaverunt eam filii inſtitorum. Inſtitores ſive negotiatores prædicti intelliguntur. Nam negotiatores ſunt mali & ſuperbi: quod etiam ad ipſum diabolum pertinet: qui ſuperbiam delictum maximum adinvenit. Et negotiator propter multitudinem peccatorum appellatus eſt, quæ ſive ad ſe ipſum, ſive ad perdendum hominem exquiſivit. Iſti igitur promiſſionis terram quæ manſuetis, & corde humilibus reſervatur, ut in ea habitent, calcare non poterunt, quia nec quaſi incolæ, per eam tranſeundi habebunt licentiam. Item aliter: Hæc igitur Judæa, cui hic panis doctrinæ miniſtrantibus Prophetis, & ſacerdotibus, præbebatur in loco ſuo: ſuo utique, & non Dei: id eſt, in loco delectationis ſuæ, ubi voluptatibus atque illecebris conflagrabat, igne vitiorum ſuorum ardens ſubverſa eſt ſicut dicit Pro-

Propheta: *Omnes adulterantes, sicut clibanus corda eorum*; & in Psalmo de ea dicitur: *Incensa igni & suffossa* manu operis sui extirpata omnino, & effossa est. Licet possit ignis iste etiam super ultione peccatorum intelligi, sicut dicit Apostolus: Terra quæ spinas, & tribulos profert, reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem. De quo igne iræ ait David: *Juvenes eorum comedit ignis.* Non calcaverunt eam filii institorum. Filii institorum, Apostolorum discipuli, & Apostolici viri intelligendi sunt, qui gentibus Evangelium prædicaverunt. Hi igitur Judæam, terram videlicet infidelium, ut ei annuntiarent Evangelium, non calcaverunt. De quibus dicitur in Actibus Apostolorum: *Vobis oportuerat primum verbum Dei loqui, sed quia indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Sic itaque factum est istis Evangelizantibus verbum, ut mons Christus in mare gentium transplantaretur. Unde & in Psalmo ait: *Et transferentur montes in cor maris*: id est, vel prophetarum, vel Evangelistarum oracula, ad credituros gentium populos transferentur. Non calcaverunt eam filii institorum. Hi institores sive negotiatores reprobi sunt, & laude indigni, qui peccata peccatis, velut divitias sibi congregant: de quibus ait Apocalypsis: *Omnia clara & pinguia perierunt a te.* Hi igitur negotiatores circa divitias peccatorum, non calcabunt Ecclesiam, id est, non habitabunt in ea: quia sanctam eam, & immaculatam Dominus possidebit.

Nec pertransivit per eam leæna. Ob frequentiam innumerabilium populorum in Sodomis habitantium, bestiæ per medium regionis illius transire non poterant. Nec pertransivit per eam leæna. Leæna potest diaboli dominatio sentiri, sive superbia Judæorum. Quod autem dicit, non pertransivit: hoc ait, non recessit a Judæa, sed ibidem infidelis superbia permansit. Aliter potest, & de Ecclesia intelligi. In illa utique gloria virtutum suarum in loco necessario redemptionis suæ, in quo per fidem stat, igne subversa est: illo utique igne, de quo ipse Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram.* Hoc igitur igne Ecclesia, id est, terra sanctorum, amoris Dei desiderio flagrans, subvertitur: ut eam carnalis concupiscentia non possideat. Hoc igitur modo subvertitur, ut in terra carnis suæ vivens, carnis in ea vitia moriantur, ut ait Apostolus. *Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Nec pertransivit per eam leæna. Sive *leo*, ut alii dixerunt. Leo hic non absurde diabolus intelligitur, qui per sanctæ Ecclesiæ terram transire non potuit, eo quod gravibus persecutionibus eam vincere non valuerit.

Ad silicem extendit manum suam. Videtur mihi sanctus Job aliud ænigma protulisse, & propter soliditatem suam, & fortitudi-
A nem, Christum secundum hominem, quem assumpsit, silicem posse significari, qui etiam petra & lapis, Prophetis & Apostolis dictus est. Deus ergo Pater extendit ad silicem manum suam, id est, Filium suum: per quem universa condidit: quem etiam dexteram, & brachium vocat, & ad suscipiendum hominem misit, ut Apostolus dixit: *Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati.* Et idcirco in extensione manus, Dei Patris, & Filii ejus ad nos adventum significari noverimus, ac per eum sicut sequitur:

Subvertit a radicibus montes. Quos per
B metaphoram dæmones sive homines superbos esse recte sentimus: quia principatus, & potestates palam triumphavit in semetipso.

In petris rivos excidit. Duris scilicet præcordiis gentium, & nimia infidelitate constrictis: abundantiam gratiarum suarum largitus est, & velut rivos aquæ fluentes, uberem copiam doctrinarum tribuit. Hoc ipsum distribuisse intelligitur, quod scidisse memoratur, sicut ait Apostolus: *Alii enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ.* Alii dixerunt: *Ripas fluminum disrupit*: ut illam doctrinam spiritua-
C lem legis, & Prophetarum de qua Isaias ait: *Qui sititis, ite ad aquam*, quæ in una gente tanquam intra quasdam angustias defluebat, quæ etiam Mosaicæ legis præceptis, velut quibusdam quasi riparum obicibus claudebatur. Hujuscemodi disruptis obstaculis, quasi de alveo legis super omnem terram Evangelio abundante diffudit. Aliter possumus hanc terram Ecclesiam dicere. Unde ait Propheta: *Fluminibus scindetur terra.* Scindi vero eam atque disrumpi eo modo noverimus, quando se ad suscipiendum verbum Dei, capabilem præbet. Hanc quoque quamdam adapertionem ca-
D pacitatis, quæ fit per obedientiam terræ rationem habentis, eorumdem fluminum impetus operantur.

Et omne pretiosum vidit oculus ejus. Eductis igitur rivis gratiarum Dei, vidit Deus quam immensa, & innumerabilia pietatis suæ beneficia. Vidit autem dixit: eo quod ante conspectum ejus adimpletio sive effectus suæ voluntatis, exstiterit in Ecclesia sua.

Profunda quoque fluviorum scrutatus est, & abscondita produxit in lucem. Hos igitur fluvios non absurde singulos libros veteris Instrumenti esse sentimus: in quo-
E rum magnis latibulis erant Ecclesiæ sacramenta, quæ in tempora Salvatoris Deus Pater scrutatus sit: ad impletionem eorum omnia quæ prædicta sunt manifestans. Sive quia fluviorum nomine, populorum multitudines aliquando intelliguntur: quemadmodum Naum Propheta ait: *Portæ fluviorum apertæ sunt*: Profunda fluviorum hoc loco, secreta conscientiæ hominum advertamus: quorum scrutator, & cognitor Deus est, qui in die judicii

producendo omnia secreta cordium, reddet unicuique secundum opera sua.

Sapientia vero ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ? Quod hoc quasi inquirens ait, difficilem rem, & quæ vix invenitur, voluit indicare, imo quæ nisi a Deo demonstrante, nec inveniri posset ab homine, nec haberi. Quod & ipse Job in subsequentibus declaravit, ita dicens: Et dixit homini, utique Deus: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere a malo intelligentia.

Nescit homo pretium ejus. Hæc dicendo, inæstimabilem esse sapientiam timoris Dei significavit.

Nec invenitur in terra suaviter viventium. Hanc igitur sapientiam timoris Dei non habet quisquam, nisi carnem suam crucifixerit cum vitiis & concupiscentiis, nisi vixerit ut Paulus Apostolus, & omnes sancti, in tribulationibus, persecutionibus, angustiis, & pressuris. Et ideo suaviter dicti sunt vivere illi, qui nullo jugo disciplinæ tenentur, & effrenes ac præcipites in labem prorumpunt vitiorum.

Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur, non est mecum. Abyssum hoc loco infernum intelligamus, sicut dicit Apostolus: *Aut quis descendit in abyssum?* Et mare hoc sæculum, ut Psalmista canente cognovimus: *Hoc mare magnum & spatiosum.* Infernus ergo, & hic mundus sapientiam timoris Dei se non habere testantur. Loca dicit loqui, pro his qui in locis, vel mundi, vel inferorum sunt. Hic de illis loquitur, qui carnali conversatione mundi illecebris possidentur: hæc dictio prosopopœia appellatur, ubi persona loquentis cum loqui non possit, assumitur, & quod continet, pro eo quod continetur. Continet quidem hic mundus, vel infernus: continetur autem homo. Hanc ergo sapientiam non habet mare mundi istius, præter solam Ecclesiam, quæ propter sævientium fluctus inimicorum, insula dicitur in Scripturis, quemadmodum & navicula per figuram in Evangelio nominatur.

Non dabitur aurum obrizum pro ea: nec appendetur argentum in commutatione ejus. Hoc ait, quod nulla res quamvis pretiosa sit, possit huic sapientiæ comparari. Sive quia aurum in Scripturis, vel argentum, tropicus sensus, & sermo intelligitur, hoc dicit, sapientiam istam nullus pro merito sentire posset, aut eloqui.

Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonico pretiosissimo, vel sapphyro. Diversis rebus, pretiosis, hæc sapientia divina præfertur. Hoc tamen sciendum, quod maxime in meridiano climate hæc metalla pretiosa nascantur. Et quia in India omnes idolorum cultores significantur: in qua colores, ut dixi, pretiosi, vel nascuntur, vel fiunt: id puto posse intelligi, quia in gentibus ubi timor veri A Dei non est, fucata & quodammodo terrena religio sit: quæ sub pretextu nominis Dei in errorum mendacio, diverso ac vario sermonum colore velut pictura componitur, & quasi lapis pretiosus eloquio splendeat, sive nomine fulgeat deitatis, & India sive etiam Æthiopia, nigredinem, vel tenebras peccatorum significant: quæ specialiter in idolorum culturis habentur.

Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Aurum vel vitrum, & etiam vasa auri, pretiosi quique, & clari intelliguntur: qui in hoc B sæculo nomine dignitatis, & divitiarum gloria splendent: hi utique non habentes veræ religionis timorem, pro nihilo habebuntur: eo quod non possunt velut pro merito gloriæ suæ, ad commutationem sapientiæ singularis accedere.

Excelsa & eminentia non commemorabuntur in comparatione ejus. Etiam si excelsa sint, & plurimum eminentia quæcumque in creaturis sunt: ut sunt etiam angelicæ potestates, minima omnia, imo potius indigna memoria erunt, in comparatione illius, quæ fecit omnem creaturam rationalem Deo placere, eique sancto amore conC jungi. Et ideo præfertur illis eminentibus excelsis timoris hujusmodi sapientia: quia sine illa nihil sunt ante Deum, sicut & ipse diabolus qui amisso timore divinæ reverentiæ, perdidit semetipsum.

Trahitur autem sapientia de occultis. Hæc igitur aliunde non potest nisi de supernis assumi, sive de intimis cordis affectibus, dono Sancti Spiritus trahitur, ut Propheta ait: *Os meum aperui, & attraxi spiritum,* ut videlicet sapiat homo Deum & timeat, ac recedere a malo intelligat.

Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componentur? DiverD sis modis, & diversis nominibus auri, ac supellectilis pretiosæ, sanctus Job dicit, quod timor Domini non possit eis ullo modo comparari.

Unde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ. Interrogans requirit, & dicit: quod omnis creatura vel maxime sapientiam hanc ignoret.

Abscondita est ab oculis omnium viventium: volucres quoque cæli latet. Viventium mundo intelligendum est, de quibus superius ait, cum de hac sapientia loqueretur, nec invenitur in terra suaviter viventium. Quod autem dixit, quia hæc sapientia volucres E cæli lateret, superbi, & leves, sive qui altum sapiunt, quod ad tumorem arrogantiæ pertinet, intelligendi sunt, sive spiritus mali, qui secundum Parabolam Evangelii, jactum semen dominicum juxta viam comedunt. Hos igitur latere ait bonum timoris Dei.

Perditio, & mors dixerant, auribus nostris audivimus famam ejus. Potest utroque hoc nomine diabolus dici, sive ille mors appellari potest, ut sui satellites perditio

aun-

nuncupentur. Hi ergo dixerunt, quod famam timoris Dei audierint: non enim negare possint, quia non audierint illam, cum in naturæ suæ bono inditam perceperint: sed per inobedientiæ malum, eam habere noluerunt.

Deus intelligit viam ejus & ipse novit locum illius. Pro certo scit Deus, quod hæc sapientia properet ad locum utique quietis, & perpetuæ pacis: ubi per hanc ipsam sapientiam timoris sui, super quietum & humilem, & trementem sermones suos requiescere delectetur. Sive Deus intelligit viam ejus, quæ prædicatione Evangelii per omnes terras prolata est. Unde & sequitur de Deo dicens.

Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. Quis enim ambigit, Deum nosse etiam ea quæ futura sunt? sed hic potius Deus cognitor futurorum illud inspexit, quod postea dixit ejus Apostolus: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Hoc igitur modo, adventu suo nos visitando, fines mundi intuitus est. In his, inquam, temporibus nostris, in quos sæculorum fines devenerunt.

Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis sonantibus. Manifestum est, quia omnis creatura in manu & virtute potentiæ illius teneatur. Aliter: Ipsas gratias Spiritus Sancti, quasi in ipso initio per Apostolos accepit Ecclesia: quando factus est de cælo sonitus tanquam advenientis spiritus vehementis. Ventos, sive spiritus Scriptura commemorat; quos Deus largiendo de arcanis secretorum cælestium prolaturus hominibus est, secundum Prophetam dicentem: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Aliquando hæ diversitates gratiarum, Spiritus Sancti censentur nomine, dantis has gratias, secundum illud Apostoli: *Spiritus Prophetarum subjecti sunt Prophetis:* qui etiam propter operationem, & effectum divinæ sanctificationis suæ, pondus habere dicuntur, ut secundum uniuscujusque vires prædicatores verbi Dei aliis lac darent, aliis solidum cibum porrigerent, ubi dicerent, vel quibus dicerent. Inde ait Propheta: *Dabo vobis imbrem matutinum, & serotinum:* hoc est, novum & vetus Testamentum.

Tunc vidit illam, & enarravit, & præparavit, & investigavit, & dixit homini. Id est, in Ecclesia sua, Deus futuram hanc sapientiam ante prævidit, quod totus mundus timorem illius habiturus esset.

Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere a malo, intelligentia. Alter timor est, ne quisquam Deum offendat: alter vero si offenderit. Ille prior sanctus, & laudabilis, iste alius non habens caritatem, sed pœnam. Proinde de hoc prædicabili timore dicit Psalmista: *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* De alio timore loquitur Evangelista Joannes in Epistola sua dicens: *Timor non est in caritate, sed*

A *perfecta caritas foras mittit timorem.* Qui timor utique pœnam habet, quia dilectionis meritum non habet:

Caput XXIX.

ADDIDIT *quoque Job assumens Parabolam suam, & dixit.* Secundum superiorem regulam etiam istic intelligentiæ lineam ducimus, ut quando id quod sequitur in Salvatorem referri non convenerit, ad membrorum illius compagem sensum expositionis conemur inflectere. Et B recte id fieri poterit, ut quod ipse Dominus caput Ecclesiæ suæ in se recipere non potest, de ejus corpore, quod est Ecclesia, sentiatur.

Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me? Optat ergo sanctus Job atque desiderat, ut jam de illo squalore, & cruciatibus liberetur, revertaturque ad illam gloriam pristinæ felicitatis, in qua aliquando, Domino prosperante, degerat.

Quando splendebat lucerna ejus super caput meum. Multis modis in Scripturis divinis C appellatur lucerna. Hic vero potuit eam Job pro gloria temporali dixisse, quam a Deo acceperat, & quam in honoris potentia, & divitiis possidebat.

Et ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Inter peccata utique, & ea quæ ignorabam, quasi inter aspera, & obscura vitæ hujus, ad lumen virtutum, vel consolationis illius incedebam.

Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, & quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Secretum suum, mentem suam ideo dicere voluit, quia illic tumultuosæ vitiorum turbæ minime perstrepebant.

D *Quando erat omnipotens mecum, & in circumitu meo pueri mei.* Quando Deum habebat in tabernaculo suo: virtutes ante eum stare tanquam pueri perhibentur, quæ ideo masculi appellantur, propter vigorem contra vitia resistendi: talibus ministris Job beatus ambiebatur.

Quando lavabam pedes meos butyro. Pedum vocabulo in Scripturis divinis, modus quidam humanæ conversationis plerumque intelligendus est. Lavabam, inquit, ab omni peccati macula actus meos, & cum innocentia & simplicitate versabar.

Et petra fundebat mihi rivos olei. Juxta E hunc sensum Moyses ait: *Suxerunt mel de petra, & oleum de firmissima petra:* secundum delectationem volentium, ore sapiebat. Et cum petra illa Christum secundum Apostolum figuraret, oleo tamen illo dona Spiritus Sancti, sanctus Job largiter sibi effusa voluit demonstrare. Hic est ergo oleum vivum, & verum, qui est Spiritus sanctus Patri & Filio consubstantialis. Hoc ergo oleo sanctus Job abundabat, quo & caritatis pinguedine replebatur.

Quando procedebam ad portam civitatis, & in

in platea parabam cathedram mihi. Manifestum est, A quia Judæorum judices in portis sedebant, ut vindicarent populum.

Videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Reverentiam pii, & sancti timoris, quam ei non solum omnis ætas, verum etiam universæ potestates merito deferebant, his versiculis demonstravit.

Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, B *cui non esset adjutor.* Tam sancta erat, ut ait, præsens conversatio ejus, quam fama referebat.

Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Pupillus, pauper & vidua, omne genus humilium atque afflictorum significat, quorum sanctus Job præteriit, vel despexit.

Justitia indutus sum, & vestivit me sicut vestimento, & diademate judicio meo. Justitia, judicium rectum, misericordia, hæc erant animæ illius indumenta.

Oculus fui cæco, & pes claudo. Affectus pietatis ejus atque misericordiæ in his sermonibus C demonstratur, sive erant ignorantiæ tenebris lumen præbui veritatis, & claudicanti in viis Domini, recte viæ itinera demonstravi.

Pater eram pauperum, & caussam quam nesciebam, diligentissime investigabam. Negotia caussasque pauperum contra potentes suscipiendo, defensor eorum factus erat, & judex. Et idcirco ne aliqua adversantium parte opprimerentur, retectis eorum fraudibus, eas investigare dicebat.

Conterebam molas iniqui, & dentibus illius auferebam prædam. Hic velut rapacem bestiam, & violentam, hominem iniquum describit: D de cujus ore substantiam pauperum vi abstulerit.

Dicebamque: in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Nidus ejus, exterior homo ejus intelligendus est, qui de fœno carnis illius compositus a Deo fuerat, & constrictus. *Omnis enim caro fœnum.* In hoc igitur nido semper se mori sub testificatione dicebat, dum vitiis mundi, & ejus concupiscentiis non vivebat, & ob hoc in resurrectione, velut palma, multiplices dies, & æternos habebit.

Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea. Spes mea, & fides E quæ ex hac expectatione mea sunt, patent ad divina eloquia, quarum consolatione, ne in infidelitate mentis meæ viror arescat, infunditur.

Gloria mea semper innovabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Gloria mea & cætera potest in virtutibus crescentis bonæ conscientiæ fructus & novus semper protectus intelligi. In arcu vero resistentis ac repugnantis vigorem significari existimo, qui in manu sancti operis contra obvios quosque, & hostiles vitiorum impetus præparetur. Sicut ait David in Psalmo: *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea*, quod est, fecisti infatigabilem intentionem bonorum operum meorum.

Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum. Quia jam auctoritas sapientiæ ubique fuerat divulgata: nemo quasi detrectans, ad verba ejus quicquam addere præsumebat, quinimo stillabat super eos eloquium illius: id est, sensus interiora viscerum penetrabat, ut eorum infusa præcordiis, a tali magistro perfecti atque optimi discipuli redderentur.

Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Pluviæ nomine, copiosam valde eruditionem suæ scientiæ demonstrat, & laudat auditores suos, quod disputante eo, cum grandi desiderio expectaverint.

Si quando ridebam ad eos, non credebant. Tanta, inquit, reverentia & honore a prædictis habebar, ut sapientiæ meæ, & gravitati non posset indulgentiæ aliquid ac remissionis, quæ ad temperamentum magis morum pertinebant, congruere. Et idcirco ipso a me pietatis fiebat studio, ut affectus amoris ac dilectionis eorum mei admiratione proficeret.

Et lux vultus mei non cadebat in terram. Gratia reverentiæ, quam in ejus facie refulgentem contuebantur, apud prædictos non pro nihilo habebatur. Non enim aliquid ejus nutibus frustra fieri existimabant, & idcirco quasi magnum atque præcipuum in se prædicti suscipiebant, quicquid in serenitate vultus illius contemplabantur.

Si voluissem ire ad eos, sedebam primus. Cumque sederem, quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Dignationem suam & sanctam humilitatem his sermonibus manifestat, qua ad inferiores suos, quasi ad amicos sibique coæquales abierit, & se in regni potentia, miseris & mœrentibus præbuisse.

Caput XXX.

NUNC *autem derident me juniores tempore.* Manifestum est.

Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Non hoc typho superbiæ atque divitiarum jactantia fecerat, sed utilitate impiorum, & deridentium illum, quorum patres nec canibus quondam ejus digni fuerint comparari.

Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni. Egestate & fame steriles. Id est, ignominiæ vilitate despecti.

Qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate, & miseria. Et manducabant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum. Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore

more currebant. Præ miseria & aviditate, hæc etiam quæ extra cibum erant, vel hominum, vel ferarum, tanquam epulas ac delicias invadebant, humectas convalles præ nimia egestate sugentes.

In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel super glaream. Qui inter hujuscemodi lætabantur. Qui etiam, ut ait, in locis sterilibus, & inaquosis, sive dumibus, quasi repentia terræ in foraminibus morabantur: quos imbres montium rigant.

Et esse sub sentibus delicias computabant. Si in æstu suo, vilissimorum stirpium foliis tegerentur.

Filii stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes. Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium. Abominantur me, & longe fugiunt a me, & faciem meam conspuere non verentur. Obscuri, & memoria penitus indigni.

Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frenum posuit in os meum. Pharetram existimo multitudinem plagarum, vel ipsum diabolum, vel potestatem illius hoc loco intelligi oportere. Quam sicut Job ait, Deus aperuit, dum circa eum diabolus suam exercuit potestatem, unde eum, & jaculis tormentorum afflixit. Insuper etiam frenum ei silentii in ore ne loqueretur imposuit.

Ad dexteram orientis calamitates meæ illico surrexerunt. Id est, vel in ipso tempore felicitatis, quod gravissimum probatur, exortæ sunt, vel permissu divinæ potestatis impositæ sunt. Ipse est enim oriens ex alto, ipse dextera & virtus altissimi.

Pedes meos subverterunt, & oppresserunt quasi fluctibus semitis sui. Id est, calamitates meæ frequenti repetitione me affligentes, velut fluctibus omnes vias rectas conversationis meæ subverterunt.

Dissipaverunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & prævaluerunt, & non fuit qui ferret auxilium. Id est, itinera mea, quibus per viam justitiæ quotidianis profectibus incedebam, inimici mei conturbaverunt, in injuriam meam ex insperato, velut ex insidiis erumpentes, negantibus mihi proximis meis consolationis auxilium.

Quasi rupto muro, & aperta janua irruerunt super me, & ad meas miserias devoluti sunt. Tam veloci, inquit, impetu prædicta mala super me irruerunt, ut nullo resistente obstaculo, in me desuper volverentur.

Redactus sum in nihilum. Abstulit quasi ventus desiderium meum, & velut nubes pertransiit salus mea. Quo remunerationes tuas pro mandatorum tuorum custodia præstolabar, pariter cum salute, quasi venti impetu, & quasi transvolantis * nubis celeritate rapuisti, quia abripi permisisti.

* al. *nobis*.

Tunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis. Marcescit, id est, a vigore suæ intentionis dissolvitur.

Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt. Manifestum est, quia vermes qui carnes ejus comedebant, noctes ducebant pervigiles.

In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me. Scatentium vermium multitudo, semper se commovens, & per diversos vulnerum meorum sinus discurrens, vestem quoque meam, dum per me repere non cessat, attrivit: quem totum atque ex omni parte circumdatum, & quasi in unum vulnus redactum incessabili esu haustuque discruciat.

Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ, & cineri. Ad summam vilitatem perductum se dicit, qui vulneribus & sanie, sicut lutum computresceret, & fœteret: exsiccantibus rursus carnis ejus putredinem, sordibus pulveris.

Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. In clamore intentio est orantis ad Deum. In eo vero quod stare se perhibet, perseverantiam se ad Deum habere indeclinabilem dixit. Fiducia justitiarum suarum ad Deum: hæc libere Job sanctus loquitur.

Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi. Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valde. Pium & misericordem Deum esse dicit in prosperis suis durum atque crudelem, cum manus duritiam, & graves pœnas sustinet & atroces.

Scio, quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. Post delictum parentis, inquit, domus inferiorum est constituta, id est, mors ipsa, non conditione ejus creata. Illuc ergo & me tanquam peccatoris Adæ filium, secundum justam sententiam abire voluisti.

Verumtamen non ad consumptionem eorum. Reconciliationem mundi prophetat in Christo futuram, dum dicit, homines non in perpetuam consumptionem redigendos, sed aliquando ab inferis revocandos.

Emittis manum tuam: & si corruerint, ipse salvabis. Si post redemptionem, qua per fidem in Christo salvamur, iterum per peccatum ruerint homines, manu pietatis allevante, per pœnitentiam ipse salvabit.

Flebam quondam super eo, qui afflictus erat: & compatiebatur anima mea pauperi. Expectabam bona, & venerunt mihi mala, præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ. Factum est, ut pro bonorum expectatione, qua miseros consolabar, mala nunc omnia sustinerem, & pro luce prosperitatis, tenebras incurrerem tormentorum.

Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie: prævenerunt me dies afflictionis. Ubi ait, quod eum dies afflictionis prævenerint, puto quod tempus judicii voluerit indicare: quo præventum se idcirco videtur dixisse, quia cum sibi necdum venturum putaverit: ubi etiam magnum dolorem gehennarum significat, dum suas illis comparat pœnas.

Mœrens incedebam, sine furore consurgens, in turba clamabam. Tristis & affectus mœstitia, quia pœnæ meritum nesciebam, & sine

fine furoris iracundia, eram in spem animi virtute consurgens: quia Deus docuerat me patientiam, ut æquanimiter ferrem, publica satisfactione vociferans, & exorans.

Frater fui draconum, & socius struthionum. Cruciatu pœnarum affectus, dolores meos sibilis temperabam: quemadmodum facere dicuntur dracones, quando ab elephantis capiuntur: ut Propheta ait: *Faciam planctum velut draconum*: quem faciunt ut dixi, quando ab elephantis interficiuntur. Et socius struthionum: fatuus factus sum & insipiens, ut struthio, avis stultissima, ut præ dolore frustra me existiment laborasse.

Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate. Et hoc ad pœnarum ejus cumulum pertinebat, ut in stercore constitutus, per multa tempora, solis ardentissimos usque ad ossa pateretur radios.

Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. His rebus, dicit felicium dierum suorum atque prosperitatis lætitiam, & jucunditatem in luctum esse conversam.

ITEM AD CHRISTI PERSONAM VERTITUR EXPOSITIO.

QUIS *mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, &c.* In assumpto homine Jesu Christo, id est, Adam secundo, sive novissimo: vox est Adam protoplasti recolentis quid perdiderit, & ad quod bonum redire cupiat. Amiserat quippe per inobedientiæ malum, immortalitatis bonum, paradisique delicias: hanc sibi per Jesum Christum Dominum nostrum instaurari desiderat. Suscipiendo namque in se Dei Filius hominis filium, suscepit in eo & humani generis preces.

Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris. Gloriam divinæ gratiæ, nomine lucernæ qua in paradiso floruerat, significavit.

Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo. Adolescentiæ nomine possunt primordia Adæ intelligi, vel ipsa felicitas: ubi ante peccatum, juvenili vigore, sine ullo defectu ætatis semper virens, quasi in diebus adolescentiæ fuisse dicitur.

Quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Pueri Adam, virtutes animæ intelligendæ sunt. Pueros autem Christi Angelos, qui ministraverunt ei in diebus carnis ejus, vel Apostolos, sive omnes Sanctos non absurde sentimus.

Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei. Pedes igitur Salvatoris, prædicatores veritatis: qui in universo mundo annuntiant Evangelium, intelligendi sunt. Hos igitur pedes suos Jesus Christus, Job noster, lacte sive butyro eluit atque abstersit, quando eos a tribulationum pressuris sinceros atque purissimos reddidit: docens eos per spiritum suum, simplicis innocentiæ vitam. Hoc igitur modo pedes annuntiantis pacem Evangelii mundabuntur. Ne coinquinati essent carnalis sapientiæ luto. Petra, inquit, fundebat mihi rivos olei. Ergo petra Ecclesia, fundata super Christum firmissimam petram, de se gratiam Spiritus Sancti, velut rivos effundit: quod in Pentecoste, & domo Cornelii, & in illis duodecim, sive in omni Ecclesia declaratum est, & usque hodie declaratur.

Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea ponebant cathedram mihi. Velut rex ergo, & Dominus primus civitatis suæ Ecclesiæ, ad portam ejus Christus processit: id est, sub tempore initiorum ejus: quando ingressum parans dicebat omnibus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Cathedra autem eminens scientia Christi intelligenda est: Platea autem civitatis, vel quod publice prædicaverit, vel secundum Psalmistæ sensum est intelligenda: *latum mandatum tuum nimis.* Quod non solum in triplicem expositionem, sed etiam in disputationem porrigitur.

Videbant me juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant. His scribit Joannes dicens, *Scribo vobis, juvenes, quia fortes estis, & vicistis malignum.* Hi per fidem Domini, Salvatorem vident in spiritu, & in terra sui corporis absconduntur: reprimentes videlicet atque in se pugnando vitia cohibentes: mortificantes semetipsos a peccatis, & concupiscentiis mundi. hinc ait Propheta: *Ascendite vos in terram.* Senes vero filii consummati, & perfecti, qui quotidie mente elevantur ad cælum, & stant in Domino, fide immobilis vitæ.

Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo: vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi eorum adhærebat. In adventu, inquit, meo omnium sanctorum meorum prophetia conclusa est, & signata, quod in Zachariæ silentio præfiguratum est. Clausa est quidem prophetia in mysterio annunciatorum, sed in sacramentorum mysteriis patefacta est. Principes & duces illius populi Judæorum fuerunt reges, sacerdotes & Prophetæ. Sive principes & duces, potentes quique mundi istius atque eloquentes possunt intelligi, qui propter mendacia seductionis, principatus in populis tenebant. Hi in adventu Christi conticuerunt.

Auris audiens beatificabat me. Gentium utique populus, ad quem Evangelium meum, annunciatum prædicatione pervenit. Qui pro redemptione sua laudem deferens, beatificabat me gratias agendo.

Et oculus videns, testimonium reddebat mihi. Populus videlicet Judæorum, cui per Prophetas meos prædictus fueram, in præsentia adventus mei testimonium reddebat mihi.

Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adjutor. Pauper hic & pupillus, sanctorum populus est in-

intelligendus: qui propter humilitatem spiritus contribulati, pauper est dictus. Pupillus vero idcirco dictus est, quia pater eorum pro tempore absens est: qui ita loquitur: *Non relinquam vos orphanos.*

Benedictio pueri, sive ut alii dixerunt, *perituri*, *super me veniebat*, *& cor viduæ consolatus sum*. Pupillus fidelis, & sanctus: puer, propter reciprocatam innocentiam nuncupatus est. Perditus vero idem appellatus est, quia sanguine Domini acquisitus est.

Justitia indutus sum, *& vestivit me sicut diademate judicio meo*. Justitia ergo hæc pietatis meæ, ait Dominus, vestivit me B sicut vestimento. Et diademate judicio meo. Hoc inquam vestimento, in quo per Evangelium justitia patris revelatur: in Ecclesia dicit se esse circumdatum: cujus figuram habuit vestis ejus in monte clarificati.

Oculus fui cæco, *& pes claudo*. Lumen, inquit, sum peccatori in vitiorum suorum tenebris ambulanti, & in præceptorum meorum semitis claudicanti factus sum gressus. Unde ipse ait: *Ego sum via*.

Pater eram pauperum, Id est, humilium corde.

Et caussam quam nesciebam, *diligenter investigabam*. Hanc igitur caussam peccaminum misericordia pietatis meæ indulturus, diligentissime perscrutabar, ut radicem vulnerum curando perquirerem: ut peccatorem, investigante me, confitentem culpas suas, ab omni peccato criminis liberarem. Sive aliter: Nescivit caussas peccati Dominus noster Jesus Christus: quas ab eo Judæi quærebant.

Conterebam molas iniqui, *& de dentibus ejus auferebam prædam*. Hunc iniquum diabolum esse recte sentimus, cujus dentes ac molares sunt ad interimendum sævi ac truces animi motus. De hujusmodi, inquit, dentibus velut prædam captivam humanum genus abstraxit, de mortis utique illud interitu liberando. Omnes impii dentes sunt diaboli. Potest & hæreticus quisque intelligi, in cujus dentibus doctrina perspicua sentiatur. In molaribus vero lateant remota, & secreta & nefanda mysteria.

Dicebamque in nidulo meo moriar, *& sicut palma multiplicabo dies*. Nidus Domini Salvatoris, Ecclesia ejus potest intelligi. Hic igitur Dominus, in Ecclesia quasi nidulo suo, quem sibi fœno carnis humanæ congessit, & in qua procreat ac fovet filios, mori dicitur, dum membra ejus, quorum ipse caput est, vitiis ac concupiscentiis hujus sæculi moriuntur. Sequitur: Et sicut palma multiplicabo dies ejus. Igitur post humilitatem Ecclesiæ, quam in nidulo superius Dominus indicavit, gloriam altitudinis ejus in palma arbore voluit ostendere: cujus radix aspera videtur in terra, unde etiam nidulus appellatur: sed comis pulchra sub cælo, cum ex resurrectione fuerit glorificata, palmæ celA situdinem obtinebit, id est, virtutum suarum merita consequetur, quæ in palma significantur. Sive nidulus hic populus Judæorum potest intelligi. In hoc igitur nido, pati & mori pro nobis voluit, sicut ait Judæis: Moriar, & in eorum mentibus crucifigar: ubi secundum hominem conversatus, & natus sum, & in gentibus, ubi palma victoriæ meæ, crucisque vexillum erectum est, multiplicabo dies, dicens eis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Radix mea aperta est secus aquas, *& ros morabitur in messione mea*. Ita erit in nationibus radix, id est, fides qua mihi placeri volui: ut omnes sancti in præteritis placuerunt: ut pateat gentium aquis, id est, populus, ut in me scilicet credant, quibus utique in retributione æterna, ros gratiæ, & muneris erit me largiente profluus. Sive radix caritatis meæ atque dilectionis, quæ fixa est in cordibus diligentium me: aperta est in eis ad aquas eloquiorum meorum.

Gloria mea semper innovabitur. Hic gloriam, Ecclesiam intelligere possumus: Gloria quidem patris est filius, cui dicit pater: *Exurge*, *gloria mea*, *exurge*. Sed aliter Ecclesia gloria est, quæ justificata est per gratiam. C

Et arcus meus in manu mea instaurabitur. Arcum hunc virtutem intelligere possumus, qua pro Ecclesia sua usque ad finem sæculi pugnare non desinit.

Qui me audiebant, *expectabant sententiam*, *& intenti tacebant ad consilium meum*. Quotidie clamat Christus per dispensatores verbi sui, & obedientes ei, sententiam definitionis ejus expectant. Et intenti tacebant ad consilium meum. Hoc verbo silentii, sanctorum significatur obedientia, qui tardi sunt ad loquendum, veloces autem ad faciendum: D sive, quia in ipsa inquisitione legis, sancti intenti esse dicuntur.

Verbis meis nihil addere audebant. Statuta utique & decreta non convellentes Ecclesiæ: in qua fundamentum est veritatis, stabiliunt. Hæretici autem & schismatici, præsumptione superbiæ, qua præstant cæteris, verbis Domini, inventa de corde suo atque superflua dogmata plenitudinis superponere moliuntur.

Et super illos stillabat eloquium meum. Sensim utique sermo doctrinæ meæ, diligentia mea, diligentium me viscera penetrabat: in quo profectus animorum quotidie in virtutibus intelligendus est. Ubi quasi a parva stilla E principiorum, pervenitur ad vitam plenam perfectionis, tanquam ad pluviam cordis, terram suam copia saturantem.

Expectabant me quasi pluviam, *& os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum*. Omnes sancti antiqui, Salvatorem in carne venturum expectaverunt, & omnes nunc pariter ad judicium venturum indubitanter expectant: ad cujus imbrem serotinum, id est, Evangelium, ora cordium suorum nunc sitientes aperiunt: quia *meliora sunt*, ut Ecclesia-

clesiastes ait; *novissima sermonis, quam initium ejus.*

Si quando ridebam ad eos, non credebant. Id est, Judæi non credent mihi hilari pietate futuræ beatitudinis lætitiam, & æternæ gaudia promittenti: & peccatores pro reatu conscientiæ suæ, vix credent misericordiæ meæ, & sibi salutem dari posse præ magnitudine criminum desperabunt: cum ego convertentibus ad me majora quam spe possint capere, collaturus sum.

Et lux vultus mei non cadebat in terram. Gratia, inquit, præsentiæ meæ, qua mundo universo innotui, illustro corda fidelium, quia ego sum lux mundi, & quicquid promisero custodientibus pactum meum, irritum non erit: sed totum in tempore retributionis implebitur.

Si voluissem ire ad eos, sedebam primus; Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Ita sentiendum est, qui cum apud sanctos suos magnus, & in excelsis habitet, qui & angeli plerumque dicuntur, & de quibus secundum aliam editionem dicit: *eram quasi rex concinctus fortibus*: compunctos tamen & contritos corde non despexit.

NUNC *autem derident me juniores tempore.* Legimus in Evangelio, quemadmodum irrisus est, & illusus.

Quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Ego canes in bonam partem dictos existimo, qui gregem Domini a bestiis spiritualibus vigilando defendunt. De quibus dicit propheta: *Canes muti, non valentes latrare.* Judæorum quoque patres, qui sunt utique sacerdotes, principes, pastorali ab eis quippe ablata dignitate, non posui, ait Dominus, cum sanctis gregis ovium meorum custodibus, ob malitiam infidelitatis suæ: ne sacerdotio fungantur mihi, abjeci eos. Quod etiam in Evangelio dicit: *Auferetur a vobis regnum Dei*, & reliqua. Ubi jam incipit tollere panem filiorum, & mittere canibus, sicut ad eum in Evangelio sub typo Ecclesiæ dicitur, *Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo. Hæc virtus manuum erat Judæorum, ut mandatis seniorum, & observationibus deservirent. Sive in tempore passionis Domini, potest hic locus intelligi, ita ut virtus operum prædictorum usque ad mortem Salvatoris pervenerit. Vel ita intelligendum: cum ei vitam flerent finitam esse per crucem, triumpho resurgentis ex mortuis, ad nihilum conatuum pessimorum virtus redacta est.

Et vita ipsa putabantur indigni, egestate & fame steriles. Vitiorum suorum, & criminum turpi egestate effecti, & fame eloquiorum Dei facti steriles, & mendici vita insuper præsenti indigni sunt habiti, sicut Propheta ait ad Deum: *Disperge illos in virtute tua.* Unde nunc in medio nationum sunt velut captivi, vitam ducentes degenerem.

A *Qui redebant in solitudine, squalentes calamitate & miseria, & mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus illorum.* Plerumque ubi Deus non habitat, id est, non colitur, solitudo sive eremus appellatur: in qua secundum Apocalypsim mulier, id est, corruptela sedere dicitur. Mandere enim sive rodere, opus est dentium, quoniam vox articulata, dentibus & plectro linguæ efficitur, ideo his verbis, doctrina prædictorum significatur, qui populos tanquam herbas & infructuosarum arborum radices mandendo atque rodendo, in errores suos multiplices, velut B in suum corpus trajiciunt. Etenim pasci se arbitrantur, si ab hominibus, quos solet Scriptura arbores appellare, quicquid habent vitale subtraxerint. Radicibus juniperorum nihilominus aluntur: arborum scilicet longa ætate viventium, & in quarum lignis multo diutius ignis quam in cæteris durat. Ista sunt ligna, quæ arceuthina appellantur. Sub arborum harum vocabulo, magnos quosque nomine in populo Judaico intelligere possumus, quorum prædicti doctores intima viscerum depascuntur, furando ei prædicatione legis præteritæ, bonum gratiæ Christi.

C *Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.* De convallibus utique herbas, ut fures, quod alii translatores dixerunt, & *arborum cortices*, rapiunt. Non enim eos quos herbas, cortices, & radices arborum per ænigmatis similitudinem intelleximus, in excelsis locis atque similibus potuerunt invenire: sed in convallibus, humilibus scilicet locis, & in inferiora depressis, ubi significati sunt carnales populi Judæorum: quorum intellectus in occidentis literæ sensu, velut in inferioribus commoratur. Hinc eos primores eorum depopulantur, dum D cæci cæcis ducatum præbent.

In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ; vel super glaream, qui inter hujuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant. Non tantum in desertis prædictorum, ubi cultura Dei non erat, morabantur, sed etiam in cavernis terræ, & super glaream, per quam puto carnaliter legem intelligendam, ubi nihil pingue spirituali sensui admiscetur, quo posset fœcunditate ubertatis, per fidem filios sanctitatis matre gratia, procreare: & ob hoc in cavernis terræ esse perhibentur, terrenis videlicet sensibus inhærentes. De quibus flens dicit Apostolus, E *inimicos crucis Christi.* Aliter: Torrentes sunt peccatores, qui in hoc mare sæculi per deserta notitiæ defluunt; hi ergo in cavernis sensuum commorantur, eorumque delectantur officiis ad peccandum: ipsi sunt fenestræ domus, per quas mors ingreditur. Sive caverna serpentis est pectus nostrum, quando in eo venenata consilia, & mortiferos actus recondimus. Ipsi vero similiter super glaream habitant, qui terram suam, nulla sermonum Dei diligentia colunt,

sunt, ut accepta ubertate pinguedinis, possint fructus facere sanctitatis.

Qui inter hujuscemodi lætabantur; & esse sub sentibus delicias computabant. Inter hæc mala quæ sunt dicta superius, ita exultantes gaudio vivunt, tanquam si quærerent virtutes.

Filii stultorum, & ignobilium, & in terra penitus non parentes. Ita enim & de eorum patribus, Propheta jam ante prædixerat: *Generatio prava & perversa, populus stultus, & non sapiens, alienati a terra viventium.*

Nunc in eorum canticum versus sum eis, & factus sum proverbium. Id est, in primo sermone, & in eorum ore ego sum, & ab eis delectatione obtrectationis assumor.

Abominantur me, & fugiunt a me, & faciem meam spuere non verentur. Faciem vero consputam Domini Salvatoris, ipsa passio ejus nobis in Evangelio manifeste demonstrat.

Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me. Hic pharetra, diabolus intelligi potest. Et quoniam credimus, Salvatorem verum hominem assumpsisse: non absurdum est, ut credamus quod & dolores corporis voluerit in passione sentire: secundum illud Prophetæ: *Ipse infirmitates nostras suscepit, & pro nobis dolet.*

Et frenum posuit in os meum. Illatas contumelias patientia demonstravit: sicut ipse Filius in Psalmo ait ad Patrem: *Quoniam tu es patientia mea, Domine.* Et in Evangelio, interrogatus Jesus non respondit.

Ad dexteram orientis calamitates meæ, illico surrexerunt. Id est, de voluntate Patris, ad cujus dexteram Filius sedet. Vel hoc ait, quod ad Filium Dei etiam ad eam partem, qua impassibilis est, contumelia passi hominis assumpti pervenerit, secundum Apostolum dicentem: *Si enim cognovissent, nunquam Deum majestatis crucifixissent.* Quoniam ipse est dextera Patris, manus & brachium, per quem facta omnia gubernantur: & discipuli magis de dextris illius erant, quem in tempore passionis dereliquerunt. De quibus ait: *Considerabam ad dexteram, & non erat qui cognosceret me.*

Pedes meos subverterunt, & oppresserunt. Quasi fluctibus semitis suis dissipaverunt itinera mea. Insidiati sunt mihi, & prævaluerunt, & non fuit qui ferret auxilium, quasi rupto muro, & aperta janua, & ad meas miserias devoluti sunt. Pedes, humana substantia, quam crucifixerunt, intelligi potest, vel certe evangelizandi officium. In fluctibus, amaros Judæos erga prædicatores Evangelii, & inquietos esse demonstrat.

Dissipaverunt etiam itinera mea. Prophetarum meorum oraculis, adventus mei in carne illis præsentiam pollicebar, & in visionibus revelationum sæpe veniebam ad eos. Hæc utique itinera mea, incredulitate atque impietatis suæ scelere dissipaverunt. Possunt etiam pedes ejus, prædicatores vel

A Apostoli ejus intelligi. Et non fuit qui ferret auxilium, quia & ipsi discipuli relicto eo confugerunt. Quasi rupto muro, & aperta janua irruerunt super me, & ad meas miserias devoluti sunt, id est, per necem meam in ruinam suam lapsi sunt, ut quasi truculentissimi hostes, & ferocissimi, irruptis civitatum munitionibus, domibusque effractis, in necem meam omnes pariter prosilirent. Miseriæ autem passiones sunt, flagella, illusio, probra, alapæ, sputa, colaphi, spinæ, & ignominia crucis.

Redactus sum in nihilum. Judæi despicien-
B tes eum, pro nihilo habuerunt.

Abstulisti quasi ventum desiderium meum, & quasi nubes pertransiit salus mea. Ventus præsens hæc vita potest intelligi, quæ plerumque venti, sive spiritus nomine appellantur. Ex persona ergo veteris hominis suscepti in Deo, homo Jesus Christus hæc loquitur. Desiderium vero veteris hominis illud erat, ne vitam hanc temporalem amitteret, quod ipse Dominus proximus passioni demonstrat, dicens ad Patrem: *Transeat a me calix iste. Verum, inquit, non quod ego volo, sed quod tu.*

C *Nunc autem in memetipso arescit anima mea, & possident me dies afflictionis.* Dies afflictionis ejus, dies sunt passionis. Inde ait Salvator in Evangelio, *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt. Nocte, quia vespere captus, per totam noctem scribis, & principibus sub interrogatione quæstionis auditus est. Vel noctem tristitiæ, & passionis, ait Dominus ad Apostolos, qui propter dilectionis, & caritatis meæ fortitudinem ossa dicuntur: aculeis doloris, timorisque compuncti, usque ad negationis
D noxam perforati sunt: id est, penetravit virtutem animi eorum titubatio fidei, ut ad horam tentationis in caritatis soliditate nutarent. Illi vero, qui me usque ad mortem persequendo videntur consumere, non dormiunt: id est, omni vigilantia mentis insistunt, ut ad me devorandum perveniant.

In multitudine eorum consumitur vestimenmentum meum. Convenientibus in unum Judæis, caro mea injuriis, clavis, cruce, morte confecta est.

Et quasi capitio tunicæ cinxerunt me. In necem meam omnes undique me velut ex-
E strangulantes circumdederunt, & ut me præfocarent in morte, tanquam ora capitii, fortibus videlicet laqueis, falsorum testimoniorum me cinxerunt, & intra passionem meam & crucem, quasi intra tunicam me incluserunt.

Comparatus sum luto, & assimilatus favillæ & cineri. Per mortem quam volens suscepi, comparatus sum vilibus, & peccato obnoxiis, atque in Adam Dei sententia condemnatis, cum ipse peccator non

sim, neque ita ut omnes peccatores fuerim natus.

Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me. Ita & in vicesimo primo Psalmo, in cruce clamavit ad Patrem: *Deus meus*, & reliqua: *Et clamabo per diem, & non exaudies*, & cætera. Hæc igitur verba dicuntur ex persona crucifixi: sicut & alia, quæ jam dixi superius. *Clamabo*, inquit, *per diem ad te*: id est, in rebus prosperis hujus vitæ, ut non mutentur: nec exaudis, in verbis delictorum. Clamabo & in nocte, id est, in adversis vitæ hujus clamabo, ut prosperentur, & similiter non exaudies. Neque hoc satis ad insipientiam mihi, sed potius ut sapiam quid clamare me velis: non verbis delictorum ex desiderio temporalis vitæ, sed verbis conversionis ad te in vitam æternam.

Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi. Dum Pater unico Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: crudelitatis species videbatur, quod erat piæ dispensationis affectus.

Elevasti me, & quasi super ventum ponens, elisisti me valide. Quod est, elevasti in cruce, & non credentibus Judæis, me allisisti.

Scio quia morti trades me: ubi constituta est domus omni viventi. Quia ante Domini resurrectionem, etiam justi in inferni partibus fuisse creduntur.

Verumtamen non ad consumptionem eorum emittis manum tuam, & si corruerint, ipse salvabis. Ad hoc utique morti trades me, ut non consumantur debita pœna, qui divina sententia morti æternæ sunt deputati: sed potius mea morte salventur. Quod autem dicit: Si corruerint, ipse salvabis: post gratiam baptismi, remedium salutis delinquentibus, per pœnitentiam repromittit.

Flebam quondam super eum qui afflictus erat. Duabus autem de caussis Salvator Jerusalem deflebat. Una est, qua pro conversis flens, Patrem orabat. Alia vero est, qua pro non credentibus dolens flebat: prævidens utique ut Deus ob incredulitatis duritiam perditionem eorum.

Et compatiebatur anima mea pauperi. Quomodo animæ sanctæ in Scripturis pauperes appellantur, non habentes superbiæ spiritum, vel peccata tanquam mundi hujus divitias. Ita e contrario omnes peccatores pauperes nuncupantur: eo quod superbiæ spiritu tumeant, & sint inopes sanctitate: de quibus in Psalmo canitur: *Sedentes in tenebris, & in umbra mortis: vinculis ligatos in mendicitate & ferro.* Ad deflendos hujusmodi pauperes, utpote dives in miserationibus Deus ex affectu misericordiæ tristitiam sustinebat.

Expectabam bona, & venerunt mihi mala. Expectabam ergo per patientiam, ut bonum conversionis eorum gaudens, super correctos perciperem. Sed illi divitias bonitatis meæ, & longanimitatis per contumaciam contemnentes, *thesaurizaverunt sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii mei.* Hæc igitur mala eorum, ad conspectum meum ventura sunt, ut reddam unicuique secundum opera sua.

Præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ. Lucem in eis fidei, & sanctorum operum præstolabar, & infidelitatis eorum ac vitiorum tenebræ prævaluerunt.

Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie. Sive quod dolore tactus, intrinsecus animus ejus sollicitudine, & anxietate ferbuerit, super eorum perditione: sive quod Verbo carne facto, & habitante in nomine Jesu Salvatore nostro, interiora ejus, id est, animæ illius motus sine cessatione, divino igne fervebant.

Prævenerunt me dies afflictionis. Dies afflictionis dies judicii erunt: in quibus prædictam gentem judicaturus sum. Sed tamen nunc, & in hoc tempore nimiis sceleribus suis prævenerunt me, ut secundum justum judicium meum reddam eis: sicut postea accidit in passione, quando a Romanis Jerusalem templumque subversum est.

Mœrens incedebam: sine furore consurgens in tenebris clamabam. Sine aliquo utique iracundiæ furore erat: quoniam donare atque concedere peccata eorum advenerat, non punire. Ait etiam Evangelista: *Stabat Jesus, & clamabat: Qui sitit veniat ad me, & bibat.*

Frater fui draconum, & socius struthionum. Judæos in Evangelio Dominus serpentes frequenter appellat, & viperas: ita dicens: *Serpentes, genimina viperarum.* Et Propheta ait: *Ova aspidum ruperunt*, cum malorum generationem multiplicari videret. Item: *Furor draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis.* Sed idcirco fratrem eorum se nuncupavit, quoniam de eorum genere secundum carnem est procreatus: de quibus in Psalmo ait: *Socer factus sum fratribus meis, & hospes filiis matris meæ.* Et quia secundum præsentem vitam, qua dum hic mortalis fuit, inter eos est conversatus, struthionum se socium dixit, id est, in eadem gente sua cum stultis, & insipientibus habitavit: sicut ipse Dominus in Evangelio: *Stulti & cæci.*

Cutis mea denigrata est super me. In cute, carnem suam, id est, Judæam gentem suam, unde Salvator carnem assumpsit, a parte totum dixisse intelligendus est. Quod autem super me ait, denigrata est cutis mea, ita est, velut si diceret, propter me, id est, in persona mea, odio persecutionum, & scelere blasphemiæ, peccatorum etiam infandorum criminibus, tetra ac nigra effecta est caro generis mei, & quasi Æthiopissa colorem nigredinis non amittens, & eo est infelicior, quod hanc nigredinem noctis & tenebrarum, *non in superfi-*

perficie corporis, sed in corde contraxit. A Unde ait Dominus per Prophetam: *Noctii assimilavi matrem vestram.*

Et ossa mea aruerunt præ caumate. Ossa corporis Ecclesiæ, cujus caput est Christus, sancti quidem omnes, sed præcipue Apostoli intelligendi sunt: quorum sanctitatis robore atque virtute, omnia membra infirmiora Ecclesiæ sustinentur. Horum igitur adeps pinguissimus caritatis, nimio persecutionis æstu in passione Salvatoris exæstuavit. De quibus ipse Dominus in Psalmo: *Et ossa mea sicut cremium aruerunt*, Item in alio Psalmo: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea*, ut ita Evangelista: *Et relicto Jesu, fugerunt discipuli.* Sed B rursum per confessionem nominis ejus caritate illius uberrima impinguati sunt: ut nullo postmodum quantolibet ferventi caumate persecutionum, fides Christi in eis, & bonum caritatis aresceret.

Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. In cithara & organo, lætitia & exultatio intelligitur. Quam Christus se habere demonstrat, quando super salute credentium delectatur, sicut ipse in Evangelio ait, ubi parabolam centum ovium ponit. de quibus unam ait perisse, & inventa ea, ait: *Amen dico vobis, quia plus gaudebit super eam, quam super cæteras nonaginta novem.* Itemque cum C renuntiassent Apostoli Domino, quia in nomine ejus plurimæ sanitates per eosdem factæ fuissent, ait Evangelista: *In illa hora exultavit Jesus in spiritu.* Hæc ergo musicorum nomina, cordis significant lætitiam, quæ super infidelium obduratione, versa est in tristitiam: sicut de eodem Domino ait Evangelista: *Et contristatus est super duritiam cordis eorum.* Ea vero quæ sequuntur usque ad finem parabolæ, quæ secundum virtutem sancti Job superius exposuimus, jam confessi sumus non posse nos secundum mysticos intellectus disserere. Si D autem quis possit illa allegoricæ interpretationi rationabiliter coaptare, assensum præbere, me fatebor.

Caput XXXI.

PEPIGI fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem omnipotens de excelsis? Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus injustitiam? Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Ab hinc usque ad finem, justitias suas, vel maxime E & misericordias atque virtutes enarrat, quas usque ad quindecim numeros digerit, velut vir perfectus, qui ascensus in corde suo disponens, per gradus quosdam profectuum usque ad domum Dei ascendendo pervenit. Ego, inquit, animo cum his obtutibus carnis meæ, definivi ac statui, ut nihil omnino turpe atque obscenum mihi intrinsecus nuntiarent, quod delectatione voluptatis, intra me in quis cogitationibus volverem. Senserat credo aliquando fortassis delectatione carnem suam, & voluptatibus illecebrarum titillari, & idcirco se continentiæ virtute præcinxerat, timens oculum Dei, cum scrutator cordis sit, & omnes vias conversationis humanæ, cunctosque gressus actuum mortalium noverit.

Si ambulavi in vanitate, & festinavit in dolo pes meus: appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam. Sanctus Job certus de æquitate justitiæ Dei, se manifestari optat hominibus. Non enim aliquid ignorat Deus, ut examinando cognoscat: sed sciat Deus, ita dixit beatus Job, ut scire alios faciat, secundum illud, *Tentat vos Deus Dominus, ut sciat utrum diligatis eum*: id est, ut scire cæteros faciat.

Si declinavi gressus meos de via, & si secutus est oculus meus cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula: seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur. Nihil mandatorum Dei, ait, præterii: quia nec cor meum acquiescens secutum est oculos meos, cum concupiscentiæ imagines ei offerrem, priusquam pactum cum ipsis haberem, ne quid intrinsecus turpe transmitterent. Unde nec in operibus manuum mearum ulla peccati macula potuit adhærere, & hoc ipsum cum quadam juramenti execratione confirmat.

Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii. Hoc enim nefas est, & iniquitas maxima: ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. Secundum naturæ bonum loquitur, quod in Tobia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Proinde ait, nefanda res est, & iniquitas maxima: hæc funesta ac detestabilia cogitare, vel facere, ignis est incentivæ libidinis, omnia bona virtutum devorans, atque universa in homine sanctarum rerum incrementa consumens.

Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Sive ut alii dixerunt, *apud me.*

Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo illi? Nunquid non in utero fecit me, qui respondebo illi? Nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit me in vulva unus? Magna humilitas sancti viri hujus, & magna futuri judicii cogitatio.

Si negavi quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci? Manifestum est.

Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Manifestum est.

Si despexi prætereuntem, quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est. Hoc dicto ostendit, quemadmodum opus mise-

misericordiæ fieri debeat, id est, ne aliis auferas, unde aliis recte dare te arbitreris. Unde Salomon ait: *Honora Deum de tuis justis laboribus*. Et Isaias: *Ego Dominus diligo udicium, & odio habeo rapinam in holocaustum*.

Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem: humerus meus a junctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringantur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui. In humero, opera: in brachio, virtutis perseverantia; atque instantia bonorum operum accipi potest. Nisi ita est, inquit, irriti ante Deum inveniantur omnes labores mei.

Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Si latatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea. Veræ homo philosophiæ, nullo vitio tenebatur, sicut nunc cupiditatis, & elationis contemptor fortissimus, aurum etiam pro nihilo se habuisse testatur.

Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & latatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, qua est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Tantæ virtutes, & tam præcipuæ nihil prosunt: quamvis quisque in eisdem perpetrandis sit sapiens, magnus, & clarus: si errorum stultitia teneatur. Non solum, inquit, quorumcumque idolorum culturis, verum etiam, nec horum pulchritudine ac species magnorum luminum delectatus sum: nec quasi adorans ea inter eorum venerationem osculatus sum manum meam; nec creaturam pro creatore veneratus sum, quod in Epistola ad Romanos sanctus Apostolus detestatur.

Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat: exultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus. Cum magnum sit, si de inimicis suis quis cum possit non studeat ulcisci, quanto apud Deum studiosius est de eorum ruina, nec in corde delectari.

Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, ut saturemur? Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Pro hospitalitatibus ejus, & virtute, qua & cæteri sancti Deo placuerunt, odium servorum contraxerat.

Si abscondi quasi homo peccatum meum, & calavi in sinu meo iniquitatem meam. De his peccatis tantum, quæ cogitationibus committuntur, hoc loco mihi dixisse videtur: eo quod nec ipsa cælare voluerit, quandoquidem secretorum suorum intima manifestaverit hominibus, se consensione iniqua cujuslibet peccati non fuisse participem.

Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium. Ad propinquorum suorum personam despicientium eum,

A locus hic pertinet, qui ei inter miserias calamitatum posito, indesinentes injurias irrogabant: contra quos sibi jurgantes posuit custodiam ori suo.

Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum. Quem librum sanctus Job demonstraturus cæteris, in humero suo, in loco videlicet cunctis conspicuo confert: eo quod libro pro laboris sui meritis velut corona gloriæ coronatus, per

B singulos gradus virtutum, sive profectuum suorum incrementa ante Deum recensendo, pronuntiat.

Si adversum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci ejus deflent. Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Terra, caro hominis recte sentitur. Hanc dicit beatus Job sibi adversariam non fuisse, necessario utique: quoniam bene sibi eam obedientem fecerat circa ornamenta virtutum. Cujus etiam sulcos metaphoricos appellat, qui sive propter bonos mores excolendos, sive propter

C continendam aquam verbi Dei, infusam divinitus terræ suæ, sulci ab eo dicti sunt: secundum illud Psalmistæ: *Sulcos ejus inebrians, multiplica generationes ejus*. Agricolas autem istos terræ suę, beatus Job sanctas cogitationes, ut arbitror, dixit: quibus vivus ager mentis suæ strenue colebatur. Quorum agricolarum ideo anima una ab eo refertur, ut advertamus unum eorumdem fuisse consensum. Non est hoc in moribus Sanctorum notabile, sive reprehensibile, quando seipsos laudant. Non enim jactantiæ vitio detinentur, ut in suis laudibus gloriam humanam requi-

D rant: sed faciunt hoc veritatis intentione, qua ante Deum simpliciter ac sinceriter vivunt.

Caput XXXII.

OMISERUNT autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur. Cedentibus adversariis, Job post multa prophetiæ suæ mysteria, & ipse finit sermonem. Quod autem dictum est, omiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur: scriptor hi-

E storiæ hujus, ex sensu respondentium dixit, eo quod justus sibi videretur, non ex judicio suo: cum referret, vel scriberet, quæ in præconium tanti viri stilo hæc suo posteriorum memoriæ commendabat.

Et iratus indignatusque est Heliu, filius Barachiel Buzites, de cognatione Ram. De progenie, & generatione Huz & Buz filiorum Nachor, & Melchæ, sororis Saræ, uxoris Abraham, nascitur Job, & Heliu. De Huz, Job nascitur, & de Buz hic Heliu: unde & Bruzites dicitur, qui fuit, sicut

sicut hic scribitur, filius Barachiel. Hunc igitur Helui, doctissimi Scripturarum dicunt ipsum esse Balaam hariolum, quem in Numerorum libro Balach, rex Moabitarum, ad Israelem maledicendum conduxerat: & hæc Scriptura refert, quod hic Heliu, de cognatione fuerat Ram, & hunc Ram, Abraham esse intelligamus: de cujus cognatione & familia Heliu fuerit procreatus. Hinc utique fratris sui, Nachor posteritas, procul dubio Abrahæ cognatio erit: ubi qui hunc librum scribit, quem Hebræi Mosen autumant, in generationis Heliu nominibus, nobilitatem nativitatis ejus voluit demonstrare. Quod autem in hoc libro Ram. quasi partito, sive diviso nomine, sanctus Abram dicitur: ita & in diversis locis Scriptura Dei, secundum incrementa in eo divinæ gratiæ nominat. Unde quando *Ram* dicitur, habeatur *excelsus*: quando vero *Abram*, proficiens in virtutibus, *pater excelsus* sit. Item cum fides ejus gentibus ad dominationem præponitur, Abraham, id est, *pater multarum gentium* appelletur. Hic igitur Heliu, sicut apparet, secundum bonum naturæ, homo justus videtur fuisse, qui & spiritum habuit prophetiæ: sed puto non eodem modo, vel eadem gratia, ut sancti Prophetæ. Unde & ipse Dominus, ad sanctum Job de eo locutus est: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* quod est, improperiis verbis atque inordinatis sermonibus, sensus propheticus narratur: ubi non reprobat Dominus quod Heliu loquitur, sed quod præpropere ab eo dicitur, hoc reprehendit. De hoc inquam Heliu, & sui similibus, & in principio libri hujus diximus, quod prophetiæ mysterio usi sint etiam, qui exorbitaverant a vera religione, quia & illis dedit Deus verbum suum, ut mysteria futura pronuntiarent hominibus: ubi maxime fides, & admiratio gentilium pendet, ut qui nostris nolunt credere Prophetis, credant saltem divinis, & vatibus suis. Hunc itaque Heliu, qui est Balaam, figuram habere gentium diximus, adversantium Christo, sicut & illos amicos beati Job, hæreticorum figuram. Quod autem ait, finita sunt verba Job: possumus intelligere tanquam dixerit, firmissime stabilita sunt verba divina, & irrita esse non possunt, quæ usque ad æternam promissionem fideliter credentes perducunt. Isti vero, qui justum virum, & sempiternum, præsumptione adinventorum dogmatum audent discutere, æterno quandoque silentio conticescent. Quod autem Heliu duobus nominibus vocitatur, non est mirum: familiare est hoc Scripturæ divinæ, ut Salomon Idida, & cognatus Mosi dictus est Jetro, & Raguel, & Petrus Simon. Unde non parvam obscuritatem hæc varietas nominum solet legentibus exhibere.

Iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram Deo. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job. Igitur Heliu expectavit Job loquentem: eo quod seniores essent qui loquebantur. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. Respondensque Helius filius Barachiel, Buzites, dixit. Videtur mihi quod hæc prius gesta sunt, quæ hic legimus, quam illa quæ in Numeris de hoc ipso Heliu, sive Balaam facta referuntur. Hic igitur Heliu qui ait Job & amicos ejus se expectasse loquentes, honoris ac reverentiæ caussa ostendit se fecisse quod fecit: senioribus scilicet deferendo. Jam hic ipsius Heliu verba sunt, ita dicentis:

Junior sum tempore, vos autem antiquiores: idcirco demisso capite, veritus sum indicare vobis meam sententiam. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam. Sed ut video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longævi sapientes: nec senes intelligunt judicium. Dicit hoc sibi magis videri, quia spiritu agantur homines, quibus Deus omnipotens sapientiæ suæ inspirationem tribuerit, quod in sugillationem prædictorum quasi ex obliquo dicit, veluti sibi soli hoc sapientiæ bonum concessum sit. Notandum quod hic Heliu, per quatuor locutiones, sicut textus lectionis docet, sibi ipsi succedit per quas singulas, vel priorum responsa, quasi eruditius retractare, vel singula loca asperius a sancto Job dicta, coram ipso destruere conatur. Nam post præfationem copiosam, in prima locutione sua, de sancti Job verbis hæc posuit, ita inquiens: Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus, & non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, & custodivit omnes semitas meas. In secunda locutione verba Job ita posuit, dicens: Justus sum, & Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me, mendacium est; violenta sagitta mea absque ullo peccato. Tertia locutio ejus ita habet, eodem Heliu dicente ad Job. Dixit enim, non tibi placet quod rectum est, id est, Deo dixit, ait, quid tibi prodest, si ego peccavero? Quarta vero locutio Heliu continet quod pro Deo locuturus, operatione sua Deum justum probare disponat, quod usque in finem quarti hujus sermonis sui inter Prophetiæ suæ mysteria acerrime, & cum summa instantia prosequitur, & non desistit.

Ideo dicam, audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. Expectavi enim sermonei vestros; audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus vestris. Quoniam vestra mihi jam facta est manifesta. Hoc ironicos ab eo dici, non dubium est, & ideo quia superius irisorie prudentiam dixerat amicorum Job, sequitur id aperte dicens.

Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam. Sed ut video, non est qui possit arguere Job, & respondere ex vobis sermonibus ejus.

ejus. Ne forte dicatis, invenimus ſapientiam, Deus projecit eum non homo. Nihil locutus eſt mihi, & ego non ſecundum ſermones veſtros reſpondebo illi. Extimuerunt, nec reſponderunt ultra: abſtuleruntque a ſe eloquium. Nullam, inquit, adverſum me Job habuit diſputationem: ſed neque ego illum, quemadmodum vos facitis, maledictionibus victorum, & opprobriis aggredior.

Quoniam igitur expectavi, & non ſunt locuti: ſteterunt, nec ultra reſponderunt, reſpondebo & ego partem meam, & oſtendam ſcientiam meam. Proinde & ego, Heliu ait, pro viribus meis reſpondere tentabo, & oſtendam vobis meam, & Job pariter ſcientiam quod ex jactantia vanitatis dicere eum ſatis apparet, cum ſubjungit:

Plenus ſum enim ſermonibus, & coarctat ſpiritus uteri mei. En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo; quod laguncu!as novas diſrumpit. Loquar & reſpirabo paululum: aperiam labia mea, & reſpondebo. Juxta anagogen ventrem ſuum, aut uterum, [illegible] ipſam memoriam ſuam dixit, eo quod pene omnes ſermones Job, & amicorum ejus, aliquandiu diſceptantium, velut cibos intra capacitatem ſuæ memoriæ congregaverit.

Non accipiam perſonam viri, & Deum homini non æquabo. Neſcio enim quandiu ſubſiſtam, & ſic poſt modicum tollat me factor meus. Juſti judicii mei, inquit, ſententia hæc eſt, ut nec homini parcam, vera dicendo: nec Deo injuriam faciam, ut eum injuſte aliquid contendam feciſſe.

Caput XXXIII.

AUDI *igitur Job eloquia mea, & omnes ſermones meos auſculta. Ecce aperui os meum, loquatur lingua mea in faucibus meis. Simplici corde meo ſermones mei, & ſententiam labia mea puram loquentur.* A Domino ita deſpicitur Heliu, cum ait de eo, quis eſt iſte? Indignum enim erat atque præpoſterum ut vir magnus, Deoque placidus, etiam ſi ut homo in aliquo deliquiſſet, ab ipſo corriperetur, qui longe a vera religione eſſet. Sed ſi movet forſitan quempiam, quia iſte Heliu multa de Salvatoris temporibus futura prædixit, quæ ut prophetiam ſuſcipiamus: ſciat quiſquis eſt, quem hoc movet, illa quæ ſpiritu Dei prædicta ſunt, ſuſcipienda a nobis & credenda. Hæc vero quæ elatione cordis ab eo depromta ſunt, reprobanda, quoniam de propriis ſuis, ut diabolus locutus eſt, non ex Deo.

Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis vivificavit me. Ut det auctoritatem ſe audiendi, ita locutus eſt, quando non poſſit non recta & vera dicere, is qui ſpiritu Dei factus ſit, & omnipotentis ſpiraculo animatus: ubi Trinitatis Deum intelligere debemus. In Deo enim nominat Patrem: in omnipotente Filium, in ſpiritu, Spiritum Sanctum. Trinitatis enim Deus creavit omnia; ſed quando ho-

A minem fecit, propria & ſpeciali quadam ſignificatione nominum, per diverſam operum nuncupationem ſe voluit demonſtrare: ita legiſlatore dicente: *Et creavit Deus hominem, ad imaginem Dei creavit eum: maſculum & feminam fecit eos.* Itemque: *Et fecit Deus hominem de limo terræ. Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*: ubi in faciente, & inſpirante, vel etiam benedicente, ſine ulla diſcretione, vel diſſonantia voluntatis, operatam Trinitatem ſentire debemus. Non enim refert aliquid, vel diverſum intelligere facit, verbum creavit, in-
B ſpiravit & benedixit: ubi ſecundum naturæ unitatem, una eſt voluntas opuſque commune.

Si potes, reſponde mihi, & adverſus faciem meam conſiſte: ecce & me ſicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus ſum. Veruntamen miraculum meum non te terreat, & eloquentia mea non ſit tibi gravis. Prolaturus verba ejus, reſponſionem depoſcit, ut ſub blandimento quodam, & conſolatione ſimulata, minarum terrorem incuteret, quo perturbatus Job, facile multiloquio ipſius cederet.

Dixiſti ergo in auribus meis, & vocem ver-
C *borum tuorum audivi. Mundus ſum ego, & abſque delicto immaculatus, & non eſt iniquitas in me.* Quod ergo Heliu ait Job: Hoc eſt ergo in quo non es juſtificatus, id eſt, accuſare debueras te, non laudare: non illud dicere: mundus ſum, ſine peccato, & immaculatus: iniquitas quoque non eſt in me. Hoc eſt, inquam, in quo non es juſtificatus, quia juſtificatio per humilitatem acquiritur. Laus vero elationis condemnationem meretur. Potuit quidem ut vir juſtus & de ſanctis operibus ſuis ſibi bene conſcius, audenter aliqua quæ vera ſunt, Deo dicere: non potuit tamen hæc quæ ei Heliu falſo objicit, velut ſacrilegus loqui.
D Denique illa, quæ dixiſſe Job dicit, ita inquiens:

Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus eſt me inimicum ſibi. Poſuit in nervo pedes meos: cuſtodivit omnes ſemitas meas. Hoc eſt ergo in quo non es juſtificatus. Non legimus hæc Job dixiſſe, quæ utique ex ſenſu ejus, quaſi a ſancto Job dicta, ſuis hic verbis compoſuit. Unde hunc potius non recte verba dicere noverimus, quam eumdem ſanctum Job dixiſſe credamus.

Reſpondebo tibi, quia major ſit Deus homine. Adverſus eum contendis, quod non ad omnia verba reſponderit tibi. Semel loquitur
E *Deus & ſecundo idipſum non repetit. Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, inſtruit diſciplina, ut avertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia, eruens animam ejus a corruptione, & vitam illius, ut non tranſeat in gladium.* Ab ipſo principio mundi, & deinceps ſemper locutus eſt Deus hominibus, & ſemel nihilominus loquitur, ſed ubi frequenter loqui

qui dicitur Deus, vel lex ejus multiplex, vel Prophetarum & mandatorum ejus diversitas indicatur. Ubi vero semel loqui significatur, stabilita ac definita ejus sententia demonstratur. Loqui enim Deum efficientiæ ejus res intelligitur. Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit, id est, non immutat Deus, nisi hoc ipsum vitæ nostræ mutatio depoposcerit: hoc loco de duobus quibusdam correptionum gradibus Heliu diligenter enarrat, & dicit quod eruditio divina, vel castigatio circa hominem, & in noctis visionibus fiat: itemque in lectulo: unde ait: Contabescere faciat hominem, donec ad vitæ hujus extrema perveniat. Et cum ab aliquo sancto pro eo fuerit interventum, ut fecit Isaias pro Ezechia rege, restituatur pristinæ sanitati. Et ait in subsequentibus, quod tribus vicibus hæc circa hominem operetur, id est, evidenter, & probabiliter, & confirmativo modo, vel propter trinumeri perfectionem, vel propter trium testium veritatem. Quo genere etiam patientiam Dei, clementiamque significat, quæ non statim, sed per partes, & per vices castigat, & arguit delinquentem: ubi ei nec præceptis veritatis judicium, nec inutilis remissio, nec injustitiæ imputatur iniquitas.

Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & anima illius cibus ante desiderabilis. Tabescet caro ejus, & ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus, ut annuntiet hominis æquitatem: miserebitur ejus, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem. Inveni in quo ei propitier. Sive ut alii dixerunt: *Accessit usque ad mortem anima ejus, & omnia ejus marcescere facit.* Cum per hæc itaque correctus homo atque consumtus, morti & infernalibus ministris appropinquaverit, si fuerit quispiam Sanctorum, qui nomen sancti angeli habere mereatur: is pro hujusmodi, qui pro peccatis suis a Deo ita corripitur, poterit impetrare: si tamen de multis operibus bonis, quæ operari debuerat, saltem unum bonum opus ejus, quod tanquam sacrificium pro eo placabile offerat Deo, valuerit invenire. Exaudiet, inquit, & jubebit, ut prædictus ad correptionem infernorum cruciatuum non descendat, eo quod vir magnus quidam exstiterit, cujus preces Deus non potuerit non audire. Et angelus quilibet de cælo assistens ante faciem Dei, potest pro quolibet peccatore in flagellis castigationum posito intercedere: ipsis enim est cura injuncta, a Deo, vel maxime, ut diversis hominibus, vel nationibus, defensionis, sive custodiæ suæ opem ferant. De quibus Apostolus: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi: propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Exemplum autem rerum præsentium, de quibus

A nunc loquimur, in Scripturis dominicis retinemus, ubi legimus, in somnis homines fuisse correptos, ut Nabuchodonosor regem superbissimum, & Laban, qui parentis sui Jacob interitum disponebat, & Abimelech regem, qui sancti Abrahæ domum contaminare tentabat, & uxorem Pilati, quæ ait ad eum de Domino nostro Jesu Christo, *Nihil tibi & justo illi: multa enim passa sum per somnium propter eum.* Et Magi in Evangelio in somnis admoniti, per aliam viam egrediuntur. Fideles etiam viri a Deo in somnis instruuntur, ut Jacob Patriarcha, & alios legimus infirmatos esse propter

B peccata, de quibus illum paralyticum fuisse discimus, cui ait Dominus: *Remittuntur tibi peccata tua.* Legimus & sanctos ægros fuisse, ut Trophimum, & Epaphroditum: quos utique velut justos tali castigatione examinatos credere debemus: non ut peccatores infirmitatis verbere flagellatos. Sequitur:

Consumta est caro ejus a suppliciis: revertatur ad dies adolescentiæ suæ. Recepit, inquit, mala pro meritis suis, & suppliciorum atque pœnarum mensuram: sufficiant hæc ei verbera castigationis, quibus revocatus est ad emendationem: nunc indulgen-

C tia divinæ pietatis, ad dies adolescentiæ revertatur, id est, sit iterum sanus atque incolumis.

Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit, & videbit faciem ejus in jubilo, & reddet homini justitiam suam. Quod interim corde fit, cum per Deum bonum conscientiæ possideatur. Videbit autem Dei faciem, propitium sibi vultum illius sentiens, redditurus ei digna satisfactione justitiam.

Respiciet homines, & dicet: Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus non recepi. Magna res est, Deoque plurimum acceptabilis ut homo errores suos confiteri non erube-

D scat: præsertim si pro eis se intelligat castigari, & ita se humiliet, ut quidquid castigationis sustinuerit, pro meritis suis parum se passum pronuntiet.

Liberavit animam suam ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viventium. Id est, agnitionis Dei lucem, & immensa beneficia illuminatus agnosceret.

Attende Job, & audi me, & tace dum ego loquor. Si autem habes, quid loquaris: responde mihi. Loquere, volo enim te apparere ju-

E *stum. Quod si non habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.* Quasi hac ratione Heliu sanctum Job convicerit, ait illi: *Audi me*, id est, docenti te obediens esto, & præbe consensum. Quod autem dicit, ut taceat: eloquentem & tanquam minus eruditum, vel impatientem jubet ut sileat.

Caput XXXIV.

PRONUNTIANS *itaque Heliu, etiam hæc locutus est*. Quasi sententiam Heliu pronuntiare dicitur, & præsentes amicos sancti Job ad audiendum se cohortatur.

Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. Auris enim verba probat, & guttur escas gustus dijudicat. Quemadmodum igitur, inquit, a faucibus ciborum sapor dignoscitur: Et idcirco, ait Heliu:

Judicium eligamus nobis, & inter nos videamus, quid sit melius. Id est, prius discutiamus, antequam hominem condemnemus.

Quia dixit Job: justus sum. Non sermonem hunc Job dixit, sed dum virtutes justitiarum suarum notas fecit, justum proculdubio se esse monstravit, quem & Dominus justum jam dixerat. Quod hic dicitur:

Et Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me, mendacium est, & violenta sagitta mea absque ullo peccato. Similiter & hoc ipsum non legimus, sed scriptum tenemus: *Vivit Deus, qui abstulit judicium meum*. Subvertere autem judicium, ad iniquitatem respicit judicantis: abstulisse vero judicium, id est, pro tempore distulisse, ad dispensationem justi judicis pertinet. *Et multiplicavit vulnera mea etiam sine causa*. Proinde hoc loco asserente Heliu, hic esse sensus videtur, quod cum Job ita [dixerit, fefellit Deum judicium meum, non recte & vere judicavit, & ideo erga me mendacio agitur. Quæ autem locutus est Job, magis incaute, & præsumens de justitia Dei dixisse credendus est. Proinde juste ei, & merito Deus ait: Utique qui arguit Deum, debet respondere ei: in quibus utique verbis Dei increpatur. Hoc resonat, quod beatus Job non recte aliqua sit locutus, sed qui optime noverat, quod bona in eo plurima essent, unde & illi placuerat, concedit ea quæ immoderatus eum loqui in summis angustiis dolor compulit.]

Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis? Cujus viscera tanquam aquæ abundantia, veneno hujus passionis impleta sunt.

Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo. Invidiose de eo sanctum Job locutum fuisse mentitur, quia beatum Job tam infeliciter sapuisse non credimus, sed nec alicubi eum hoc dixisse meminimus.

Ideo viri cordati, audite me: absit a Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subvertet judicium. Quasi exposita impietate sancti Job, & in medio audientium prolata in invidiam Job, quasi impia sit locutus.

Quem constituit alium super terram: aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? A Id est, nunquid alium rectorem posuit, qui a creatoris justitia discreparet. Ipse ergo quam potens conditor, tam pius est moderator, quia opus suum agnoscit, & diligit.

Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur. Id est, mundi: nam si omnia quæ in eo quotidie geruntur, secundum regulam justitiæ suæ voluerit intueri, deficiet ac peribit; sed cum pietate potius gubernat ac sustinet. Nam si iniquitatem observaverit, quis sustinebit? Spiritum dixit animam, quæ vi- B vificat hominem, & flatum, ipsam præsentem vitam, quæ corporibus nostris per anhelitum ex hoc aere ministratur. Hæc ergo Heliu dicit ad se trahere Deum, cum aufert hominibus vitam, quam eis creando tribuerat. Possunt per spiritum prophetiæ hæc loca ita videri figurata, ut nunc in Christo compleantur, quando dispensatione carnis assumptæ, pater eumdem Filium suum, per quem omnia fecit, ad hunc mundum ex suo eructuatum corde direxit, ut spiritum ejus & flatum ad se traheret, id est, ut auferret ab eo, per humilitatem crucis, [spiritum, id est, super- C biam spiritus mundialis: flatum quoque tumentis eloquii, quo anhelans gloriabatur in sermonibus suis. Sic quoque homo in se represso tumore deficeret: ac revertens in seipsum, cognosceret se terram esse [& cinerem: ubi secundum moralem intelligentiam], illud de Psalmo sentimus: *Et auferes spiritum eorum, & deficient, & in terram suam convertentur*. Postea ergo quam de virtute Dei, & justitia prædictis locutus est, Heliu se rursum ad Job convertens, dicit:

Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur & ausculta vocem eloquii mei. Nunquid qui D *non amat judicium, sanari potest? Et quando tu eum qui justus est, intantum condemnas? Qui dicit regi, apostata: qui vocat duces impios*. Manifestum est, inquit, quia is qui juste & recte judicare non diligit: neque sanare a vitiis animam, neque corrigere quemquam potest: & quomodo tu sanator es languorum nostrorum, qui iniquitates notare præsumis?

Qui non accipit personas principum, nec cognovit tyrannum, dum disceptaret contra pauperem. Opus enim manuum ejus sunt universi. Secundum mysticos intellectus, principes isti Judæorum, Scribæ & Pharisæi, & sacerdotes possunt intelligi: quos in Evan- E gelio increpat. Tyrannum vero eumdem populum Judæorum, non ab re esse sentiamus, qui contra cœtum sanctorum Ecclesiæ, pauperem, humilem spiritu, contritum corde, rejiciendo hodie disceptat: quod facere & tempore Apostolorum non desinebat, quando per omnes civitates contra eos pugnas, & seditiones agebat. Hos igitur ut infideles & impios Dominus non cognoscet: quibusque etiam manifeste dicturus est: *Non novi vos: disceditе a me*

a me omnes qui operamini iniquitatem. Sequitur dicente Heliu de his, de quibus dicit superius:

Subito morientur, & in media nocte. Secundum sensum Apostoli est, qui ait istud de filiis tenebrarum. Cum enim dixerit pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Mediam vero noctem dictam ideo existimo, eo quod in profunda cordis cæcitate positi, spiritualiter moriantur.

Turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu. Oculi enim ejus super vias hominum: & omnes gressus eorum considerat. Secundum Psalmistam: *Cum viderit*, inquit, *justus vindictam impiorum*, exemplum videlicet peccatorum hominum pertimescens, *manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. Hoc igitur modo turbabuntur populi, qua perturbatione terram sensibilem legimus conturbatam: sicut Propheta ait ad Deum: *Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus quia mota est*. Sic enim quasi boni viatores ad futurum sæculum pertransibunt, ubi locus non erit impio: aliter nullum habebit adjutorium violentus, quo defendi, vel erui possit a pertrahentibus eum ad supplicium mortis.

Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis: ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. Sive ut alii dixerunt in fine hujus versiculi, ut latitent qui faciunt iniquitatem. Quod utrumque secundum illud Psalmistæ sensum est, ita dicentis: *Quo ibo a spiritu tuo, & a facie tua quo fugiam?*

Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium. Id est, si habuerit in potestate ut veniat, potest habere ut non veniat.

Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Ut de Heli sacerdote & Samuele, Saul & David, Judæorum populo & gentium.

Novit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur. Quasi impios percussit eos in loco videntium. Sub his quoque verbis Heliu significasse potuit ob merita sua Judæos nocte infidelitatis excæcandos, ut conterantur & humilientur, sicut Propheta & Apostolus ait: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis*.

Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt, ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum. Omnes enim peccatores, & impii contra inditum sibi bonum naturæ agunt: sicut Apostolus ait: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Ubi autem cognoverunt Deum, nisi inspiratione, & judicio mentis? Ubi ergo Deo gloriam suam habuerunt contemptui: ubi ab ea contra suam conscientiam recesserunt, omnesque vias mandatorum Dei, quas suis cordibus habent ingenitas, nosse & intelligere detrectarunt, cum hominibus quoque ita impie, & injuste egerunt, ut ad Deum pauperum oppressorum clamor ascenderit. Sive A Judæos impios atque incredulos percussit Deus in loco videntium, id est, in lege Mosaica: ubi Prophetæ, qui videntes dicti sunt, inhabitant. In ipsa itaque spe legis, & promissorum compositione, tanquam in quodam videntium loco, juste percussi a Deo sunt: tantum ut oratio illius, qui propter nos pauper factus est cum esset dives, ascenderet ad Deum: *Disperge illos in virtute tua*. Sive viventes sunt omnes, qui in Christo ex fide vivunt: in hac enim spe positi, mente contemplantur futuram beatitudinem. In hoc igitur loco, ubi quasi fide stantes sunt, quidam B sub fidei hujus vocabulo, habent speciem pietatis: virtutem autem ejus sunt abnegantes. Hi ipsi igitur, qui hæretici intelliguntur, in loco Dei male stantes, a Deo percutiuntur, Apostolis & Ecclesiarum doctoribus, id est, pauperibus Christi contra eos resistentibus, & ad Deum clamantibus.

Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Propheta ait ad populum: *Orate pro vita Nabuchodonosor, ut illius pace sit pax vobis*. Sive pacem Ecclesiæ, & quietem ipse concedit, quando non surgunt adversus eam pugnæ persecutionum, sive quan- C do hæreticorum lites, & scandala conquiescunt. Nec non contra vitiorum bella, quietis & pacis silentium ipse donat: quando devictis eis, & velut acerrimis hostibus expugnatis, pax fit in homine summa virtutum. Quod autem ait:

Ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum? Et super gentes, & super omnes homines. Hoc est, quod nisi ipse dignatus fuerit se homini revelare: quis est qui possit eum suis viribus intueri, vel perscrutando ad majestatem ejus accedere.

Qui regnare facit hominem hypocritam pro- D *pter peccata populi*. Quod manifeste in Saule rege apparuit, & sicut Dominus ait: *Auferam de Jerusalem judicem, & Prophetam, & sapientem, & consiliarium: & dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis*. Et Nabuchodonosor justo judicio Dei, multa regna, & plurimas nationes accepit. Potest, & diabolus homo iste intelligi, qui perdita angelica dignitate, hominis nomen sortitus est: de quo Dominus ait in Evangelio: *Inimicus homo hoc fecit*. Hypocrita vero, & simulator ideo est appellatus, quoniam transfigurat se in angelum lucis: cum ipse potius auctor sit tenebrarum, id est, E omnium criminum, & peccatorum inventor.

Quia ergo ego locutus sum ad Deum: te quoque non prohibebo. Quasi in judicio constitutum, permittit eum interloqui, ut si quid forte sibi est dicendum, non taceat.

Si erravi, tu doce me. Si iniquitatem locutus sum: ultra non addam. Id est, non loquar.

Nunquid a te Deus expetit eam, quia displicuit tibi? Tu enim cœpisti loqui, & non ego. Quod si quid nosti melius, loquere. Tu dixisti.

sti quod iniquus esset Deus: quia a te iniquitatem, & injustitiam vitæ, injusta correptione exigeret, cui necesse esset injuste afflictum contra eum loqui injusta, & ob hoc (inquit) displicuit tibi Deus dum ejus justitiam, qua te punit insontem, non vis veram esse justitiam. A

Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me. Heliu sanctum Job despiciens, convertit se ad eos qui cominus assistebant, & ita de beato Job definite pronuntians, ait ad eos.

Job autem stulte locutus est, & verba illius non sonant disciplinam. Manifestum est.

Pater mi. Quia ab ipso est homo creatus, & conditus. Probetur Job, inquit Heliu: non examinetur, quod solet ad probationem eruditionis referri. B

Probetur Job. Id est, manifestetur: probatum sit omnibus, cunctisque pateat, Job qualis sit: ante te probetur, inquam, Job.

Usque ad finem. Ne desinas ab homine iniquitatis. Id est, insit in eo jugiter plaga flagelli hujus: neque desinas infligere pœnas operantibus iniquitatem.

Qui addidit super peccata sua blasphemiam. Id est super hoc quod peccator est, addit ad cumulum peccatorum, ut in blasphemiæ crimen erumpat, propter quod mala hæc cruciatuum sustinet. C

Inter nos interim constringatur, & tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum. Condemnetur inter nos interim, ne & nobis in injustitiam reputetur: absque crimine nostro erit, si postmodum Deum provocare tentaverit.

Caput XXXV.

IGITUR *Heliu hæc rursum locutus est: Numquid æqua videtur tibi tua cogitatio, ut diceres: justior Deo sum? Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est, vel quid tibi proderit, si ego peccavero?* Fieri potest, quod de sermonibus ubi asperius locutus est ad Deum, quam forsitan debuit, aliqua inde hic Heliu descripserit, & verborum suorum invidiose quasi sensus illius dicere voluerit. D

Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum. Pro eo quod non potuerunt ei rationabiliter respondere.

Suspice ad cælum, & intuere ei, & contemplare æthera, quod altior te sit. Id est, cui te æquare præsumis? Hoc ait Heliu, qui Deum corporaliter locis contineri arbitrabatur: quod in excelsis tantum atque in sublimibus Deus Dominus commoretur. E

Proinde si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Quod ita dixisse mihi videtur, non enim, te peccante, Deo damni aliquid infertur: aut si pro multitudine peccatorum tuorum ulcisci te voluerit, nunquid poteris ei contraire?

Porro si juste egeris, quid donabis, aut quid de manu tua accipiet? Hinc David dicit, quoniam bonorum meorum non eges.

Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua, & filium hominis adjuvabit justitia tua. Id est, homini nocere poterit impietas tua, si male agentem te æmulatus fuerit: quemadmodum filium hominis justitia tua adjuvabit, si vias tuas, cum recte incedis, imitetur.

Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. Sub hac qualitate disputationis suæ, Heliu sanctum Job talibus admiscet: eisque similem judicat, dum calumniatores & tyrannos, iniquos homines nominat, quorum calumniis, & potentia, homo, & filius hominis oppressi ingemiscunt. Et modo spiritualiter hunc hominem, & filium hominis, populum sanctum non absurde sentimus, qui propter unitatem totius corporis Ecclesiæ, homo unus dicitur, sicut Apostolus ait, & secundum Psalmistam *filius hominis* appellatur, ita dicentem: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi.* Potest hoc & de invisibilibus inimicis dici: qui occulta impugnatione vitiorum, mentibus dominantur: propter quod fideles ejulantes in oratione ad Deum dicunt: *Eripe me de inimicis meis, Deus meus.*

Et non dixit. Quando utique affligebant prædictos, quos sibi per iniquam dominationem, Deo permittente, subegerant: ita ut hi sub tanta necessitate pressurarum positi ejularent, & clamarent ad Deum: illi non intenderunt animo, neque intenderunt in cælum, ut saperent quod Deo conditori suo hæc omnia displicerent. Non dixit inquam apud semetipsam talia multitudo iniquorum, sive dæmonum.

Ubi est Deus qui fecit me? qui dedit carmina in nocte. Hoc ait Heliu. Cum ergo justos & recte viventes a supra dictis Deus tribulari permittat: consolationem tamen eis in nocte tribulationum concedit. Nox enim ipsa tribulatio intelligitur, secundum illud Psalmistæ: *Probasti cor meum & visitasti me in nocte*; sicut & prosperitas aliquando dies dicitur, quoniam qui in prosperis est, quasi quadam felicitate illuminatur. Unde ait in Psalmo: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Tantam, inquit Heliu, tolerantiam justi homines a Deo accipiunt, ut etiam in nocte tribulationis, hymnorum spiritualium canticis delectentur. Canticum ergo ad exultationem cordis, vel maxime pertinet. Proinde hæc exultatio de spe futuri gaudii nascitur in corde canentium, & faciunt more viatorum, quia ipsi ut viatores, & peregrini transeunt per hunc mundum, qui ut ad destinatum sibi locum sine labore perveniant, cantico fatigationem itineris consolantur ac sublevant. Et juxta mysticos intellectus, noctem, secretum quoddam, ac divinæ disputationis remotum silentium intelligamus, quod aliis sæculis,

lis, ficut Apoftolus ait, *non fuit revelatum filiis hominum*. Quæ nox fit in quatuor vigilias diftributa, ut a principio mundi ufque ad Chriftum Dominum noftrum hanc noctem dicamus, ut fit prima vigilia noctis hujus, ipfe Adam primus, & pater omnium: per cujus conditionem evigilet animus humanus, ut credat creatorem omnium rerum Deum. Secunda vero vigilia fit tempore Noe, quo naufragium mundi factum fit, ut evigilent homines, ne & ipfi intereant. Tertia autem vigilia fancti Abrahæ temporibus habeatur, per quem cognofcat mundus, quemadmodum fit fide vivendum, & Deo placendum. Quarta vero vigilia fit circa tempora Prophetarum, qui auroræ & lumini diei appropinquantis viciniores fuerunt, quique in ipfum Chriftum proximum fibi diem pene electam noctem, fidei oculis intendebant. In hac igitur nocte per fingula tempora prædictorum, five prophetiis, five fignificationibus, de Chrifto læta gaudioque plena prænuntiata funt. Itemque ad illam comparationem futuræ revelationis filiorum Dei, ubi gloriam æterni illius diei percepturi funt, & in re ipfa beatitudinem poffeffuri: nox eft præfens hæc vita, cui fructus fui in futurum abfconditi funt, & ideo adhuc nox eft, quia nondum vides quod fperas. Proinde in hac nocte expectationis, hymni & cantica Scripturarum dicta funt nobis, donec difcuffa nocte fidei ad diem æternæ manfionis perveniamus.

Qui docet nos fuper jumenta terræ, & fuper volucres cæli erudit nos. Docet in communibus eruditum, fubtilioribus: docet non folum per naturæ dona, fed etiam per gratiæ munera. Secundum tropicum vero intellectum, jumenta, homines carnales plerumque intelliguntur, qui gulæ & ventri, & luxuriæ dediti funt. Alii autem volatilibus comparantur, five propter levitatem morum, five propter fuperbiam, qua tumentes quafi in altum elevantur. Unde dicit Apoftolus: *Noli altum fapere*. Et Dominus in Evangelio: *Quia quod eft in hominibus altum, abominatio eft ante Deum*. Nam in Græco fuperbus [illegible] dicitur, quod eft *fuper apparens*, ut elatam mentem hominis, tumidamque fignificet.

Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter fuperbiam malorum. Quod dixit, ibi clamabunt, fortaffis fignificare voluit locum pœnarum, ubi non exaudiendi funt peccatores, propter fuperbiam malorum: five ut alii dixerunt, *ab injuriis malorum*, quia mali bonis, & juftis infectationis injurias irrogare non definunt.

Non ergo fruftra audiet Deus, & omnipotens cauffas fingulorum intuebitur. Hoc ait, quod peccatores perfiftentes in malis fuis, non audiat Deus: quoniam fine cauffa utique ad eum clament, qui non merentur audiri.

Etiam cum dixeris, non confiderat: judicare coram illo, & expecta eum. Quando vides, o Job, quia non ftatim Deus reddit pec- A catoribus quæ merentur: noli pufillanimitate frangi, ut in blafphemiam erumpas, & dicas Deum injuftum, five iniquum: fed judicare cum eo debes, id eft, judiciis ejus confentire, non contra eum præfumtuofo judicio tuo in ejus injuriam profilire.

Nunc enim non infert furorem fuum: nec ulcifcitur fcelus valde. Quoniam igitur ftatuit diem, in quo judicet de orbe terrarum, idcirco in hoc tempore vindictam juftitiæ fuæ non generaliter exercet. Et hoc totum in exprobrationem fancti Job loquitur, quem velut reum criminum in B hoc malum pœnarum, Dei fententia pro parte condemnat. Unde fcribit, cui reftent plurima, quæ adhuc fit poftmodum recepturus.

Ergo Job fruftra aperit os fuum, & abfque fcientia verba multiplicat. Juxta hæc convictum fanctum Job Heliu arbitratur, & quadam verborum ratione conclufum.

Caput XXXVI.

ADDENS *quoque Heliu hæc locutus eft: Suftine me paululum, & indicabo tibi. Adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.* Id C eft, pro juftitia, & cauffa Dei.

Repetam fcientiam meam a principio, & operatorem meum probabo juftum. Vere enim abfque mendacio fermonis mei, & perfecta fcientia probabitur tibi. Et in hoc quarto fermone fuo, de fingulari juftitia Domini, profundo nimium, & copiofo fermone profequitur: ubi multa arcana in obfcuro facramentorum recondita, & longe remota myfteria dicere videtur.

Deus potentes non abjicit, cum & ipfe fis potens: fed non falvat impios. Hæc eft juftitiæ ejus immenfitas, & naturæ bonæ voluntas, ut nulli invideat, quia nemo ei quamvis D potens fit, poteft coæquari.

Et judicium pauperibus tribuit. Juxta juftitiæ æquitatis fuæ tenorem. Sanctos autem, & innocentes viros confuevit Scriptura divina pauperes appellare.

Non auferet a jufto oculos fuos. Hoc ait, & beatus David: *Oculi Domini fuper juftos*, &c.

Et reges in folio collocat in perpetuum, & illic eriguntur. Hic reges non folum fæculi hujus, fed & Ecclefiæ reges, & præpofiti intelligi poffunt. Et fecundum tropicos intellectus, reges, animi hominum funt, qui corporibus recte dominantur, quibus in Pfalmo dicitur. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* Ita hi reges E eriguntur a Deo, ut fedeant cum principibus.

Et fi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis: indicabit eis opera eorum, & fcelera eorum, quia violenti fuerunt. Hi igitur in catenis fortibus, videlicet judicis Dei, & paupertatis funibus colligantur: id eft, opem divini auxilii non habentes, pœnis temporalibus quafi vinculis aftringentur, omnis rei bonæ inopes effecti pro qualitate meritorum.

Reve-

Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut revertantur ab iniquitate. Aurem, inquit, cordis ad obediendum sibi Deus per castigationes, & secretas inspirationes aperiet.

Si audierint & observaverint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Hoc est quod Salomon ait: *Memoria justi cum laudibus.*

Si autem non audierint: transibunt per gladium & consummentur in stultitia. Id est, si instruente Deo, qui docet hominem scientiam, audire contempserint, per gladium, id est, per hanc mortalitatem de hoc sæculo præteribunt, ut in stultitia, id est, B in illis locis, ubi stulti deputabuntur, qui dicunt in corde suo, *non est Deus*, æternis cruciatibus consummantur.

Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Ipsum sanctum Job apertius in hoc videtur Heliu quasi ex obliquo percutere, quod & ipse quasi callide, & nequiter ageret: virum quoque egregium simularet. Quique etiam cum esset vinctus plagæ hujus compedibus, clamare ad Deum, & invocare eum, ut a laqueis pœnalibus illigatus absolveretur, minime curaret, quod utique desperatione sive contemptu faceret. De cæteris quoque C peccatoribus similiter hoc ipsum potest intelligi, qui cum venerint in profundum malorum, contemnent: & de Judæis, & de hæreticis, qui ficta dogmata quasi veritatis velamine operientes, in noctis perfidia obstinato, & obturato corde persistunt.

Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos. Vitiosos & vitia esse noverimus, quæ sicut de virtutibus animi nihil in se habent quietum, virile, & frugi, sed totum turbulentum, remissum & fragile: ita necesse est ut velut tempestate animam semper suis illecebris inquietent, D portumque virtutum hominem non sinant apprehendere, & fit istis talibus fluctibus, quod Salomon ait, ut jaceat anima tanquam in corde maris, & velut gubernator in magna tempestate. Vel aliter, tempestas adventus ac judicium Dei est, de quo dicit, *in circumitu ejus tempestas valida.*

Eripiet de angustia sua pauperem. Pauperem Salvatorem nostrum intelligimus, qui propter nos pauper factus est, qui in diebus carnis suæ, preces ac supplicationes Patri obtulit, ut posset a morte salvum facere pauperem, sanctum populum Dei humilem spiritu. Vel pauperem quemlibet E justorum, eruet de angustia pressurarum, sicut etiam in divinis Scripturis diverso modo legimus liberatos.

Et revelabit in tribulatione aurem ejus. Id est, fortis fit unusquisque eorum in tribulatione, corroborante visitatione divina, quando a Deo homo tribulari permittitur, consolationem in aure cordis Domini, illic audiendo percipiet.

Igitur salvabit te de ore angusto latissime, & non habente fundamentum subter se. Hoc A in loco infernorum habitacula ab Heliu describuntur, quæ immensa capacitate sui, fundamentum non habeant. Ad quorum tamen fundamenta in Prophetis legimus, luciferum qui mane oriebatur depositum: multitudines quoque regum, & populos innumerabiles gentium. Ore autem angusto inferi ideo appellantur, eo quod amplum sit ad recipiendum, angustum ad dimittendum quoniam mortuos intra se teneant, & eos ad vitam non patiantur exire. David quoque sanctus similiter ait ad Deum: *Libera me ex odientibus me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.* Proinde noverimus quia loca infernalium ergastulorum, secundum fidem Scripturarum, inter immensas abyssi aquas sint constituta: ab illis inferi sedibus nullus homo merito suo liberatus est, nisi gratia Domini nostri Jesu Christi. Et non solum, inquit Heliu, a tartareis angustiis liberaberis: verum etiam in latissimo refrigerii nemore, velut in campis spatiosis liber incedes.

Requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine. Amœnitatem paradisi, & jucunditatem, requiem nominando significavit. Immensam vero abundantiam vitæ beatæ, quæ esset plena ubertatis pinguedine, ac loci illius felicis referta delitiis, voluit demonstrare: cujus terram sanctam mansueti secundum repromissionem Domini possidebunt.

Caussa tua quasi impii judicata est, caussam judiciumque recipies. Judicio Dei ut impius, & pœnarum debitor reus inventus es, & idcirco secundum meritum caussæ tuæ, judicium severissimum recepisti. Et ubi dictum est caussam judiciumque recipies, alii dixerunt, *propter impietatem munerum*, quæ accipiebant: ubi sub pluralitate locutionis, sanctum Job Heliu videtur ferire sermonibus.

Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te. Docetur ab Heliu vir patientiæ, & integritatis virtute fortissimus. Optimus judex est, qui his pessimis iracundia, & cupiditate, duobus vitiis non tenetur: quibus hoc loco ab Heliu sanctus vir correptus arguitur.

Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine. Id est, nec parvos nec magnos tua injusta opprimas dominatione, vel omnes motus depone fortitudine superbiæ roboratus.

Ne protrahas noctem, ut ascendant populi pro eis. Jam sufficit hucusque in hac cæcitate vixisse. Jam ad lucem prudentiæ ac justitiæ venire contende: sive noctem quam tibi ex diversis peccatis contexuisti, ut in ea velut in continuis ac jugibus, & perpetuis tenebris ambulares: jam quæso ait, ne adhuc protrahas, & tanquam restem addendo peccata peccatis, in longum delecteris extendere: lumine ergo correptionis hujus jam finem talibus impone peccatis: nam protractione hac, inemendabilis vita tua fiet, ut pro omnibus

malis operibus tuis, populorum' preces ascendant ad Deum: quos utique iniquissime deprimebas, interpellantium contra te, suasque miserias sibi a te irrogatas, ante sedem divinæ justitiæ deponentium.

Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cepisti sequi post miseriam. Hoc, inquit Heliu, ne in desperationem declines peto, & blasphemiæ iniquitatem jam caveas, sed reverti festines ad Deum. Video enim te post hujus plagæ tuæ horrendam miseriam, ad interitum tuum, hanc impietatis sequi velle perniciem, & voluntatem tuam, & cogitationem, ad adversarium mittere pusillanimitate dejectum.

Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Si poterit ei esse quispiam, & potentia & virtute similis, poterit & justitia atque sapientia, legisque multiplicatione, judiciis quoque ejus similis inveniri. Et ideo cognosce ait: quia nullus a Deo, qui solus est & fortis & sapiens, injuste poterit condemnari.

Quis poterit scrutari vias ejus. Quis utique, nisi impius, superbus, sive sacrilegus, vias divinorum operum scrutari præsumat, quod non licet, & tamen quantavis intentione mentis perquirat, eas invenire non poterit.

Aut quis audet ei dicere: Operatus es iniquitatem? Quis ergo tam temerarius, & iniquus atque injustus, qui hoc audeat loqui? Hæc omnia in injuriam Job dicuntur.

Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri. Vel omne generale opus ejus, vel certe speciale opus ejus. Super omnia enim magna, & mirabilia opera ejus, est dispensationis Christi mysterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Alii dixerunt: *Memento, quia magna sint ejus opera, quæ laudaverunt viri.* De omnibus operibus Dei dicit, quæ sancti viri in honorem divinæ venerationis merito laudaverunt.

Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul. Per naturæ bonum, notitia creatoris inest cordibus hominum, & quamvis aliquis tam parvus sit & frigidus, ut alienus esse studeat a creatore suo Deo, nullus tamen est qui se abscondit a calore ejus. Et ideo unusquisque mortalium, licet de longe, sentit & intelligit, dissimiliter quidem omnino, quia non tanquam corpus aut sicut quemcumque spiritum creatum, ita sentit esse Deum, sive intelligit, sed alio multo & ineffabili modo, quo Deus acie mentis est intuendus: ubi in ipso obtutu cordis intelligendo, videt homo quod supra ipsum est illud divinum nomen, quod contemplari conatur.

Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. Numerus annorum ejus inæstimabilis. Vincens scientiam nostram magnitudine scientiæ suæ, & altitudine judiciorum suorum.

Qui aufert stillas pluviæ, & effundit imbres ad instar gurgitum. Hanc ergo pluviam, legem Moysi intelligamus, quæ de cælo velut pluvia venit populo Judæorum. Et

A pluvia dicta est propter præceptorum multitudinem, sicut & ipse Moyses de eadem gente Judæorum ait, dicens: *Expectetur sicut pluvia eloquium meum.* Hujus igitur pluviæ stillas de illa gente abstulit Deus, ut est vel de incarnatione vel passione, vel de resurrectione Christi, quæ Judæi credere excæcato corde noluerunt, quæ sunt parva quidem mandata legalia, ut ea ad Evangelii fidem transferret, sicut ait Apostolus: *Verbum enim consummans, & brevians in iniquitate,* & reliqua. Et de his stillis, parvisque guttis, tonante Evangelio, prædicationis Christi imbres effusi sunt
B super terram. Et hi imbres ad instar gurgitum esse dicuntur: qui utique cum in terram copiose descendant, profunditatem in se, & obscuritatem continent mysteriorum, quæ in Lege, & Prophetis per figuras, & similitudines dicta vel facta sunt, in revelatione adventus Domini, obscuritate sui & profunditate mysteriorum, veluti clausa signa inventa sunt. Imbrium vero nomine, large effusam gratiam Spiritus Sancti esse noverimus, sicut ait Apostolus, *per lavacrum generationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum.*

C *Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.* Nubes scimus plerumque in Scripturis sanctos appellari, sicut & manifestum est quodam loco, dicente Domino: *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam pluviam.*: id est, vineam, quod est, super gentem peccatricem Judæorum: verbis suis salutis pluviam non effunderent. De talibus igitur nubibus, Apostolis videlicet, & apostolicis viris, prædicatoribus veritatis, illi imbres pluunt talem pluviam, quæ habeat in se similitudinem gurgitum, propter arcanorum cælestium opacitatem: ubi congrue illud Davidicum dicitur: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.*
D Hæ igitur nubes inquam, per quas imbres gurgitum fluunt in terram, prætexunt cuncta desuper. Habentes enim intra se aquas Evangelii, ut flumina de ventre eorum fluant aquæ vivæ, de superioribus mysteriis, quasi quodam prætextu, & obscuritate aquarum obstaculum carnalibus faciunt & terrenis.

Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo, desuper cardines quoque maris operiet. Ita enim prædictas nubes extendit, ut de eis in omnem terram exierit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba illorum: quemadmodum
E postea locutus est ad discipulos suos, id est, nubes suas, dicens: *Et eritis mihi testes in Jerusalem, & Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ*: per quas utique nubes sua fulgura prædicationis resplenduerunt, & nominis Christi fama de cælo velut lumen effulsit. Maris etiam, mundi videlicet hujus cardines occupavit: sive cardines mundi possumus intelligere principes, & capita gentium diversarum: quorum erroribus ac pravis doctrinarum suasionibus

mun-

mundus in loco superstitionis dæmoniorum velut in cardine vertebatur.

Per hæc enim judicat populos, & dat escas multis mortalibus. Istis enim rebus sacramentorum prædictis, statuit Deus pietatis suæ judicio universis populis misereri, & dare escas doctrinæ verbi sui, sive mysteriorum cunctis mortalibus, secundum quod ipse ait: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit.*

In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat. Potestate justi judicii sui, lumen notitiæ suæ abscondit a peccatoribus malum operantibus, & venire eam ad illuminationem mentis præcipit: si Deum adjutorem ejus quispiam fideliter quæreret.

Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere. Deus luce manifestationis suæ fidelem sibi amicum in corde, docet & instruit. Erudiens quoque annunciat ei, quod lux sive illa illuminationis gratia, sive divinorum caritas promissorum possessio ejus sit, & ad eam, si disponat ascensiones in corde suo, quotidie proficiendo perveniat.

Caput XXXVII.

SUPER *hoc expavit cor meum.* Sive *obstupuit cor meum*, ut alii dixerunt.

Et emotum est de loco suo. Prædictis divinis mysteriis, & luce cognitionis Dei patefacta, quæ nisi amicis Dei, & fidelibus demonstratur: perterritum est, inquit, cor meum Heliu, & zelo ignorantiæ ad sacramentorum cognitionem translatum.

Audiet auditionem in terrore vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem. Quemadmodum vult Deus audite quod dicit, ita audite: quoniam terret vox ejus tantis sacramentis mysteriorum prævalida: sonumque oris eius, sive ut alii dixerunt, *strepitum*, pari modo audite. Hic ergo sonus est maxillarum Dei, qui forte idcirco sonus dictus est, non simpliciter sermo, ut inobedientia surdos, & obdurato corde incredulos vox clarior percuteret, & totos ad timendum Dominum commoveret.

Super omnes cælos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ. Quid sit hoc mirum de omnipotentia Dei, qui ubique est in cælo, & in terra, in mari, & in abyssis. Sed videamus secundum allegoricum intellectum, quid sit quod de Deo Heliu ait: Subter omnes cælos considerat. Sanctos viros, cælos Scriptura divina appellare consuevit, propter cælestem utique conversationem, quibus ita dicitur: *conversatio vestra in cælis est.* Dominus ergo subter hos cælos considerat, vel dum ea quæ intra eos sunt, arcanorum scrutator introspicit, vel dum imbecillitatem corporum eorum, quæ animi imperio crucis virtute subdiderint, gubernat, ac sustinet, & contra carnalium passionum bella corroborat. Secundum hunc sensum est, quod timore concussus Pro- **A** pheta, ait: *Et subtus me turbata est habitudo mea.* Termini quoque, sive fines terræ ipsi sancti sunt, finem terrenis passionibus, & cupiditatibus imponentes, eo quod non sint in medio Babylonis, nec sæculi hujus vitiis circumdantur, secundum quod Petrus Apostolus ait: *Christus igitur in carne passus, reliquit nobis exemplum, quia passus est in carne, desiit esse a peccatis, ut jam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne, vivat temporis*: id est, vivens pro tempore, desinentibus in carne peccatis velut in finibus habitet carnis. In his **B** finibus posita regina Saba, quæ typum gerebat Ecclesiæ, veri Salomonis meruit audire sapientiam. Tales igitur terminos Deus lumine gratiæ suæ atque agnitionis illustrat.

Post eum rugiet sonitus. Sive ut alii dixerunt: *fremet vox.*

Tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur cum audita fuerit vox ejus. Cum positis in extremo terræ hominibus, Deus in memoriam venerit, illico super infirmitate mortalitatis suæ, gementes ad eum rugient, sicut Propheta ait: *Rugiebam a gemitu cordis mei*; & tunc hic rugitus faciet **C** sonitum in affectu orationis, clamantium ad Deum, qui perveniat usque in cælum. Unde & tonabit eis Dominus voce præceptorum suorum, ut timeant a facie ejus. Quo fragore tonitrui simul agnosce, quia Deus ante desiderium eorum investigabilis sit & immensus.

Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui fecit magna, & inscrutabilia. Alii dixerunt: *tonabit Deus.* Deus mirabiliter operatur, quando istud tonitruum nominis sui, quo in toto mundo famæ ejus notitia crebrescit, in auribus facit animæ personare.

D *Qui præcipit nivi, ut descendat super terram, & hyemis pluviis, & imbri fortitudinis suæ.* Nivem candorem gratiæ, quæ per baptismum fidelibus Spiritus Sancti dona tribuitur, superius diximus posse significari, & exempla illic testimoniorum de Scripturis multa protulimus, de quibus & illud Davidicum, ubi ait in Psalmo: *Nive dealbabuntur in Selmon*, quod est *in umbra.* Hoc igitur ait, quod cælestis, id est, Deus de cælo veniens, reges quoque discreturus sit, & separaturus: sive in umbra sint dealbandi: ubi hoc mihi significare videtur, quia regeneratio vetustissimorum **E** hominum in Christo, obumbrante Spiritu Sancto, esset efficienda. Hæc igitur gratia, nivis nomine significata, ex præcepto divinitatis descendit in terram, quod est, per Jesum Christum venit ad homines, per quam vetustas nostra instauraretur in melius. Contra hanc gratiam Christi, tribulationes persecutionum futuras in pluviis hyemalibus voluit indicare, & propter graves pressuras hyemales pluvias dixit: quas tamen imber fortitudinis Spiritus Sancti esset superaturus, quia

eis

eis dictum est: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua. In manu, id est, in liberi arbitrii potestate, secundum imaginem & similitudinem Dei, qua homo est a Deo conditus, & creatus: habet hanc sapientiam veluti quodam signo divinæ operationis impressam, ut juxta liberi arbitrii judicium noverit unusquisque hominum opera sua, sive ut alii dixerunt, *infirmitatem suam noverit*, id est, ut vasa fragilia se subita morte confringi.

Ingredietur bestia latibulum suum, & in antro suo morabitur. Bestiam istam, inventorem malorum diabolum non absurde sentimus, qui idcirco, & singularis ferus dicitur, quia præcedit, sive superat malitia ejus, malitiam omnium operantium iniquitatem. Hæc igitur bestia rationabilis ingreditur latibulum suum, pectus scilicet humanum: quando ex permissu judicii Dei, potestatem accipit hominibus dominandi, & in antrum quod suum fecit, sibi constituit habitationem. Sive antrum vel etiam latibulum diaboli, omnes peccatores intelligendi sunt: duri videlicet infidelitate vel saxei, quos vitiis suis atque illecebris possidet, & in quorum cordibus criminibusque requiescit.

Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus. Non mihi videtur quod de istius mundi plagis, sive qualitatibus, vel etiam secretis ejus motibus dixerit: sed, quemadmodum diximus antrum sive latibulum dæmoniorum, esse humana præcordia: ita hæc interiora cum ea ingressi fuerint, secreta eorum & abdita intelligamus consilia: unde in hunc mundum persecutionum tempestates venire creduntur, ut & peccatores conterant, sicut Ægyptios, quibus venit immissio per angelos malos. Et sancti eadem tempestate tribulationum nimia conturbentur, sicut quidam eorum ait: *Gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* Frigus quoque ejus infidelitatis immittitur, ut a caritate Dei, & calore fidei discedentes, in algorem negationis incurrant: quæ omnia immittunt dæmones per ministerium, & sententias principum, & infidelium potestatum. Arcturus vero, quia in sinistra mundi est constitutus, adversariam partem significat: de cujus climate ventus Aquilo gelidus spirat contra meridiem.

Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissime funduntur aquæ. Quod hic dixit flante Deo concrescere aquas, id est, glaciari, & concretas fieri, in Psalmo e contrario dicit: *Flabit*, inquit, *spiritus ejus, & fluent aquæ*: id est resolventur ac defluent. Sed sive hic flante Deo, sive in Psalmo, *flabit spiritus ejus*, jubente Deo, sive jubebit spiritus, intelligere possumus. Et quod hic dixit, concrescit gelu, hoc in Psalmi superiore versiculo ait: *Emittit crystallum suum sicut frusta panis.* Ita au- A tem hyemali tempore fieri novimus, ut flante, id est, jubente Deo, nimio frigore densentur, vel etiam concrescant aquæ, & iterum tempore aeris resolvantur. Secundum mysticos vero intellectus in præteritis generationibus, ob meritum suum relinquente Deo genus humanum, flatu oris Dei, & justitiæ ejus manante sententia, dum removetur ab igne divino, omnis creatura concreta est tanquam gelu, & a vera Dei cognitione, frigoris sui immensitate constricta. Nunc vero per gratiam Domini & Salvatoris nostri, sicut ait Petrus Apostolus: *Tempora ignorantiæ* B *despiciens Deus*, rursum ab illo algore oblivionis atque duritia, quæ sicut longi temporis gelu obduruerat, caritatis Dei igne solvuntur aquæ populorum, ut fluant, & recurrant ad Deum.

Frumentum desiderat nubes. Hoc est frumentum, de quo Dominus in Evangelio ait per Parabolam, dicens: *Colligite zizania in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Proinde hoc vivum frumentum, doctores quosque Ecclesiæ, qui velut nubes portant aquas Evangelii, audire desiderat, sicut & illi qui erant de hoc frumento dominico, C habitantes Antiochiæ Pisidiæ, rogabant Paulum & Barnabam, ut loquerentur eis verbum Dei, quod fecerunt Apostoli suadentes permanere in gratia Dei. Cornelius quoque ad Petrum ait: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt a Domino.* Et Moyses ait: *Excipiat velut pluvia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea.* Unde & Apostolus ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Hæc nubes potest, & ipse Dominus, id est, assumtus homo in Deum intelligi, sicut Propheta prænuntiavit, dicens: *Ecce* D *descendit Dominus in nube levi in Ægyptum.* Per quem divina gratia, & doctrina cælestis, mundo effundenda prænuntiabatur. Et pulchre nubes levis dicitur: sive quia ipse Salvator peccatum non fecit Agnus Dei, sive quia Virgo Maria Mater Domini, non ex virili semine aggravata, levis nubes est dicta.

Et nubes spargunt lumen suum. Quæ lustrant cuncta per circuitum quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præcepit illis super faciem orbis terrarum. Lumen utique Evangelii, prædicationum coruscatione mittentes: lumen Evangelii spargunt supra cor- E da credentium. Alii vero Interpretes dixerunt: *Et ipsa per circumitum vertitur in gubernaculis, ad operanda omnia quæ mandaverat eis.* Hæc sunt igitur quæ mandavit, & præcepit cæteris nubibus suis dicens: *Ite in universum mundum, prædicate Evangelium universæ creaturæ.* Proinde quasi vento spiritu Dei, quo ut nubes agebantur, prohibiti sunt ire Bithyniam, & de Judæa Romam illis transire præceptum, & ita sicut Editio continet, orbem universum lustrantes circumierunt.

Sive in una tribu, sive in terra sua, sive A *in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri*. Hoc est quod ipse Dominus ait in Evangelio: *Eritis mihi testes in Jerusalem, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*: ubi illud præcipue intuendum est, quod ait: In quocumque loco misericordiæ suæ jusserit inveniri: ubi per gratiam Christi, atque pietatis suæ misericordiam, significavit ad fidem revocandos.

Ausculta hæc Job, sta, & considera mirabilia Dei. Admonet Heliu, ut sacramenta in Christo & Ecclesia adimplenda, Job aure cordis diligenter intendat, & in mentis suæ specula constitutus, ubi etiam vigilan- B tia contuendi docetur stare: consideret miraculorum Dei futura mysteria, quæ per nubes rationales operaturus sit.

Nunquid scis, quando præcepit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus? More Prophetarum pro factis futura commemorat. Præcipit igitur Deus pluviis evangelicis, ut nubium suarum lucem, id est, sancta opera sua doctores per infusionem fidei demonstrarent: & hæc ad illuminandos homines misericordia cælestis operatur.

Nunquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias? Hic dum dicit perfectas scientias, de rationalibus se nubibus evi- C denter ostendit dicere, & prædicatorum viis, & subtilium sensuum semitis. Dic mihi quæso, si cognoscere potuisti, quæ semitæ in nubibus sunt magnæ & perfectæ scientiæ? Figurabat, hæc dicendo, apostolicas nubes, quarum una citissima nubes ait ad Salvatorem: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, quæ quoniam suspensa a terra, & proxima erat cælo, respondet ei Dominus: *Hoc tibi non revelavit caro, & sanguis, sed Pater meus*. Alius vero Apostolus tanquam nubes plena aquis perfectæ scientiæ, a tonitruo Evangelii copiosum imbrem effundit ita dicens, *In principio erat verbum, &c*. D Quo validissimo tonitruo ubique resonante, ut omnem terram ad fidem religionis tremore concuteret: alius in Judæa per iteratam nativitatem exortus, velut parva nubecula ita crevit, & flante spiritu dilatatus est, ut pluvias mysteriorum a sæculis secretorum perfectæ scientiæ, usque ad Illyricum spargeret, aliasque totius mundi regiones largis effusionibus irrigaret. Et hinc est ut aliqui eorum appellarentur filii tonitrui, alius vero diceretur filius suspendentis aquas.

Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro? Alii dixerunt, *tua* E *stola calida est*. Hoc quidem verum est, quod meridianus ventus sit calidus, quo flante etiam vestimenta hominum, vel corporum, quæ animarum vestimenta sunt, concalescunt. Sed quia nubes, homines sanctos, veritas prophetiæ nos intelligere compulit, ventum calidum a meridie spirantem, ferventem fidem, vel gratiam Spiritus Sancti ardentem, & clarius illuminantem intelligamus, vel ipsum Dominum nostrum, de quo legimus: *Deus ab Austro veniet*, quo rationalem terram perflante, virtutes animi, quæ sunt vestimenta interioris hominis, inardescunt, & ideo vestimenta appellantur, quoniam ipsi, qui eis utitur, pulchram animam faciunt, & decoram. Et ob hoc hortatur Apostolus dicens: *Fratres, induite vos sicut electi Dei, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, &c.* Et hæc igitur ab Heliu, sicut & alia, spiritu prophetiæ dicuntur.

Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt. Hæc ab Heliu juxta literam in injuriam Job per Ironiam dicuntur. Hæc igitur prima fronte intellectus hujus dicta sint. Nunc vero secundum prophetiæ spiritum, sensum mysticum persequamur, ut cælos Scripturas sanctas intelligamus, quæ de cælo datæ sunt hominibus, quarum perpetuitatem ex æris soliditate voluit demonstrare. Sed dicit quispiam: quomodo æternæ erunt Scripturæ divinæ, si mundus certo fine, Deo denuntiante, est terminandus? sic enim ait in Evangelio: *Cælum & terra transibunt*. Verum est quidem, quod librorum pelliculæ cum ipsis literis abolendæ sunt; sed quia subjungit Dominus, *Verba vero mea non præteribunt*: proculdubio quod eisdem apicibus pollicetur, erit æternum. Hos igitur cælos, ait Heliu, in quibus est divinitatis secreta dispositio, tu forsitan cum Deo, velut simili pollens sapientia, fabricatus es: quos Deus æternus ante mundi constitutionem præfinivit quandoque erumpere in corpora literarum, qui in illo æternaliter erant, non jam existentes, sed ipsi soli præscientiæ suæ luce conspicui. Et cælos, sanctos angelos non absurde sentimus, qui propter cælorum habitationem, rectissime cæli dicuntur, & sunt velut æs æternitate solidati. De quibus Psalmista singulari nomine ait: *Cælum cæli Domino*. Secundum tropicum intellectum cæli, Sancti omnes propter cælestem conversationem, & propter prædicationem mandatorum cælestium nuncupantur. Heliu autem si prophetiæ spiritum habuit, secundum hunc intellectum quem diximus, potuit contemplatione mentis suæ hæc in Christo revelanda cognoscere, & aliis modis, quibus videtur cælorum nuncupationem sensisse, licet hoc ipsum in irrisionem sancti Job dici non debuerit.

Ostende nobis, quid dicamus illi. Nos quippe involvimur tenebris. Insultantis verbum est, & exprobrantis, ostende nobis, cum illud verbum dicat, sed ad comparationem scientiæ sub ignorantiæ tenebris commanent. Nam quomodo a sancto Job discere inquirit, quem in verbis suis reprehendit & reprobat. Ostende, inquit, o Job, si aliquid amplius, & melius nosse te arbitraris, quoniam nos grandis ignorantiæ atque inscientiæ tenebris detinemur. Certum est ergo quod Heliu deridens Job atque subsannans hæc dicat.

Quis narrabit ei quæ loquor? Etiam si locutus

cutus fuerit homo, devorabitur. Dixi tibi quidem, o Job, ut ostenderes mihi quid loqui possem: sed hæc ipsa quæ de Deo dico, quis ei ausus est loqui? Certe si locutus fuerit quispiam, quod ei omnino non expedit: pro hoc ipso peccato temeritatis, & irreverentiæ devorabitur, ut hic Heliu ait. Ita in Psalmis legimus: *Devorati sunt juxta petram judices eorum*: ubi intelligitur, peccato diffidentiæ devoratos atque absorptos judices populi Israelis in eremo, qui non crediderunt quod possent de petra aquarum flumina virtute divinæ promissionis educi.

At nunc non vident lucem. Subito aer cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas. Ita infelicitate hujusmodi excæcati sunt, ut fiant quemadmodum aer quando crassescit in nubes, & ita in justo judicio Dei velut venti in impetu auferentur, sicut impii, quos dejicit ventus a facie terræ. Alii dixerunt: *Omnibus autem non est visibile lumen, quod fulget in nubibus, & spiritus transit & fugabit eas.* Hic mysticum nescio quid locutus est, quod jam non omnibus resplendet illuminatio Evangelii. His utique non resplendet, quorum sensus excæcavit Deus, ut non videant lumen Evangelii gloriæ Christi, qui est imago invisibilis Patris. Hic igitur spiritus justæ sententiæ Dei fugabit eos a cœtu beatorum, ut non videant lumen Evangelii gloriæ Christi.

Ab Aquilone aurum veniet, & a Deo formidolosa laudatio. Audivi quemdam ita dicentem, quod æstatis tempore, Sole in Aquilone nascente, aurora ardentior rutilat, ita ut ipse Sol colorem aureum præferat: & inde Heliu loqui videatur aurum venire, id est, mundo flammeam rotam Solis oboriri, & super hoc præclarum sidus sit ad Deum hominibus formidolosa laudatio. Nos autem aurum sanctos intelligimus, qui secundum spiritualem sensum ab Aquilone diabolo, sanguine Domini redimuntur. Hoc igitur modo venit ad Deum cœtus sanctorum cum tremore laudantium eum, ac sibi cum quadam formidine, incredibile arbitrantium, quod potuerunt de hoste gravissimo liberari. Quotidie quoque examinationibus, velut aurum flammis tentationum excoctum, de tornace mundi istius eruuntur. Alii dixerunt, *Ab Aquilone nubes coloris aurei, in his est magna gloria & honor omnipotentis: non invenimus similitudinem virtutis ejus.* Ita enim sanctos homines, qui sunt nubes Dei, tentat frigor Aquilonis, ut eos pretiosos, & igne caritatis rutilos reddat. Et idcirco magna gloria Domini & honor omnipotentis est. Non invenitur alius similis virtutis ejus, qui tanta bona ex rebus contrariis speret.

Digne eum invenire non possumus. Magnus fortitudine & judicio & justitia, & enarrari non potest. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes. Quoniam, inquit, sicut fortitudine magnus & potens est Deus: ita judicio & justitia verus est, & enarrari non potest. Idcirco sicuti est, a creatura sua quæ adeo imbecillis est & infirma, non potest inveniri: propter quod magni viri atque cordati non præsument scrutari incomprehensibilem, neque contemplari invisibilem conabuntur. Hoc autem totum in sancti Job exprobrationem dicitur: qui dixerit se a Deo sine ullo iniquitatis merito flagellatum. Alii dixerunt, *Qui juste judicat, non putas audire eum? propterea timebunt eum homines, timebunt quoque & sapientes*: hoc inquiunt, quia Deus juste judicat, apud quem non est personarum acceptio. Omnes sapientes & idiotæ considerantes semetipsos, timebunt eum: scientes quia secundum modum justitiæ suæ ultor iniquitatum est: exaudiet enim iniqua patientes.

Caput XXXVIII.

RESPONDENS *autem Dominus Job de turbine dixit.* Sermone terribili, & increpativo arguendus Job, responsum a Domino accepit, hoc enim ipsum quod de turbine dicitur, ad terrorem pertinet objurgationis, quod esset, ut dixi, increpandus a Domino. Dixerat enim Job, se justum injuste a Domino castigatum: de turbine ergo Dominus ait.

Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis? His verbis amovetur Heliu cum suis confusis atque permixtis disputationibus contra Job: ubi Dei verba videntur intelligi. Et si tu, o Job, loquendo talia in me, delicta aliqua commisisti: iste quis est qui te audeat redarguere, præsertim cum ad increpandum non sit idoneus, qui velut melior objurgare te debeat? Amoto igitur Heliu de medio cum imperitis ejus sententiis, convertit se Dominus ad Job, & ait ei, ut ad increpationem ejus audiendam se præpararet, dicens hoc modo.

Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi. Omnis igitur qui cum Deo est locuturus, lumbos prius castitate jubetur accingere. Populus etiam legem auditurus, & pascha celebraturus in eremo, lumbos mentis jubetur accingere, ne fluctuantes sinus carnalium cogitationum, gressum sanctæ conversationis impediant, vel super lumbos nostros corporeos vestimenta præcingimus. Dicendo ergo:

Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Deo respondere non potuit: quasi hoc modo loquitur ei Deus. Tu igitur Job, qui circa unum homunculum injuste me arguis operari: ubi eras cum ego mundum, quem ex nihilo feceram, gubernarem? & cum omnem creaturam moderatione justitiæ regam, in te eram injustitiæ aliquid acturus? Hic Deus hoc sermone sub animalium, aviumque nominibus, magna & val-

valde obſcura, & Eccleſiæ ſacramenta contexit. Deus ergo ſecundum myſticos intellectus in prædeſtinatione Apoſtolos præcipuos ſanctos Eccleſiæ fundamenta conſtituit, ſicut ait Apoſtolus: *Superædificati*, inquit, *ſuper fundamenta Apoſtolorum & Prophetarum*. Sive ut alii dixerunt, *ubi eras cum fundarem terram*, id eſt, cum Eccleſiam de terra humani generis congregatam, virtute fidei ſtabilirem.

Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam? Virtutem ſuam Deus, & potentiam menſuraſque, & mundi conditionem deſcribit, ſuper quem lineam boni rectique operis ſui tetenderit. Aliter: menſuræ Eccleſiæ ſunt a ſolis ortu uſque ad occaſum: in qua adhuc menſuræ intelligi poſſunt, æqualitas & plenitudo Trinitatis, cui Eccleſiæ dicitur per Prophetam: *In exortu ejus dilata locum tabernaculi tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida, ad dextram & ſiniſtram penetrabis: ſemen enim tuum gentes hæreditabit, & civitates deſertas inhabitabit*. Super has igitur menſuras locorum omnium, univerſum mundum rectæ fidei tetendit, ut eſſet omnibus in Chriſtum credentibus labium unum: hæc ergo myſteria ante ſæcula conſtituta, Job quippe qui dum non eſſet, ſcire non potuit. Sive menſuras Eccleſiæ, diverſitates gratiarum recte intelligimus, quas Apoſtolus diviſiones ſpiritus appellavit, qui ita cum de diverſis gratiis diceret, ait: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens unicuique prout vult*. Item ait, *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Per has igitur gratias intentio eſt contemplationis, velut linea recte credentium in Deo, ſicut dicitur in Actibus Apoſtolorum: *Erat illis cor unum & anima una in Deum*.

Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? Unde potuit creatura rationalis, & ſapiens, opus creatoris antequam eſſet ipſa cognoſcere, cum etiam nunc vix poſſet aliqua ex operibus ejus ſenſus attingere. Aliter, ſuper quo baſes terræ Eccleſiæ ſolide ſtabiliuntur, niſi ſuper Chriſtum Petram, qui eſt principium fundamentorum ejus. Baſes autem Eccleſiæ, ſunt ſancti quique potentes, & fortes, a quibus eadem ſuſtinetur & regitur. Alii dixerunt, *ſuper quo circuli ejus fixi ſunt*, ut intelligamus pondus roboris mundi ſecundum illum ſenſum eſſe, quo Pſalmiſta de hoc loquitur, dicens: *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*. Circuli enim rotundi figura eſt, figuris cæteris pulchrior. Nam circulus ex omni parte ſibi eſt congruus & æqualis: totuſque per ſemetipſum ſolidus vadit, & inter oculorum aciem, per ſuum infinitum habitum, quia ſine ullo fine ſemper in ſemetipſum recurrit, & inexplicabiliter ducitur. Hic igitur ſignificare mihi videtur hominem in nullo ſibi adverſantem, neque ſe ex parte aliqua oppugnantem,

A quales erunt in futuro beato ſæculo: tunc enim caro non concupiſcet adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Quamvis hujus pacis beatitudinem etiam in hoc ſæculo nonnulli ſancti ex parte præſenſerint: non quidem nullam interioris exteriorisque ſe in ipſis ſentiendo diſcordiam, ſed hoſtilem vitiorum exercitum reſiſtentibus fortiores ſuperando virtutibus, ut Helcana pater ſancti Samuelis vir unus dictus eſt. Sic itaque totus in ſe erit, ſibique conveniens, & immobiliter in illa gloria ac ſine fine conſiſtens. Hi igitur circuli figurati per dilectionis Dei copulam, ligno

B crucis affixi ſunt, & unuſquiſque eorum dicit: *Confido enim, quia neque mors, neque vita, &c.*

Aut quis demiſit lapidem angularem ejus? Hic lapis angularis Chriſtus, qui a Deo Patre poſitus eſt in fundamento terræ dominicæ; ipſe eſt enim non ſolum fundamentalis, ſed & angularis, in quo duo populi, Judæorum videlicet, & Gentium continentur. De quo & Pſalmiſta ait: *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*. Et Apoſtolus ait: *Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, in quo omnis ſtructura compaginata cre-*

C *ſcit in templum ſanctum*. Hunc igitur pater dimiſit in terram, ut in fundamentum poneretur.

Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei? Demiſſo itaque in fundamentis Sion lapide pretioſo, qui eſt ſecundus homo de cælo cæleſtis, laudaverunt, inquit, me ſimul aſtra matutina, & injubilarunt omnes filii Dei. Aſtra & filii Dei Angeli intelliguntur, qui in nativitate Salvatoris exultaverunt. Sicut ait Angelus ad paſtores. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in civitate*

D *David*. Item Evangeliſta: *Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo*, & cætera. Ideo autem angeli aſtra matutina dicuntur, quia inter creaturas rationales primi facti ſunt in die qui eſt Chriſtus, & filii Dei ſunt; non ſunt filii tenebrarum, ſicut illi qui de eorum numero collapſi ſunt, facti non ſolum filii tenebrarum, ſed etiam rectores tenebrarum, id eſt, hominum peccatorum. Tunc voce magna, ſicut ſupradictum eſt, laudaverunt me omnes Angeli mei. Quemadmodum in illius oviculæ, humani generis ſalute, laudantes Deum gaviſi ſunt. Item aſtra matutina omnes filios Eccleſiæ non abſurde ſentimus, qui per baptiſmum

E renaſcuntur Chriſto, ſicut ait Apoſtolus ad Eccleſiam ſcribens: *Omnes vos eſtis filii per fidem in Chriſto Jeſu*. Hi ergo propter vigiliam matutinam, in qua Dominus reſurrexit, aſtra matutina dicuntur, vel pro incipiente eis gratiæ novo lumine, unde & Neophyti nuncupantur.

Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulva procedens. Cum in conditione mundi aquæ omnem terram operirent, & tenebræ eſſent ſuper faciem abyſſi,

tunc

tunc secundum fidem libri Geneseos, præcepit Deus die tertio, ut omnes aquæ in locum unum congregarentur. Quibus etiam terminum finemque imposuit, ne se foras limites suos, ad operiendam terram rursum effunderent. Vulvam de qua mare procederat ipsam terram subjacentem possumus intelligere, ut de ea, & in ea aquam creatam a Deo esse credamus. Duas enim partes mundi magnas, cælum & terram, Deus ex nihilo fecit, & ima earum de materia informi, cæteras autem creaturas distinctas sive formatas instituit, inter quarum creationem & aquas credimus factas, quarum quidem conditionem, in principio Genesis scriptam non legimus: aliarum vero pene omnium factura in Libris dominicis recensetur: licet & de ipso mari sanctus David dixerit, cum de beato viro loqueretur: *Spes ejus in Domino Deo ipsius, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt*. Hunc ergo maris processum, effusionem aquarum dicere mihi videtur, qui de occultis venarum terræ finibus emanabat, & operiebat omnem faciem terræ. Quod in diluvio manifestius factum legimus, ubi dicitur. *Et omnes fontes abyssi magnæ erupti sunt*. Proinde vulvam maris, terræ sinum dictum existimo, ut mare de eadem progenitum noverimus. Sed dicit aliquis: Ego aquarum moles cælo & terræ dico esse congenitas, & simul creatas. Denique de aquis quemadmodum & de terra fecit Deus, sive produxit cæteras creaturas. Si ergo hoc opinionem istam confirmat, ut ideo & aquæ ex nihilo creatæ dicantur, quia & de ipsis alia, & alia in ipsis jubente Deo quam plurima animantia processerunt: de cælo quid dicemus, quod est pars mundi præstantior, de quo non legimus, quod ex eo quasi informi materia aliquid procreatum sit. In quo etiam, quod ad majorem decoris ejus pertinet pulchritudinem, stellas ac diversos astrorum globos Deus fecit, ordinavit, & composuit. Et juxta hanc assertionem, meliora erunt maris & terræ elementa, quam cælum, cujus ornatum pulcherrimum admirantes suspicimus: quoniam præcellit vel maxime cæteras creaturas.

Cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem. Cum ergo ait, magnum sit mare latitudine, & longitudine & profundo: per fortitudinem tamen potentiæ meæ illud velut parvum elementum, nube tanquam vestimento contexi & caligine; modicis videlicet, & vilibus rebus operui, quæ assimilantur pannis infantiæ. Et quia mare superius diximus quasi de vulva procedere, servans translationem nominis, ipsum mare velut parvulum procreatum: tanquam pannis infantiæ ait caligine obvolutum, sive ut alii dixerunt, *& nebula obvolvi illud*.

Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi: Usque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Termini isti, divini sermones sunt, qui sententia immobili, velut termini defixi intelliguntur, hoc ipsum est & illud quod sequitur, Deo dicente, posui vectem & ostia. Aliter, quis conclusit ostiis mare? Sæculum hoc Scripturæ divinæ frequenter mare appellant, ut etiam sanctus David ait: *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*. Item: *Qui descendunt mare in navibus*. Et Abacuc: *Misisti in mare equos tuos*. Et Isaias: *Occidit cetum qui in mari est*. Proinde hoc mare præceptis divinis, velut quibusdam limitibus sacrorum eloquiorum concluditur, ut de utero cordis sui, ubi cogitationibus velut ex semine, curas atque illecebras mundiales voluptatum, delectatione concipiebat, jam non in opus quasi parturiendo erumperet, seque effunderet in diversa facinora perpetranda; & ideo cum vidisset Propheta mundum credentem Deo, hoc bonum in se continentiæ possidere, gratulans ait ad Deum: *Tu confirmasti in virtute tua mare*. Mundum dico fidelem sanctæ Ecclesiæ populum: qui mare specialiter dicitur, & habitat in hoc mundo. Et iste est ille mundus fidelium, de quo Dominus ait: *Sic enim dilexit Deus hunc mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro eo*. Est & mundus incredulorum, de quo similiter Dominus ait ad discipulos suos: *Si mundus vos odit: scitote quia priorem me odio habuit, &c.* Sic itaque duos mundos populorum in hoc corporali, & in animali mundo dicimus habitare, qui & duo maria secundum exemplum superius positum dici possunt, ab hoc scilicet mari aquarum metaphoricos nomen accipientes, quia & domus bona, sive mala, & civitas optima, sive pessima. Mare vero tropicos dicuntur populi fluctuantes, qui in hac vita inquieto motu incertoque jactantur. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud velut pannis infantiæ obvolverem. Nubem omnia operientem Spiritum sanctum, creaturis omnibus infusum ac superfusum accipiamus, de quo ait: *Spiritus Domini super ferebatur super aquas*. Caligo autem quicquid est inane trans mundum: ubi levitas est, id est, retro defectus intelligi potest. Moraliter autem juxta auctoritatem Scripturæ, nubes sunt unusquisque veritatis annunciator. Horum igitur verbis consolatoriis atque doctrina, rorando desuper, ait Dominus, mundum fidelium ab æstu tentationum protexi, eique umbram supra promissione æternæ beatitudinis præbui, hoc est, vestimentum per sanctos meos ministros Evangelii ei super mare populorum expandi: ne videlicet infideli caumate torreretur. Quod etiam mare populorum intra prædicationem perfectam Evangelii positum, propter morum infantiam in quibusdam lactea doctrina, velut vilioribus vestimentis operitur, eo quod sacratiora mysteria non valeant intueri, quæ sunt intelligentiæ involuta caligine. Circumdedi illud

lud terminis meis, & posui vectem & ostia. Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Terminis, inquit Deus, mandatorum meorum, prædictum mare intra unius fidei confessionem congregavi atque conclusi, & ad condensandum se, fortissimum illi vectem caritatis opposui, ostia quoque infidelitatis obstruxi, ut quantalibet tempestatum ac persecutionum violentia, defixos obedientiæ limites transcendere compellatur. Nunquam caritatis meæ circumsepta transiliat, cui dixi: Hucusque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Id est, si qui forte cogitationum malarum fluctus te intra pelagus tui cordis exagitant, ventusque validus pressurarum te funditus commovere pertentat, de statu quoque tuo in aridam siccitatem, velut in arena steriles impellat. Hæc munimenta fidei, & caritatis meæ cave ne transeas: & ita fiet, ut minaces venti insurgentes allisi in petra validissima dissolvantur.

Nunquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum. Hoc Dominus ait ad Job, quod conditarum ac secretarum rerum suarum per gyros suos recurrentes ad ordinata loca, redire quotidie ipse disponat: & idcirco Job arguitur, qui Deum factorem & gubernatorem rerum omnium diceret nullo moderamine æquitatis operatum: & quasi ita dicens ait ei: Tu qui valde sapientem te arbitraris, & quasi coæqualis lucem meam fueris fabricatus, & de meis judiciis disputare posse credis: si elementa astrorum præceptum impleant creatoris, te forsitan disponente mysterii sui pergunt cursum, cum ista prius quam tu in Adam per me existeres, sint creata. Aliter: Hoc diluculum Salvator noster est, qui & sol justitiæ appellatur. Ipse calore fidei & splendore gratiæ suæ, Ecclesiam, mundum scilicet rationalem illuminat. Igitur nunquid tu Job præcepisti huic diluculo, ut oriretur de cælo resplendens his qui sedebant in tenebris & umbra mortis: quemadmodum ergo ut Job post initium tuum præcipere non potuisti æternis, ut mundo in errorum tenebris constituto esset diluculum: ita nec post mortis, occasum ejus, resurrectionis & locum gloriæ ejus in dextra Patris sui ostendere potuisti, quem post mortem quam sponte susceperat, ad me iterum revocavi. Sicut ipse Dominus Jesus ait in Evangelio. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius.*

Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea? Potest hæc terra Ecclesia intelligi: de cujus fundamentis Dominus superius dixit, de qua in extremis terræ, id est, in novissimo sæculo excutiendi sunt peccatores: ita ipse Dominus ait: *Ecce mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro.* Deus ergo qui secundum Prophetam mensus est aquas pugillo, & cælos palmo ponderavit, & tribus digitis terram appendit, ipse pro magnitudine utraque manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc atque illuc concutit, sive excutit tanquam vestimentum, ut impios velut paleas, & lolium excutiat a frumento justorum. Proinde hæc omnia operantis non solum fortitudo, verum & justitia demonstrat, & inde est, quod sancto Job Dominus cum increpatione loquitur: quare dixerit innocenti sibi pœnam acerrimæ tentationis illatam. Secundum moralem vero sensum intelligentiæ loci hujus, ut æstimo facilior exitus, ut terram interpretemur naturam humanam, quia ab humo homo dictus est, & extrema sint, sanctorum vita, quia in carne positi, sine carnalibus illecebris vivunt. Et ideo in extremis terræ dicuntur: de terrenis actibus euntes, non in medio tanquam in tota carne viventes. Hæc igitur extrema, sive fines terræ in manu Domini sunt, sicut ait Propheta: *Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ*: quos hic ait Dominus se tenere atque concutere, ut tremant a facie ejus, sicut de eo Propheta ait: *Qui respicit terram, & facit eam tremere.* Et ita de terra eorum excutit impios, quos utique exsecrandos mores intelligimus vitiorum. Excutit ergo Dominus a sanctis suis hujus mundi impios, quando eos ab illis purificatos, constituit innocentes. De talibus impiis, & peccatoribus Propheta dicebat: *In matutino*, id est, in cognitione scientiæ Dei, fidei in me lucerna nascente, *interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini*: qualibet utique anima sancta, omnes operantes iniquitatem. Sive in novissimo tenebit Deus mundum, quasi reum ad judicium suum, quo tempore extrema etiam terrarum, conscientiæ tremore quatientur, ubi minimos quosque in extremis terræ intelligere possumus, qui & ipsi justo judicio Dei, ut superbi & impii de terra mansuetorum excutiendi sunt. *Beati enim mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

Restituetur ut lutum signaculum, & stabit sicut vestimentum. Signaculum istud, anima hominis intelligitur, quæ ad imaginem Dei facta est. Expressa est in ea similitudo bonitatis Dei, omniumque virtutum decus. Hoc igitur signaculum imaginis Dei & similitudinis, per Adæ peccatum attritum fuerat, & obliteratum, & rursum per Christum iterata impressione restituetur. Quod signaculum nunc quidem per fidem, & baptismi gratiam renovatur, & vita meliore, menti insculpetur. Sed in resurrectione totum omnimodo restaurabitur, quando sicut humani corporis lutum in incorruptione reparabitur, ita & anima cum eo pariter vestimento immortalitatis, velut stola gloriæ vestietur. Ut quemadmodum ipsa gloria, & incorruptio immortalitatis, id est, Christus manet in æternum; ita & is qui ea indutus fuerit, gloriosus sine fine permaneat. De quo ve-

stimento respiciens ad lutum carnis, suæ, Apostolus ait: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Hoc tamen diligentius est intuendum, quod in Scripturis diverso intellectu vestimenta dicuntur. Vestimentum ergo aliquando dicitur ipsum corpus nostrum, quo anima velut amictu circumdatur: sicut Propheta ait ad animam peccatricem: *Operiet iniquitas tua vestimentum tuum*. Item vestimenta, sunt animæ virtutes, quibus eadem anima componitur & ornatur. De quibus Propheta ait ad justum misericordias operantem: *Tunc erumpet matutinum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur*: Et quoniam hæc vestimenta viva sunt, & rationabilia, non fient tibi, sed orientur in te. Et peccata aliquando vestimenta nuncupantur, ut Zacharias Propheta ait: *Et Jesus erat indutus vestimentis sordidis*. Dixit Angelus ad eos qui stabant coram se, dicens: *Auferte vestimenta sordida ab eo: dixit ad eum: Ecce abstuli iniquitatem tuam*. Supra diximus vestimentum esse gloriam immortalitatis, cujus luce quæ nunquam deficiet, homo est æternaliter vestiendus. Alii interpretes ita dixerunt: *Et tu sumens terræ lutum, figurasti hominem, & famosum eum posuisti super terram*: id est, creaturis omnibus præeminentem. Dum hæc Dominus ad Job loquitur, vehementer arguitur. Secundum autem mysticos intellectus, obumbrante Spiritu Sancto, figuratus est homo Jesus Christus de terra Mariæ virginis. Hic igitur homo de luto carnis humanæ assumtus est. Lutum hoc loco non propter vilitatem nominis dictum noverimus, sed propter ipsam materiam, de qua sumtus est Christus: veluti Adam in principio, qui de limo terræ plasmatus est. Et sicut ille per unum existit de sinu terræ: ita & hic per unum creantem se, formatus est in utero matris. Et ita famosus est super omnem terram: unde jam a solis ortu usque ad occasum laudetur nomen Domini.

Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur. Lux impiorum est hujus mundi gloria, & felicitas, quæ, mundo prætereunte transibit, sicut & Salomon ait: *Lumen impiorum extinguetur*: & eorum virtus & potentia, quæ brachii nomine dicta sunt, illico conterentur.

Nunquid ingressus es profundum maris, & in novissimis abyssi deambulasti. Providentiam suam Deus qua cuncta dispensat, & regit in his locis multo copiosoque sermone significat. Unde ait ad Job: Si potes ubique esse, & nosse omnia quæ creata sunt: & si abditos terrarum sinus penetrare potuisti, si etiam profunda maris, & novissima ejus atque extrema abyssi pervagatus es. Ad increpationem ergo Job ista dicuntur. Ubi alii dixerunt: *Nunquid ingressus es fontem maris?* initium atque originem, unde ipsum mare, quasi de matrice, de mari Oceano emanat, dicere videtur, quod oceani perenni cursu ac recursu fieri novimus, fe-

A runtque hoc atque confirmant, quod illa immensa effusio maris Oceani, per omnium regionum ac provinciarum fluvios itura uno puncto temporis fiat. At nos tamen scimus omnium dierum ac noctium alternatis successibus, per horas viginti quatuor venire, atque unius horæ æquinoctialis dodrante transmisso, tardius sine intermissione, sive die venire, sive nocte, per quinque æquinoctiales horas refluitura, æstu violentoque impetu, sive in opertis tantum, sive retusis magnorum quoque fluminum cursibus ad superiora conscendere, ac per septem ejusdem mensuræ horas cursu B paulo leniore diffluere, & in ea tantum quæ quinque horis fuerant suppleta, vacuare. Proinde incredibile videri potest, quod in eodem mari velut fons quidam tantarum aquarum ebulliat, de cujus profunditate & sufficiente abysso, definito sibi tempore aquæ illæ in superficie profundantur, & rursum recurrentes in eosdem profundissimos sinus decidant: præcipitesque discedant, & a Deo sibi constituta lege perpetua, ab imis semper ebulliant atque iterum in ima decurrant, & inde forsitan dixerit Deus ad sanctum Job: Nunquid ingressus es fontem maris? Quoniam Deo so- C li nota sunt quæ creavit. Porro secundum mysticos intellectus hoc dixisse Deum puto, quod circa finem sæculi pro redemptione hominis ad inferos esset descensurus, ubi pro potestate descendentis deambulasse eum dixit: Quia impossibile erat, ut quasi reus peccati infernalibus vinculis teneretur. Ipse enim solus factus est, sicut homo. Ad præsens quidem sine adjutorio, sed tamen inter mortuos liber. Quod autem infernus in imo terrarum sit, Jonas Propheta, qui specialiter habuit figuram Salvatoris, in oratione sua quam in ventre piscis effudit, manifeste demon- D strat, quemque in infernum abyssi aquæ circumluant, & multis aliis locis Scripturæ de qualitate inferorum loquuntur. Possumus & moraliter hunc locum ita sentire, ut quia mare per figuram, hoc sæculum dici novimus: profunda ejus super omnes iniquos & peccatores, qui quantum illud diligunt, tamen in ejus obscurissimam profunditatem demergunt, ut omnino non videant lumen Evangelii, & gloriæ Christi. Novissima vero abyssi sint omnes impii & sacrilegi, qui in profundiores peccatorum tenebras descendentes, lasciviarum nimio fluxu, velut aquarum E multitudine deprimuntur: ad hos Dominus noster neminem despiciens, omnesque salvare cupiens, venire dignatus est, ut corda eorum infidelitate cæcata, per gratiam suam illuminaret, & effecti lux in Domino, fierent templum ejus, ut inambularet & inhabitaret in eis, & esset eorum Deus.

Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti. Nulla creatura est quamvis præpotens & fortis, quæ Dei majestati posset obsistere. Et ideo quia per na-

naturam sentiunt creatorem, cedunt divinæ potentiæ, qua ei omnino nequeunt contraire. Unde antiqui interpretes ita dixerunt: *Nunquid aperta sunt tibi porta mortis*. Ubi intellexerunt, quia hujusmodi portæ, quæ utique metuuntur, non sint insensibiles & inanimales, sed sint illi potius spiritus immundi, inimici nostri, adversariæ videlicet potestates, per quas generi humano introitus inventus est ad mortem. Ipsæ sunt & ostia tenebrosa, quorum animos malivolos, & obscuritate invidiæ plenos, Deus solus perspicit. Igitur quoniam hi de quibus loquimur, tenebræ factæ sunt recedendo a vero lumine, & potestates sunt tenebrarum appellatæ, id est, principes hominum peccatorum, & idcirco etiam ostia tenebrosa dicuntur, quoniam deceptione eorum, factus est homini per peccatorum tenebras ingressus ad mortem. Ubi ergo dictum est, ostia tenebrosa vidisti, quid nos jam exposuimus, alii interpretes locum ipsum manifestius transtulerunt, ita dicentes: *Aut janitores inferni videntes te timuerunt*: qui locus expositione non indiget, quin potius quod obscure prius dictum est, apertissime declaravit. Vel certe in passione & in morte Domini, hæc quæ dicuntur, luce sunt clariora, qui claustra inferorum aperuit, & sanctorum inde animas liberavit, leges tartari, exiens inferos, solvit, sententiam mortis resurgens irritam fecit, principatus & potestates trementes, qui erant janitores & ostia, transduxit fiducialiter, sive palam triumphans in semetipso. Secundum tropicam vero intelligentiam, portæ mortis, sensus sunt nostri, quæ portæ tunc virtutibus clausæ sunt, quoniam a vitiis obtinentur, & per eas mors peccati, ad arcem mentis ingreditur. Quæ ostia tenebrosa, ideo appellantur, quia in tenebras peccatorum, sive etiam pœnarum, aditum pandunt. Istæ itaque portæ, sive hæc ostia, aperiuntur hominibus ad salutem, cum evictis vitiis tanquam hostibus suis expugnatis atque in fugam versis, sanctitatis eas virtutibus homines aperuerint, ut audiant cum exhortatione sermonem Prophetæ dicentis: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino*. Sanctus enim homo ad possidendum sanctitatis testimonium, & virtutum monilia, conservantis affectu, & congaudentis ingreditur, quoniam ex participatione thesauri communis, fit illis cor unum & anima una in Deum. Et ita in hoc mundo velut in fornacis examinatione pariter positi: quasi ex uno ore benedicunt Deum in omni tempore, & semper laus ejus in ore eorum.

Nunquid considerasti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti, omnia. Quis hominum nosse poterit, quanta magnitudine distendatur, nisi ipse solus qui omnia condidit? De quo Propheta ait: *Qui mensus est aquas manu, & cælum palmo, & omnem terram clausit pugillo*. Item aliter: Nunquid tu Job prævidisti latitudinem terræ, id est, Ecclesiam futuram, quam per totum mundum, crescente ubique Evangelio, dilatavi. Indica ergo mihi si hoc sapere, sive aliquando intelligere potuisti. Sive latitudinem sapientiæ meæ, quam terræ, domui meæ, id est, Ecclesiæ tribui: nunquid ut futura prævidens, oculo mentis accenso per temetipsum inspicere potuisti? quæ sapientia dilatavit cor Salomonis, sicut arenam quæ est in littore maris, eique dedit prudentiam multam nimis, & quæ in exitu canitur, & in latitudine suarum fiducialiter agit, cujus multiplices sensus, & latitudine disputationum ditissimos, jubet eadem sapientia in corde hominis describi tripliciter. Hæc ergo verba possunt ex persona Patris super sapientia, quæ est Filius, dissertà intelligi.

In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit, ut ducas unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus. In via sanctæ conversationis hominis, lux virtutum habitat: tenebrarum vero, id est, vitiorum locus est homo peccator, vel ille locus de quo dicit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Nosti ergo Job discernere uniuscujusque meritum, & secundum justitiam unumquemque horum ad terminos præfinitos retributionis perducere, cogitationes cordium ipsorum, tanquam semitas domorum suarum intelligere potuisti. Item in qua via, sive *terra*, ut alii dixerunt: lux habitet: lux fidei & cognitionis habitat in corde credentis, sive lux in terra, Christus in Ecclesia. Tenebrarum autem, id est, ignorantiæ & infidelitatis locus, est cor insipientium atque incredulorum. Et ideo per quaslibet semitas tendant boni & mali, secundum meritum ad domum æternæ conversationis, justo & bono Domino ducente, perveniunt.

Sciebas tunc quod nasciturus esses, & numerum dierum tuorum noveras? Quis hominum novit antequam sit, quia futurus est, ætatisque suæ dies annosve cognoscit? Item in Adam peccator, & filius mortis effectus, quando scire vel sapere potuisti, quod spiritu & gratia baptismi nasciturus eras de visceribus matris Ecclesiæ, & in æternum secundum novissimam resurrectionem reparandus, & numerum dierum tuorum, qui sine fine sunt, unde ipse per temetipsum cognoscere potuisti?

Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, & in diem pugnæ & belli? Potentiam suam Deus, quam etiam in secretis creaturę suę rebus atque invisibilibus habet, his verbis voluit demonstrare, dicens ad Job: Nunquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? non enim loca sunt quędam in aliqua parte mundi immensa capacitate spatiosa, quæ moles atque congeries infinitarum nivium intra se habeant conditas, ut merito ob hoc, quasi loca thesauri

ſauri appellentur, de quibus olim hæ congregatæ ſint ſpecies, quæ quando Deus voluerit proferantur; ſed ita eſt potius, ut in alio loco ipſe Dominus ait: *Et ſpecies agri mecum eſt*. Quæcumque enim voluerit facere, ſtatim voluntas ejus in effectum procedit. Et ideo theſauri nominati, non in aliquo immenſo, & capaci loco, ſed in ejus voluntate, & diſpoſitione ſunt conſtituti: ſicut in alio loco ait: *Et ſpecies agri mecum eſt:* apud quem nihil eſt imperfectum, quia non eſt aliud cogitare illius, aliud facere, ſed protinus fit, quod voluerit. In hac ergo ſecreta cordis ſui diſpoſitione divina, ubi eſſent iſti theſauri B harum rerum cum adhuc in ſe corporaliter non exiſterent, interrogatur Job ſi intrare poterit. Nemo enim ſecretum illud divinæ majeſtatis poteſt adire, ſive cognoſcere, niſi Filius qui eſt in ſinu Patris, uniuſque naturæ atque ſubſtantiæ. Hæc ergo præparata dicuntur a Deo in tempus hoſtis, pugnæ & belli. Multis igitur modis ac diverſis aliis innumerabilibus judiciis ſuis Deus flagellat, & corripit genus humanum, ſicut etiam Ægyptios, quos fulminibus & grandine devaſtavit. Et generaliter aliis rebus frequentat hominum caſtigationem. Hoſtili humiliat incurſu, terrarum C motu hiatuque vaſtat, turbinibus perdit, ruinis opprimit, naufragiis demergit: aliis quoque plagis innumeris verberat, ſive lentis infirmitatibus, ſive acutis languoribus, atque aere corrupto. Unde in Deuteronomio legimus, quæ hoſtibus ſuis repugnantibus, & rebellantibus præparat, ut eis ſecundum juſtitiam ſuam infligat debitas pœnas tribulationum. Item aliter: Nivem nunc in bonam partem, nunc in contrariam accipimus: & idcirco ſub nivis nomine præfiguratum hoc loco corpus adverſariarum poteſtatum colligunt, quod a caritate Dei longe diſceſſerit, id eſt, D Deum habitantem in cælo reliquerit, ut juſto judicio Dei projiceretur in terram. Hujus autem nivis & grandinis, quaſi in quamdam duritiam ſuæ naturæ oblita tranſierit, quaſi quædam ſecreta, cogitationum ſcilicet machinamenta, theſauros Deus voluit nominare, ſicut Propheta Ezechiel de eorum principe ait: *In multitudine negotiationis tua impleta ſunt interiora tua iniquitate*. Hujuſcemodi igitur Dominus cogitationum omnium ſolus cognitor perſcrutatorque eſt. Hos inquam theſauros, qui per ænigmata nives, & grandines nominati ſunt, ait Deus ſe præparaſſe in tempus hoſtis, diemque E pugnæ & belli. Et quoniam inſipienti corde nunquam ad Deum converſuri eſſent, diſpenſatione divina magiſtri pœnarum effecti ſunt, ut alios Dei judicio ad emendationem flagris correptionum caſtigent, alios vero ſecundum juſtam ſententiam Dei puniant, alios duris tribulationibus affectos conſtituant clariores. Sicut & in iſto ſancto Job manifeſte apparuit, in Ægyptiis quoque ſimiliter demonſtratum eſt,

A quibus non voluntate Dei pugnantibus, plagæ horrendæ immiſſæ ſunt per angelos malos. Item, Nunquid ingreſſus es theſauros nivis, & cætera. Potuit Dominus de adventu ſuo in carne hoc dixiſſe, quo ut ignis æternus & ignis cæli, igniſque divinus per quem omnes creaturæ rationabiles concaleſcunt, dignatus eſt ad terram deſcendere, qui velut ad niveam regionem, & frigidam mundi hujus atque inſtar grandinis nimio infidelitatis frigore duratam, exclamavit & dixit: *Ignem veni mittere in terram*. Proinde hujuſcemodi humanorum cordium theſauros, oblivione videlicet Dei ſui frigidiſſimos, ingreſſum ſe profitetur, ut expulſo perfidiæ frigore, dilectione ejus flagrarent & dicerent: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis*. Ut ad intelligentiæ ignem profectu fidei de ſtultitiæ frigore venientes dicerent: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cum*, illuminato corde atque accenſo caritatis fonte, *aperiret nobis Scripturas* Jeſus? Sic itaque ingreſſus mundum ac viſitans eum, aſpicit corda mortalium, quæ etiam & theſauri ab ipſo Domino nuncupantur in Evangelio, ita dicente: *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona*. Hæc igitur Deus facere præparavit, quæ diximus, hoſtis pugnæ & belli, in tempore utique pro nobis moriens: hoſtem gravem ac moleſtiſſimum inimicum diabolum in inferis triumphavit, & reſurgens a mortuis, in Judæa fidei ſuæ adverſarios expugnavit.

Per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram? Quis poterit proprie ſcire mortalium, quæ ſit via Solis, quam ordinato curſu agit in dextro climate cæli, ſpargentis lucem ſuper terras: aut quemadmodum æſtus per vices temporum, ſive per loca regionum omnium dividatur, ut alibi plus eodem tempore ferveat, & ipſe alibi temperato calore ſentiatur. Item, Per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram. Via eſt Evangelii prædicatio, per quam lux fidei ſpargitur ſuper corda credentium. Et pulchre ſpargitur, quia infidelitate mentes hominum aridæ, ubertate divinæ gratiæ irrorantur, & ita dividitur æſtus ſancti Spiritus ſuper terram fidelium. Sic inquam dividitur, cum unicuique datur gratia ſecundum menſuram donationis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sive hoc modo dividitur, cum aliis annuntiatio Chriſti odor vitæ in vitam fit, aliis vero odor mortis in mortem. Sic ergo dividitur ipſum bonum Evangelii, ut vitam aliis largiatur, aliis mortem, crimine infidelitatis operetur. Itemque via ſanctæ converſationis hominis, luxque timoris Dei, ſpargitur ſuper omnem corporis terram, ut fugiant ab eo tenebræ peccatorum & æſtus ei tentationum, opitulante Dei gratia, temperentur, ne exorto ſuper ſe ardore ſolis, exæſtuet. Et ſic itaque æſtus dividitur, cum eis non totum ſimul tribulatio-

num pondus imponitur, sicut ait Apostolus: *Fidelis enim Deus, qui non patitur vos tentari &c.* Et Salomon: *Effugiet æstus, filius prudens, vento autem corrumpitur in messe filius iniquus.*

Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui, ut plueret super terram absque homine in deserto: ubi nullus mortalium commoratur, ut impleret inviam & desolatam, & produceret herbas virentes? Hic vehementissimus imber, Salvatoris est Evangelium, qui emisit eloquium suum terræ, ut velociter curreret sermo ejus: hic inquam imber in montibus Jerusalem, de imo terræ in sublime surrexit. *Quoniam de Sion exiet lex*, ait Propheta: *& verbum Domini de Jerusalem*; & elevatus a sanctis apostolicis nubibus, velut aqua effluens, copiose currit, aura sibi flante Spiritus Sancti, in variis signis atque virtutibus viam sibi fidei fecit in nationibus, terrore nominis Dei atque miraculorum tonitruo præcedente. Alii dixerunt, *præparavit flumen omnium populorum*. Et flumen inquam Ecclesiæ præparavit, ut pluvia copiosa, & valida Spiritus Sancti inundaretur, sicut in ipso principio nascentis Ecclesiæ super Apostolos sanctosque cæteros demonstratum est. Quod autem in laudem imbris evangelici dicitur, quod pluerit super terram inhabitabilem, quæ hominem non haberet: non erit mirabile, si ut sonat, tantum intelligatur; sed in deserto, id est, nationibus, doctrinam dominicæ prædicationis copiose effudit. In deserto inquam, ubi nullus hominum fuerat commoratus, id est, quoniam nullus Prophetarum ad gentes a Deo erat missus, ut impleret invia & desolata, & produceret herbas virentes Evangelii. Imber terræ Ecclesiæ, quæ fuerat desolata a Deo, & pluvia caritatis Dei adipe replevit eam, atque in pinguedine, ut ex ubertate bonorum cælestium produceret ac proferret herbas virentes sativi seminis, secundum genus suum, sicut ait in psalmo: *Et florebit de civitate sicut fœnum terræ*, & multiplicatis fructibus faceret secundum Parabolam Domini, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum fructum, & audiret cum exhortatione se consolantem: *Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & exclama quæ non parturis, quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.*

Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris? Quis est hujus pluviæ, & hujus imbris dominici auctor, & conditor nisi Deus? Quam pluviam voluntariam segregavit hæreditati suæ, sicut dicit Pater ad Filium: *Fili, pete a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem terminos terræ.* Ipse etiam Deus genuit stillas roris: hinc & Propheta ait ad Deum: *Ros enim qui a te est, sanitas est illis.* Pro nde in fluvio, affluentissimam affluitatem largitatemque divinæ gratiæ demonstravit. In rore autem eamdem gratiam, sensim insuescentem visceribus, & medullas animæ penetrantem. Alii dixerunt, *vel quis genuit glebas roris.* Has igitur glebas unum, quemque sanctorum non absurdum erit intellexisse, quæ sunt in agro Ecclesiæ: quibusque dicit Apostolus: *Dei agricultura estis.* Illic ergo istæ glebæ per baptismum in Christo sunt genitæ, sicut ait Apostolus: *Creati in Christo Jesu in operibus bonis.* Unde hoc rore cælesti perfusi, pingues in Sanctis fructus, & uberes exstiterunt.

De cujus utero egressa est glacies? Uteri nomine, cordis secretum significasse mihi videtur. Non enim probabiliter glaciem egressam de ore Dei intelligere debemus, sed de illo mentis suæ secreto, & inscrutabili judicio, justam ac districtam manasse sententiam. Egredi ergo glaciem dixit, pro egrediente judicio, quo secundum suum meritum, quidam hominum percutiuntur plaga obdurationis, & corda eorum durissimo atque insolubili quodam gelu, & frigidissimo constringuntur: ut non sentiant ferventis divinæ caritatis calorem. De angelis apostaticis, verissime dici potest, & specialiter de Judæis intelligendum est, quibus aquæ eloquiorum cælestium glaciatæ sunt, ut in fructus gentium gratiæ largitate profluerent: de quarum vocatione dictum est superiore versiculo, & de quibus, *Posuit desertum in stagna aquarum, & terras sine aqua in exitus aquarum, & inhabitare fecit ibi esurientes*, id est, esurientes justitiam: *Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis, & benedixit eos, & multiplicati sunt nimis.* Qui ergo mente spiritualiter nunc ubique positam contuetur Ecclesiam, videt terram ejus, quæ fuit Deo aliquando deserta, nunc prædictis omnibus spiritualibus copiis abundare: sic itaque prædictas stillas roris de cælo defluentes suscepit Ecclesia, & secundum Judicum librum, quod tempore Gedeon ducis factum legimus, ros unius oviculæ gentisque modicæ, totam terram Christo credentem, qui ros est, gratia benedictionis infudit, & impletum est illud mysterium, quod Psalmista prædixerat dicens, *Sicut ros Hermon*. Hermon utique mons, qui interpretatur anathema, significat altitudine sua populum Judæorum. Illius ergo ros, gratiæ videlicet & benedictionis, descendit in montem Sion. Sion namque mons excelsus virtutibus atque sublimis Ecclesia est. In quo constituta est specula contemplationis futura credentium. Unde & ipsa virtutum species Sion interpretatur. Et ut nossemus proprium roris istius nomen, ait Psalmista: *Quoniam illic quidem*, scilicet in monte Sion, *mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in æternum*. Et sequitur dicente Domino.

Et gelu de cælo quis genuit? Hoc igitur modo de cælo obdurationis sententia sacrilegi feriuntur, quod utique malum juste eis a Deo dicitur procreari, ut Pharaoni scilicet & Judæis, quos propter infidelitatem

tem suam, & nimiam obstinationem cordis, legimus obduratos. Sequitur de hujusmodi, dicente Domino:

In similitudinem lapidis aquæ durantur. Nomine aquarum, secundum Scripturarum auctoritatem, populi intelliguntur: sicut Joannes Apostolus ait: *Aquæ autem populi sunt*; & David ad Dominum: *Libera me*, inquit, *de aquis multis, de manu filiorum alienorum*. De his ergo mihi dicere videtur, qui nimio oblivionis Dei frigore obriguerunt, & instar lapidum, solidi & nimium duri effecti sunt. Deinde ait.

Et superficies abyssi constringitur. In abysso, profundissimam obscuritatem mentis puto intelligendam, quæ ita obtusione infidelitatis nimiæ operiatur, & constringatur quodam gelu impietatis, ut saxo similis fiat, ita ut tali mente, non sit ad Deum ullus aditus respirandi, secundum illud quod Apostolus de Judæis testimonium propheticum assumens, locutus est, dicens: *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant usque in hodiernum diem.* In Psalmo quoque centesimo quadragesimo septimo, de gelu, vel glacie & crystallo, secundum hunc sensum quem Dominum dixisse hic legimus, Prophetam mystice locutum, manifestum est. Possumus hæc loca & simpliciter intelligere, & gelu de cælo quis genuit? Cælum appellantes glacialia montium, & excelsorum cacumina, & per immensum aerem, loca cælo viciniora, vel magis proxima. Secundum hanc ergo consuetudinem Scripturarum, ipse Dominus inquit in Evangelio, *volatilia cæli*. His secundum literam nunc omissis, ea potius, quæ sacrate a Deo prædicata sunt, intelligere & credere nos oportet.

Nunquid conjungere valebis micantes stellas pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? Nunc de cæli ordine, & astrorum circuitu loquitur ad Job. Pleiades appellat stellas, quæ junctæ, velut septem esse monstrantur. His ergo Græci, quod multæ simul essent, nomen ab ipsa multitudine posuerunt: πλῆθυς vel πλῆθος enim multitudo dicitur, & inde derivatum est, ut pleiades appellentur. Ait ergo Dominus ad Job: nunquid ut hæ stellæ junctæ, & simul sint, tua potentia facere potuisti? Septentrionis quoque sive arcturi circuitum, quem indesinenti gyro per sinistram plagam mundi in se feci recurrere, ut totus in se vadat semper & redeat: nunquid tu poteris dissipare? De astris cæli, sive signis & in aliis locis Scripturæ legimus, sicut in Jesu Nave & Judicum: *Fuit*, inquit, *terminus Amorrhæi ab ascensu scorpionis petra, & superiora loca.* Ut igitur Domini verba secundum mysticos intellectus dicamus, cælum interpretemur Ecclesiam, quam superius Dominus terræ vocabulo nuncupavit, sed ibi propter originem suam terra est appellata. Nunc vero sublimata per Christum in gloriam: cælum rectissime intelligitur. In hoc igitur cælo etiam stellæ pleiades, & septentrionis, unam in se sacræ interpretationis continent formam. Ipse enim septenarius numerus septiformis Spiritus gratias in se demonstrat, quæ in hoc micant, ipsique gratiarum spiritus in eodem firmamento cæli sunt fulgentes. Istæ igitur stellæ per Prophetam, septem oculi Domini appellantur, quorum oculorum gratias atque virtutes Isaias Propheta enumerat, ubi de Salvatoris nativitate vaticinatur dicens: *Et requiescet super eum spiritus Dei: spiritus sapientiæ, & intellectus: spiritus consilii & virtutis: spiritus scientiæ & pietatis: replevit eum spiritus timoris Dei.* Quemadmodum ergo quisquam non potuit indissociabilis luminis spiritualia astra conjungere, ita omnino fieri potest, ut hæ stellæ gratiarum, Ecclesiam meam circum lustrantes ab unius connexione insolubili separentur. Quod autem alii dixerunt, aut intellexisti nexus pleiadis: ad spiritualem intelligentiam erigit animum contuentis, ut aliquid allegoricum laboret inquirere.

Nunquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis? Stella est, quam Luciferum dicimus, stellis cæteris clarior, quam ferunt etiam doctores Ecclesiæ, unam esse de illis quinque stellis, quas planetas vocant, quia dissimilem aliarum stellarum cursum habeant, multoque velociorem, & inde planetæ, id est, vagantes, sive errantes dicantur, eo quod non certum, sed mutabilem cursum habeant. Hunc igitur Luciferum appariturum terris, post biennium in Oriente autumant nasci. Aliam vero stellam, quam Vesperum appellavit, eo quod circa diei vesperum suo tamen tempore mundo monstretur: hanc, inquit Deus ad Job, super filios terræ consurgere facis? Qui ergo intelligis potentiam omnia gubernantis, & in te operantis agnosce justitiam. Hanc stellam multi putant Hesperum dici. Unde & Italia Hesperia nominata sit, eo quod illic tempore suo primum apparet. Spiritualiter autem verba sunt Patris de Filio suo Salvatore nostro dicentis sic: Nunquid educes Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis? Ubi & adventus Domini in carne venturi significatus est, & resurrectio ejus ex mortuis figurata, veniente plenitudine temporis. Ait autem, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege*. In hoc igitur tempore suo eductus est a Deo Patre, ut terras inviseret, qui ideo Lucifer nuncupatus est, quia veniens de sublimibus, tanquam post biennium, post legem & Prophetas ortus est, & super nos positos in tenebris, & umbra mortis, lucem nobis fidei ac tempestivæ cognitionis exhibuit. Vesper vero idem Filius hominis appellatur, qui in cruce tempore passionis occubuit. De quo ait Pro-

pheta populis credituris: *Iter faciet ei qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi*. Qui utique in tempore occasus, quando ait ad Patrem: *In manus tuas commendo spiritum meum*, posuit tenebras, & factæ sunt in corde infidelium Judæorum. Hunc ergo Deus Pater, ut pastorem magnum ovium excitavit. Hunc, inquam, Vesperum, eo quod sacrificium vespertinum in vespera sæculorum missus obtulerit, filium hominis super filios terræ consurgere fecit: utinam non sint caro, & terra esca serpentis, neque filii noctis & tenebrarum, sed sint filii Luciferi, filii Dei.

Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem ejus in terra? Si numerum astrorum omnium potest quispiam mortalium nosse, potest & militiæ eorum ordinem perscrutari. Nemo ergo hæc proprie novit nisi solus ille qui condidit. Spirituali autem sensu ita intelligi potest: Nunquid tu Job quasi cognitor futurorum, jam nosti quo ordine in cælo Ecclesiæ, quam diversæ atque multiplices gratiæ spiritus mei, velut stellæ refulgeant, sive qua gloria, vel quo ordine meritorum, ut siderum radiantium globi, sancti in resurrectione fulgebunt? Hunc locum alii ita vertunt: *Ut omnia quæ sub cælo sunt, pariter fiant*. Ubi hoc dicere videntur, quod volubilitate sive temporum, sive stellarum per spatia sibi succedentia redeat & recurrat. Spiritualiter autem ita dictum existimandum est, quod dispensatio per Christum reconciliationis humanæ, usque in finem sæculi crescat, ad notitiam omnium nationum, sive quia sancti ut ad calcem virtutum perveniant, quotidie morum sanctitate proficiant, & ideo sub cælo, id est, sub obedientia Ecclesiasticæ disciplinæ sunt constituti.

Nunquid elevabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Primo auditu hoc ita intelligendum est. Nunquid habes tantam potentiam, ut ad imperium ac nutum tuum illico imbres infundentes, & operientes de cælo descendant. Secundum altiorem vero intelligentiam, vocem, inquit, elevo, ait Dominus, quando hominibus clamo: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, & pietatis affectu, pulso secreta mentis ipsorum: ubi est velut nebula caligo peccati, & nominis mei valde obscura oblivio, ut obedientibus voci meæ innumeris populis circumdatus, quasi impetu influentibus aquis operiar, quibusque velut vestimento induar, ut in eis habitem, sicut Propheta ait: *Sicut sponsa induit me vestimento*. Alii dixerunt, *Vocabis nubem voce, & in tremore aqua valida obediet tibi*. Aqua valida tremendum divinæ voluntatis præceptum est, quod Deus quemlibet sanctum voce, id est, affectu clamoris, & insinuationis instinctu, ut obediendo salvetur, observare jubet. Nunquid tu Job aliquid simile facere potuisti?

Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi, adsumus? In his sermonibus Dei, adesse virtuti ejus credendum

A est quæcumque voluerit, cui etiam omnia insensibilia, quasi sensibilia sunt: sicut dicit Propheta: *A facie Domini commota est terra, a facie Dei Jacob*. Reverti autem fulgura ideo appellantur, quia isti mittuntur a Deo, ut prædicatione Evangelii mundum illuminent, quibus Dominus ait: *Vos estis lux mundi*. Et iterum: *Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad ultimum terræ*: & in fine sæculi revertentes cum fructibus manipulorum suorum venient in exultatione, & dicent: *Quinque talenta mihi tradidisti: ecce alia quinque lucratus sum*. Sive fulgura sunt inspirationes divi-

B næ, quibus illuminantur corda sanctorum, ut eis accensis in amore caritatis Christi conflagrent. Hæc autem fulgura illuminationis Dei revertentur ad Deum, qui ea ad desiderium sui excitandum emiserat, quando per eamdem visitationem divinam ardenti animo, & ferventi opus suæ illuminationis effecerunt.

Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam? Manifestum est quod homo, quando ad imaginem & similitudinem Dei factus est, sapientiam rationis accepit, ut præstaret cæteris animantibus, quæ ratione, & pru-

C dentia carent. Quibus autem bonis a Deo homo donatus sit: lectorem ad eos transmitto qui de bono naturæ, ejusque virtutibus plurima conscripserunt. Gallo etiam gallinaceo Deus hujusmodi sensum dedit, ut emenso noctis tempore, quasi proximæ lucis memor eamdem mundo canens annuntiet revertentem. Secundum intelligentiam vero spiritualem ita sentiendum est: quoniam Christus Dei est virtus Deique sapientia. Hunc Pater in visceribus hominis posuit: sic enim Dei sapientia qui est Filius ejus, ait, cum eum Petrus Filium Dei confessus fuisset, dicens: *Tu es Chri-*

D *stus Filius Dei vivi. Non tibi revelavit hoc caro & sanguis, sed Pater meus qui est in cælis*. Et Apostolus: *Cum autem complacuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit in gratia sua, ut revelaret Filium suum in me*. Gallum vero puto esse unumquemque sanctorum, qui in nocte & tenebris hujus mundi, accipiunt fidem, intelligentiam, & virtutis constantiam clamandi ad Deum, ut inspiret jam dies permanens & amoveantur umbræ vitæ præsentis, cum urgenti & frequenti clamore precum suarum dicentes: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*. Quod & de Prophetis intelli-

E gere possumus, qui certatim annuntiaverunt diei ac solis adventum. Hoc in loco aliorum multo aliter interpretatio habet, qui ita dixerunt: *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, & varietatum scientiam?* Si scientiam varietatum, & textrini operis sapientiam a Deo solæ mulieres acceperunt, de quibus dicitur, *Sed mulieres doctæ dederunt, quæ noverant in opus tabernaculi*: de qualibus & Dominus hoc loco, quasi specialiter ait: Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, & varietatum scientiam?

Quo-

Quomodo in Exodo Beseleel & Oholiab A sacerdotum & tabernaculi vestimenta vario ac polymitario opere texuerunt. Noverimus ergo esse animas sanctas, quæ hoc opus efficiendi etiam nunc in historia per intelligentiam spiritus acceperunt: quibus utique sicut scriptum est, *Dedit Deus sapientiam & intelligentiam, quidquid etiam fabre adinveniri potest, dedit in corde eorum.* Sic itaque repleti sunt spiritu sapientiæ, & intelligentiæ, & sapientiæ vel scientiæ, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum omne opus, quoniam tabernaculum illud legis, sanctæ Ecclesiæ imaginem præferebat. Dicamus de hac varietate mo- B rum, sive meritorum velut vestem vero Salomoni ministrantium, quod per figuram regina Saba dixit Salomoni, cum admiratione laudans sapientiam ejus, & domum, cibos, habitacula, & servorum ordinem, vestes & ministros, & holocausta, quæ offerebant in domo Domini continenter, hanc officiorum varietatem contextam esse per diversas in toto mundo Ecclesias, per quas alibi conjugati, alibi continentes, alibi virgines: hi per eleemosynas, illi per alienationem omnium facultatum: illi per crucem, & mortificationem terrenarum cupiditatum, illi per scientiam Scripturarum C multiplicibus Sancti Spiritus gratiis, velut diversis coloribus Christi corpus exornant, sibique æternæ gloriæ, & immortalitatis vestimenta conficiunt. Contexunt etiam perfecto intellectu fidem Trinitatis, velut spartum triplex quod non cito rumpitur. Hujusmodi vestimenta istæ spirituales mulieres operantur, id est, sive sanctæ animæ, sive Ecclesiæ per diversa regionum spatia constitutæ.

Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? Certum est, quia nullus cælorum rationem, vel stellarum cursum poterit aut sermone narrare, aut mente concipere. Quod autem ait: D Concentum cæli quis dormire faciet? multis Scripturarum locis laudare Deum elementa dicuntur, pro eo quod in illorum dispositione ac pulchritudine Deus, vel ab hominibus, vel ab angelis prædicetur. Id est, quis homines in ejus laudibus vitam exercentes dormire, id est, quiescere faciet? Pro hoc itaque honore, qui ab Ecclesiæ congregatione persolvitur: quis alius quam ipse requiem dabit ac refrigerium in sempiternum? Dormitio enim aliquando in Scripturis requies intelligitur, ut Isaias Propheta ait, *Justitia dormivit in ea*: id est, in Jerusalem æquitas justitiæ requievit, nunc E autem homicidæ. Et sanctus quidam, super quem signatum fuerat lumen vultus Domini, ait in Psalmo, *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Item in alio loco, *Si dormiatis*, inquit, *inter medios cleros*, id est, inter sortes duorum Testamentorum requiescatis. Et concentum cæli quis dormire faciet? Sanctos angelos intelligamus, qui pro ipsa habitatione, cæli cælum dicti sunt per Prophetam hoc modo, *Cælum cæli Domino.* Hujus igitur cæli concentum, ait Dominus, quis dormire faciet, id est, quis erit ille qui eos a perpetuis laudibus, quibus me benedicunt, sanctus, sanctus, sanctus Dominus, incessabiliter concinentes, ut cessent, & quasi obdormientes possit inhibere? Quis narrabit cælorum rationem? Et Sancti cælorum nomine crebro dicuntur, de quibus secundum mysticos intellectus Propheta vaticinatur, dicens: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Horum igitur donationes, quas habent secundum Dei gratiam differentes; quis poterit vel ipsam fidei ipsorum narrare rationem?

Quando fundabatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur? Pulvis de quo Dominus ait, gentium infidelitatem signat: pulvis utique aridus, & solutus fundamento in Ecclesia Apostolico admiscetur, ut per fidem & colligationes, sive compagines caritatis, conglutinatio in Christo fœdere unionis, & pacis, in augmentum Dei velut in terram solidam crescendo proficiat. Unde glebæ agri dominici, effectæ frugiferæ, in unum corpus Ecclesiæ caritatis copula compinguntur. Cælorum quoque appellatione Scripturæ sanctæ recte dicuntur: eo quod desursum sint hominibus attributæ, sive quia cælestia in se contineant sacramenta. Horum igitur cælorum, id est Scripturarum rationem, quæ de mysteriorum obscuritatibus opacatæ sunt, & profundæ, quis poterit animo perscrutari, vel eloquio proferre, aut quis eorum vaticinia cessare præcipiet. Antiqui interpretes ita dixerunt: *Quis cæli organa in terram declinavit?* id est, quis est qui cælorum laudantium Deum cantus, usque ad hominum inclinavit notitiam, ut imitatione laudis ejus, socii angelorum effici mereantur.

Nunquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis. Ex his quæ per omnem textum sermonis hujus enumerat, sex sunt quadrupedia, & quatuor volatilia. Et in hoc decalogi perfecto numero videri potest quod omnem creaturam intelligi voluerit Deus, quæ per eum utpote per auctorem regitur. Decimus autem numerus perfectus est: quia per ipsum iterando, omnis numerus in infinitum multiplicatur. Ergo juxta literæ superficiem, hoc ait: Ego qui omnia justa dispensatione procuro, circa te tantum, o Job, videor injustus. Juxta spiritualem intellectum, leæna sive etiam leo, diabolus est intelligendus, qui & in multis locis Scripturarum propter sævitiam, & fortitudinem ita nominatur. De hoc igitur Dominus ait, quod nemini nocere possit, nisi a Deo acceperit potestatem. Justo ergo judicio ejus traduntur, quia ille omnino vires non habet dominandi, nisi ipse permiserit. Nunquid capies leænæ prædam, id est, sicut ego eam capere permittam. Puto autem hoc loco ideo catulos dictos, quia leænam nominaverat, quos veneno malitiæ suæ, sive nequitiæ, velut lacte

ſte nutrierat ad homines perimendos. De quorum mortibus, nequiſſimorum ſpirituum animæ reficiuntur, & de his in Pſalmo ait: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant a Deo eſcam ſibi.* His igitur leonibus, & draconibus eſcas dare Deus dicitur: quando illos quos expetunt, in poteſtatem accipiunt.

Quando cubant in antris ſuis. (*In ſylvis* alii dixerunt) *& in ſpecubus inſidiantur?* Antra ſive ſpeluncæ ſunt corda hominum impiorum: in his latibulis ſedent, ſive cubant in inſidiis, ut interficiant innocentem.

Quis præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant ad Deum: vagantes, eo quod non habeant cibos? Arbitror quod & hic corvus adverſariam partem ſignificet, ſicut & pulli ejus, ut quemadmodum ſuperius leænam, & catulos ejus intelleximus diabolum, & turbam perditorum ejus, ita & hic corvum eumdem cum pullis ejus intelligamus. Quod ergo dicitur vagantes, indicatur hoc verbo, quod quaſi quandam famis rabiem patiantur circa hominum genus, ut perditionem portionis ejus, velut cibum ſumant, & ideo ſatagere videntur omni inſtantia, donec ad effectum votorum ſuorum perveniant, ſicut audivimus Spiritum Sanctum, per Salomonem dicentem: *Oculum irridentem patrem, & contumelioſum ſenectuti matris, effodiant eum corvi de convallibus, & devorent eum pulli aquilarum.* Poſſumus & ita ſentire, ut corvum, id eſt, diabolum, & omnes ſocios ejus quondam patres habuerimus, cum erroribus eorum aſſimilaremur & vitiis, & inde etiam & pullorum nomine dicebamur. Sed relinquentes eos, quod & ſponſa docetur, ut faciat: quæ ſponſa nos ſumus, cui dicitur: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui*, & invocantes nunc Dominum, poteſt fieri, ut priſtino adhuc nomine appellemur: ſicut Propheta ait, ubi de Deo loquitur: *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Et reor quod ideo priſtino nomine cenſeamur, ut noverimus quid fuimus, & quid nunc per Chriſti gratiam ſimus. Et inde hoc ipſum magnum bonum intelligentes, magis Deo gratias referamus, dicentes cum Apoſtolo: *Gratias Deo Patri, qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii claritatis ſuæ.* Mos autem ſanctæ Scripturæ hujuſmodi eſt, ut priſtina culparum nomina in ſanctis frequenter recenſeat, ſicut beatus Iſaias Propheta ait de Deo: *Benedicent me beſtiæ agri*; & Apoſtolus Matthæus dicitur publicanus. Videamus hunc locum; ſi & in bonam partem exponere poſſimus, ut iſtum corvum, & Chriſtum interpretemur. Sicut enim ſecundum Scripturarum conſuetudinem, montem dicimus Dominum noſtrum, & diabolum ſimiliter appellamus: petram quoque ac lapidem, arborem etiam, & gladium dicimus: ita & corvum fortaſſis dicere poſſumus. Nam & ſponſa Eccleſia, inter cætera præconia laudis de Chriſto, ita ait in Cantico Canticorum: *Crines ejus ut abietis, nigri ſicut corvus*: ſed quando diabolo corvi nomen aptamus, dicimus eum nigrum criminibus atque tetrum, & qui in tenebris nequitiarum commoretur. Quando vero eo nomine Salvatorem ſignificari dicimus, myſteriorum arcanis eum in Scripturis ſuis obſcuriſſimum eſſe ſentimus. Et cum ſciamus diabolum in Scripturis ſerpentem nominari, quis auderet de Domino ita credere, niſi ipſe in ſe ſerpentis ſimilitudinem verbis propriis expreſſiſſet, dicens: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*: & diſcipulos tales admonuit eſſe dicens: *Eſtote aſtuti ut ſerpentes.* Et ſerpens, id eſt, diabolus maledictus a Deo eſt, eo quod Evam ſeduxit aſtutia: & Chriſtus maledictus dicitur: quia maledictus omnis qui pendet in ligno. Maledictum quippe hominis in ſe ſuſcipiendo, id eſt, eam quæ ex ſententia Dei venerat mortem, ut maledictum ſuſpendit in ligno, & inde eſt quod pro nobis Chriſtus factus eſt maledictum. Hæc exempla protulimus, ut firmetur ſenſus ſupra prolatus: ſequentia videamus. Nunc igitur Chriſto corvo figuraliter dicto, pater præparat eſcam, cum ei ex gentibus convocat credituros, ſicut de eodem patre Propheta ait dicens: *Qui ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit eum, ut ſequeretur. Dabit in conſpectu ejus gentes, & reges obtinebit.* His igitur ad fidem vocatis, Dominus Chriſtus velut eſca gaudio exultationis reficitur. Hujus populi, id eſt, diſcipuli, & omnes credentes clamant ad Deum in oratione, panem ſubſtantialem quotidie poſtulantes, & hoc ipſum vagantes faciunt, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram, ubi ſedem ſibi firmam, & ſtabilem non conſtituerunt, ſed dicunt cum Apoſtolo, *inſtabiles ſumus.* Hi igitur habent quidem cibos Scripturarum: quarum conſolatione paſcuntur, ſed ſpei & fidei cibus eſt, non alimonia rei proprie permanentis. Et idcirco in hoc mundo vagari dicuntur: donec ad immobilitatem quandam ſæculi futuri perveniant. Nam & ad hunc intellectum ſpiritualem pertinet, quod corvi iſti, rore paſci dicuntur, ſicut philologi ſe retulerunt indagaſſe.

Caput XXXIX.

NUNQUID *noſti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas obſervaſti?* Ibices ipſi ſunt, quos Greci tragelaphos vocant, admixto nomine hirci, & cervi, eo quod neceſſe eſt, ut ſimile ſibi aliquid hæc animalia habeant, & unum horum puto in Canticis Canticorum damulam vocari, quæ aliquando, & caprea, ſecundum legem mactabantur. Et in Cantico Canticorum crebro ſimul ponuntur, & munda appellantur, quoniam cornuta eſſent.

ſent, & ruminarent, ungulamque dividerent. Iſtius ibicis ſunt & alia animalia quaſi ejuſdem generis, ut eſt, corvorum, ſicut in Lege dicitur: *Et omnes corvini generis aves non manducabitis*. Hæc ergo animalia, vel maxime in ſaxis nutriuntur, & in cavernis petrarum. Ibicum tempus quando pariunt noſti, ait Dominus ad Job: vel quando cervæ parturiunt obſervaſti? Quanta alia ſunt in Scripturis magis obſcura atque ab hominum notitia longe remota, de quibus aliqua in hoc libro ipſe Dominus videtur dixiſſe, quam ſunt quæ ad Job nunc loquitur: quod enim laboris eſt noſſe tempus cervarum, & ibicum parturien- B tium? aut unde tam latebroſum eſt humanæ notitiæ, ut poſſit tempus horum animalium parientium penitus ignorare, præſertim cum hæc ipſa animalia pene in medio hominum commorentur. Proinde, ne ſit apud quoſdam hic ſermo Domini vilis, & forte ab eis ſuperfluus exiſtimetur, altius quod dixit intuendum eſt, ut dicamus in myſteriis ſub nomine horum animalium, præfiguratos Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, & omnes prædicatores veritatis: qui in fortitudine fidei & patientia, velut in petris per ſpiritum imbuentem eos, verbum Evangelii perfecte in ſe C formatum parturiant, vel cum doloribus perſecutionum parturiant. In petra parturiebat & ille qui dixit: *Nam in Chriſto per Evangelium ego vos genui*. Hoc igitur tempus futurum conſtitui, & animas prædictorum, velut cervas, quæ de timore meo concipiunt, ut ſpiritum ſalutis pariant ſuper terram, tu forſitan, quaſi obſtetricantis officio, diligentiſſima ſolicitudine obſervaſti, dans eis os, & ſapientiam de utero mentis ſuæ, minus fortaſſe ſolidum, vel integrum verbum prædicationis, velut fœtum in hanc effunderent lucem.

Dinumeraſti menſes conceptus eorum, & D *ſciſti tempus partus earum?* Vivum verbum Dei, & validum, penetrans uſque in diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, in hoc ſpirituali conceptu profectus quoſdam incrementorum, velut per menſes temporum in cordium ſinibus operatur, ut ipſis Apoſtolis primum apparuit, qui in initio prædicationis, quaſi parvi, & modici viſi ſunt, ſed paulatim corroborante eos ſpiritu, verbum in eis demonſtratum eſt, uſque ad menſuram plenæ gratiæ perveniſſe. Quod velut partu edentes, totum atque perfectum ac plenum divinis promiſſionibus ſcribentes, diverſis E Eccleſiis ediderunt. Hujuſmodi igitur conceptus, & partus tempora, qui hoc modo ſpirituali utero cordis fiunt, unde & tu Job, ait Dominus, cognoſcere potuiſti? quorumque tempora ſunt in Evangelio præfinitionis meæ conſilio conſtituta. Ubi ergo dictum eſt, & ſciſti tempus partus eorum: Alii dixerunt, *& dolores eorum ſolviſti*. Dolores ſunt inſectationes & tribulationes, quæ prædicatoribus inferuntur, a quibus doloribus iſti tunc abſolvuntur, A quando invitati ad requiem abſolvuntur a corpore. Sive tunc abſolvuntur a doloribus perſecutionum, quando in ſpe poſiti, pro malis præſentibus ad promiſſionem æternæ remunerationis aſpiciunt.

Incurvantur ad fœtum, & pariunt: & rugitus emittunt. Doctrinam lacteam propinando incredulis & infirmis, ſicut ait Apoſtolus: *Lac vobis potum dedi, non eſcam*: ab illa celſitudine ſapientiæ ad humiliora prædicatores quodammodo humiliantur atque deſcendunt, ut vir fiat parvulus: & his qui ſine lege ſunt, tanquam & ipſe ſit ſine lege. Et dum eos conantur in Chriſto formare & parere, rugitus emittunt, dum ab inimicis Chriſti ſupra modum ac ſupra virtutem ſuam gravantur, ita ut tædeat eos etiam vivere. De qualibus etiam dicit Apoſtolus: *Et nunc flens dico inimicos crucis Chriſti*. Sive ex affectu caritatis hujuſmodi rugitus emittunt, ſicut ait idem Apoſtolus: *Triſtitia mihi eſt magna & continuus dolor cordi meo*. Item ait: *Ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas*. Qualibus dolens ex caritatis viſceribus dicit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*. Item ait in Actibus Apoſtolorum, ubi omnem fraternitatem collectam alloquitur: *Vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi cum lacrymis monere unumquemque veſtrum*. Et iterum ait: *Ipſi ſcitis qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Domino cum omni humilitate & lacrymis*. Hæc igitur idcirco dicta ſunt, ut ſciamus quoniam ad gemitus & rugitus pertineant tribulatio, anguſtia, lacrymæ & dolor continuus cordis ſanctorum. Aliter incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt: ubi prædicatores veritatis verbum fidei cœperint editione eloquii prædicare, illico ab adverſariis incurvantur, id eſt, cuſtodiis carcerum humiliantur atque verberibus; ſed quia nec in vinculis verbum Dei eſt alligatum: illic nihilominus id populis pariunt, quo & ipſi in Chriſto naſcuntur: Sicut ait ut diximus in regeneratos, ſanctus Apoſtolus: *In Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui*: Deinceps ad Deum in orationibus rugitus deprecationum emittunt, vel pro perſecutoribus ſuis Deum rogantes, vel perſeverantiam fidelium, adjutorium divinæ gratiæ ſuppliciter implorantes. Aliter, rugitus emittunt, quia qui adjicit ſcientiam, adjicit dolorem: gemunt ſancti cogitantes quanta ſunt pericula hujus vitæ, vel quam longe ſunt a virtutibus quas requirunt.

Separantur filii earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas. Parturitione Apoſtolica, filii quos ſancti in Chriſto genuerint, ſive a priſtinis erroribus ſuis, ſive etiam a carnalibus oberibus ſeparantur: in quibus nunc erubeſcunt, ut jam non ſibi vivant, ſed Chriſto, qui pro eis mortuus eſt, & reſurrexit. Pergunt ad paſtum: id eſt, per ſcientiam profundioris intelligentiæ quotidie excitati converſa-

versatione proficiunt, dicentes, animalia sancta veri pastoris: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*: & cætera, quæ sequuntur in Psalmo eodem; sic, inquam, pergunt sancti filii evangelizantium pacem, sicut jam dixi, id est, crescunt atque proficiunt. Ad istum pastum Domini, & ad hanc alimoniam sanctarum animarum, & ad tales delicias spirituales, egrediuntur utique ab infantia morum quotidie proficientes, proficiscentes virtutum merito in virum perfectum. Et non revertuntur ad eas. Non revertuntur, ut iterum necesse sit eos doceri, quæ sint elementa exordii sermonum Dei. Non revertuntur ad ea quæ retro sunt, sed ad ea quæ in ante sunt se extendunt. Non revertuntur, ut quidam, quibus ait Apostolus: *Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis*: sed potius subeunt gradus ascensionum, inambulant de virtutibus in virtutem. Hujusmodi ergo filii non possunt audire, ut Galatæ, vocem increpantis Apostoli: *vellem esse apud vos, & mutare vocem meam*. Hic ergo sermo Dei sub figura caprearum, & ibicum, describit Apostolos, sicut jam dixi, & apostolicos viros, atque omnes doctores Ecclesiæ, per quorum doctrinam Ecclesia spirituales sibi filios generat. Et unaquæque anima de verbo Dei concipiens, parit filios bonorum operum, quæ tamen cervæ sit similis, & ibici, ut in montibus habitet, & in petris nutriat, veloxque sit, & alacris ad currendam viam Domini. Serpentes quoque de terra sua educat, & vivat multo tempore, audiens Prophetam: *adjicientur tibi anni vitæ tuæ*. Talibus cervis sunt montes excelsi, quos Domini vox perficit, & quorum pedes in consummatione perducet.

Quis dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit? In cerva & ibice superius figuram Ecclesiæ esse monstravimus. Nunc vero onagri nomine, arbitramur populum Judæorum posse intelligi, quem Deus ob incredulitatem ejus dimiserit, sicut ait: *Et dimisit eos secundum desideria cordis eorum*. Quod in multis aliis locis Scripturarum Deus hoc futurum esse testatur. Cujusque vincula præcepta esse legalia non absurde sentimus. Nam eumdem contumacem populum & rebellem, Propheta ita objurgat, & increpat, dicens: *Vacca lasciviens Israel, confregisti jugum, rupisti vincula*. Hunc igitur quasi onagrum, immundum videlicet animal ac effrene reliquit Dominus, ut ab eo jugo imperii sui, quia semper restitit obedire, a vinculis præceptorum diaboli solveretur, & secundum Apostolum servus peccati, liber esset justitiæ; sic enim ipse Dominus de Judæis ait in Psalmo: *Disrumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum*: ubi ipsa Trinitas Dei hoc dixisse videtur. Nam quemadmodum in Genesi in factura hominis pluraliter dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: ita & hic locutus est: *Disrumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum*. Quem locum Actus Apostolorum ita se habere manifeste declarant: ubi Apostoli ad Deum elevaverunt vocem suam atque dixerunt: Domine tu qui fecisti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus*. Ob hoc igitur scelus quod in Christo Filio Dei commissum est, ait Pater, qui in spiritu suo hoc futurum prædixerat, dicens: *Disrumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum*. Processit grande peccatum ac nefandum, quo Salvatorem crucifixerunt, ut merito ab eis vincula præceptorum Dei disrumperentur, & ita legis jugum projiceretur. Quod autem jugum, & vincula eorum dicta sunt, cum Dei fuerint potius quam Judæorum, quibus legem ac præcepta dederat mandatorum: hoc maxime requirendum, quod ita dictum, quia Judæi legem carnaliter intelligentes, quam ex operibus se implere arbitrabantur, quasi suam effecerant, sicut dicit Apostolus: *Israel vero sectans legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit*. Quare? quia non ex fide, sed ex operibus. Et ideo de eisdem sequitur, dicens, *Ignorantes enim Dei justitiam, & suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti*. Quod autem ait, suam volentes statuere justitiam, non quia lex ab ipsis sit constituta, hoc ait, sed in lege quæ ex Deo est suam constituerant, quando eamdem legem suis viribus se implere posse credebant, & idcirco secundum hunc sensum Judæorum vincula disrumpenda a Deo dicuntur, & projiciendum jugum ipsorum.

Cui dedit in solitudine domum. Justos destitutos in solitudine, videlicet protectione defensionis meæ habitare feci, sicut etiam postmodum ore prophetico locutus sum dicens: *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*. Solitudo itaque factus est populus ille, & eremus, quia ablata lege, prophetia, sacerdotio, sacrificio quoque ac beneficiis divinis, gratiæ etiam protectione privati ac destituti sunt.

Et tabernacula ejus in terra salsuginis. Ut sine ulla spe promissionis Dei sterilis viveret, & infructuosus terram salsuginis dicitur accepisse: ubi præter amaritudinem qua Deum provocaret ad iracundiam, nihil haberet. Sic namque alibi de Deo dicit Propheta: *Posuisti flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea*.

Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Ecclesia est hæc civitatis, quæ constat ex multitudine innumerabilium populorum, de qua Dominus ait: *Non potest civitas abscondi in monte posita*. Hanc igitur quisque Judæus despiciens, res-

respuendo contemnit, clamorem etiam cujuslibet evangelizantis verbum Dei, & exigentis obedientiam fidei, non audit, id est, obedire detrectat. Ob hoc igitur, incrassatum est cor eorum, & oculos suos clauserunt, ut non videant oculis, & auribus non audiant, & corde intelligant.

Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit. Montes, superbos quosque doctores, scribas videlicet, & pharisæos legis suæ, quasi suspiciens, eisque honorem deferens, adulationis ambitu circumit: ab eis proculdubio, in quibus, est doctrina hominum, non recedens, in quibus etiam montibus ubi se pascua carnalis legis habere gloriantur, virentia quæque perquirit, quæ ad delicias utique carnis, & sabbatha delicata pertinent, & quæ velut virescentis superficie legis historiis, nullum fructum habeant figurarum.

Nunquid volet rhinoceros servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Sive ut alii dixerunt; *Nunquid volet monoceros servire tibi?* Ex diversa editione transferentium advertimus, quod ipsum sit rhinoceros quod & monoceros, & Latine intelligatur unicornis, sive super nares cornu habens. Sunt ergo hujuscemodi feræ in solitudine Orientis, & ab hominibus nonnunquam videntur, sive capiuntur. Hic igitur monoceros, populi gentilis imaginem præfigurat; cujus etiam superbia significatur in cornu: sicut quibusdam peccatoribus, & superbis a Deo dicitur per Prophetam: *Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum: quia veternosa atque antiqua in his, quos Deus increpat, superbia est.* Secundam aliam editionem, in hoc eodem loco Psalmi legimus: *Nolite exaltare in excelsum cornu vestrum, loquentes in cervice veteri.* In multis quoque aliis Scripturarum, cornu nuncupato, legimus superbiam nominari: licet & in bonam partem cornu soleat dici, ut est illud: *exaltabit cornu Christi sui.* Nam & ipse Dominus Christus, propter singulare imperium suum, aliquando & unicornis dicitur. Legimus quoque cornua & regna dici, ut in Daniele & Apocalypsi continetur. Hic monoceros, qui per sapientiam mundialem tumore superbiæ erat in sublime porrectus, nunquid tibi subjicietur, ait Dominus ad Job, ut per fidem in sanctitate, & justitia serviens, obedientiæ colla submittat, & mansuetus effectus atque humilis, ad dominicum præsepe recurrat, ac verbis Dei hominisque assumti, sacris cibariis saturetur. Sive, nunquid subjicietur, ut in Ecclesiæ meæ claustro habitet, quod erit viantibus stabulum, atque huic sæculo renunciantibus salutare perfugium: ubi spiritualium ciborum alimoniis, institutionibus, & cælestibus pinguescat eloquiis, & impleatur in illo, quod erit per Prophetam postea prædicendum: *Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* In monocero-

A te quippe hic nominato, sicut in Propheta per asinum, immundus & incircumcisus significatus est populus omnium nationum.

Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te. Lorum hoc loco dictam ipsam caritatem Christi, quæ est inter omnes virtutes præcipua, intelligere debemus, de qua ad diligentes atque amantes Deum, ait Apostolus, *Copulati in caritate*: cujus vinculis colligandos, Propheta olim prædixerat, dicens ad Deum: *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post* B *te ambulabunt: vincti manicis pergent.* Et David quemadmodum caritatis Dei vinculis per ministros verbi Dei vinciendi essent credentes, ita loquitur, dicens: *Ad alligandos reges eorum in vinculis ferreis.* Quorum vinculorum nominibus, caritatis Christi fortitudinem voluit demonstrare, quæ etiam fortis & potens in manicis ferreis, ad amorem Domini constringit. Hic ergo rhinoceros, id est, populus quondam incircumcisus, præputio scilicet carnalium voluptatum, & infidelitate immundus, hoc loro caritatis Christi fortissimo C alligatus, ita ut nulla eum creatura separare possit a Christo: conficit in corpore glebas convallium, duritiam scilicet peccatorum, & colit in corpore suo terram dominicam, secundum Apostolum, qui ait: *Non estis vestri.* Et ideo hic specialiter Domini est terra, in qua primitus fit omnium peccatorum quasi veprium spinarumque purgatio. Deinde aratro crucis, & ferro dominicæ passionis, duritia cordis atteritur, & contringuntur vallium glebæ. Vallium nomine, humiliatos peccatis homines, atque in ima depressos significari existimo, sicut habemus in Psal- D mo: *Ascensus in corde suo disposuit in valle fletus.* Unde & Isaias cum increpatione prophetaturus, contra Jerusalem peccatricem prophetiæ suæ hujuscemodi titulum præposuit. dicens: *Onus vallis visionis.* Talium igitur vallium glebas monoceros comminuit, quando humiliati corporis terram edomat, & suscipiendis cælestium præceptorum seminibus ac reddendis fructibus præparat: quando cum Apostolo castigat corpus suum, & in servitutem redigit: quando omnem hebetudinem obstinati cordis, duramque stoliditatem a se auferre contendit, quod tamen efficere E nequaquam poterit, ait Dominus, nisi rectorem & gubernatorem suum obedienter me fuerit secutus. Unde ait Dominus ad Job: aut confringet glebas vallium post te, sicut habemus in Psalmo: *Adhæsit anima mea post te.* Et Propheta de hujusmodi: *Post te ambulabunt*, inquit, *vincti compedibus*: ubi admiratione dignos video tales pedes, qui quanto magis compediti fuerint, tanto velocius sine offensione egrediuntur.

Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine

tudine ejus, & derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi, quoniam sementem reddat tibi, & aream tuam congreget? Ego Dominus novi fortitudinem caritatis ejus, & patientiæ ac longanimitatis, & idcirco dereliqui ei ad imitandum me omnes labores dispensationis meæ, quos in me credendo intelliget, quia pro illo sustinui alapas, verbera ac sputa suscipiens, eidem laboravi: eique ad cælos revolans exempla laborum ac virtutum reliqui, cui quæ credidi atque commisi opitulante sibi gratia mea, reddat multiplex semen, & in area Ecclesiæ meæ germen tricesimum, sexagesimum, centesimumque fructificet, & aream tuam congreget: sicut Apostoli, & post Apostolos multi fecere doctorum.

Penna struthionis, similis est pennis Herodii & accipitris. Herodiorum genera tria esse dicuntur, unum horum album esse colore quidam ferunt, aliud vero quasi gruis quibusdam diversis coloribus varium, tertium quoque genus nigrum affirmant, quod sit non solum velox, & sævum ad prædam: verum etiam in coitu impatientissimum, intantum ut in tempore coitus ex oculis ejus sanguis ebulliat. Herodius in Psalmo centesimo-tertio ita nominatur: *Herodii domus dux est eorum*, cum de lignis Domini Propheta tropicos loquitur. In Deuteronomio quoque & in Levitico, ubi ne aves immundæ in cibum sumantur Moyses prohibet, & hæc similiter ponitur. Accipitrum etiam aliquot sunt formæ, vel genera. His ergo rapacissimis avibus, venatu & præda viventibus, in pennis struthio comparatur, sicut & alii dixerunt: *Struthio mixta, & alis Herodionis & accipitris.* Igitur struthionem secundum spiritualem intelligentiam sensusque divinos, Ecclesiam non absurde sentimus, quæ per lavacrum regenerationis, & verbum munda in Christo effecta est, qui similem quidem pennam habet pennis avium, quæ carnibus vescuntur & sanguine. Sed illæ remigio alarum in hoc aere velut in pelago id agunt, ut de cæteris avibus prædam capiant. Unde sub hac figura inimici nostri spirituales intelliguntur. Struthio vero longe dissimili modo pennis suis utitur: eo quod eas velut per fidem, & speciem duorum testamentorum gubernaculis vivens habitantem extendat. Hæc avis, ait Dominus ad Job:

Quando dereliquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Ova sive filios, ut in subsequentibus dicitur, novam creaturam atque in Christo generatam, & candidam progeniem sanctæ Ecclesiæ intelligere debemus. Sed in ovis illos esse noverimus, qui doctrina quotidiana, quasi fœtus quidam Ecclesiæ matris nutriuntur, ut quandoque de initiorum frugalitate, & imperfectione procedentes, ad ultimum testa virtutum, veluti distinctis atque formatis membrorum compagibus, existant, cum ex tenebris vitiorum hoc modo facti fuerint lux in Domino, proficientes quotidie ad ætatum morumque soliditatem. Audiant Prophetam de ipsis dicentem: *Dies formabuntur, & nemo in eis*, id est, nullum in eis vitium dominabitur, quo impugnante vincantur. Filios vero intelligamus jam solito robustiores, fide ac virtutibus compositos, atque formatos per incrementa virtutum, tanquam per annorum seriem jam de omni infirmitate vitæ incompositæ nihil habentes. Hi igitur, sicut ait Dominus, in terra ab Ecclesia relinquuntur, quando persecutionem ab impiis, & terrena sapientibus patiuntur. Relinquere enim eos Ecclesia dicitur, dum adversantibus non resistit: quos Dominus fervore fidei & patientia duros, atque in illo igne quem misit in terram, & in pulverem fragilis carnis eorum fortissimos facit.

Obliviscitur quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Obliviscitur Ecclesia natos suos, dum eis pressurarum molestias adversarios inferre non prohibet. Hoc loco differentiam puto esse tribulationum propter illud quod dixit, pes conculcet, & illud quod ait, & bestiæ agri conterant. Et hoc sit contritio bestiarum, quando aperte truces, sævi & immanitate morum crudelitate similes bestiarum. Christum confitentes usque ad atrocitatem mortis affligunt. Pes vero conculcationis fit hujuscemodi tribulatio, quando opprobriis, & nimio contemtu iniquorum sancti usquequaque humiliantur, velut quadam conculcatione protriti.

Duratur ad filios suos, quasi non sint sui: frustra laboravit, nullo timore cogente. Præsentibus filiorum suorum tribulationibus, Ecclesia dura & impia videtur, quoniam non ingemiscit, & plangit angustias interitumque natorum. In cujus figuram, sancta mater Machabæorum super filiorum suorum cruciatibus exultabat, videbat quippe in spiritu, sicut & hic sancta mater Ecclesia per fidem quotidie contemplatur, quantam gloriam in æternum pariant pœnæ præsentes, professione veritatis acceptæ. Ed ideo quod sequitur, frustra laboravit, nullo timore cogente, Ecclesiam signat, quæ filios suos ad tentationem, & sæculi hujus molestias præparat, sperans utique a Deo pro his malis temporariis, filiorum suorum gloriam, & incorruptionis beatitudinem sempiternam. Aliter, sed & si doluisset pro filiis consecratis, frustra doluisset, quia non habebat timendi caussas, quando eos non perdidit, sed acquisivit.

Privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Sapientia atque intelligentia mundi hujus privata est a Deo Ecclesia; nam & Apostolus hoc fieri præcipit, dicens: *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens: quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.*

Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum & ascensorem ejus. Cum ingruerit, ait], molestior & nimium acerba affli-

afflictio persequentis, ibi major ad Deum de afflictione obsecrantis affectus, dum quodammodo excitatur, & humiliatus erigitur intentione vigilantissima deprecandi in excelsum alacri nisu, fidem suam & spem, velut pennas in adjutorio gratiæ Dei fultas suffert, & cum talium alarum sustentata fuerit auxilio, gressus profecto ejus velociores efficiuntur & conciti: ita ut insequentes se derideat inimicos, id est, equum & equitem, quod est diabolum & hominem ministrum inimici, qui in perpetrandas contra Ecclesiam persecutiones, sedet in quolibet equo suo, in corde videlicet hominis persequentis.

Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Hunc equum adversariam potestatem arbitror posse intelligi, qui sit pallidus, ut in Apocalypsi scribitur, quem sequitur mors & inferus. Et qui in Zacharia Propheta dicitur rubeus, mortibus videlicet hominum, & cruore respersus. Proinde dum permittitur præberi ei a Deo, dicitur fortitudo, & circumdari collo ejus hinnitus, ut per patientiam, & bonitatem Dei, thesaurizet sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicis Dei. Et idcirco in collo ejus significatur hinnitus superbiæ, quo tumeat contra Deum, & blasphemiam loquatur.

Nunquid suscitabis eum quasi locustas? More locustarum, adversarius noster dicitur suscitari, quando de locis suis ad partiendas regiones, atque vastandas præire dicitur, sicut ait de Deo Psalmista: *Dixit, & venit locusta.* Sed hanc suscitationem, instantiam efficiendi operis esse arbitror. Unde dicitur ad Pharaonem: *In hoc ipsum te excitavi, ut ostendam in te virtutem meam, & annuntietur nomen meum in universa terra.*

Gloria narium ejus terror. Sive ut alii dixerunt: *Gloria pectora ejus audacia.* Ut inimicus in fugam vertat adversarium suum, militem scilicet Christi, ipso etiam anhelitu terret: hic est odor mortis, hic est spiritus furibundus anhelans in hominis necem, retrorsum respicit, qui iterum ad peccata convertitur, sive tribulationibus cedit, ut in Evangelio Dominus per Parabolam edisserit.

Terram ungula fodit. Sive ut alii dixerunt: *fodiens in campo luxuriat*, id est, carnales homines, & terrena sapientes conculcat, & proterit, & cum eos humiliaverit, sibique subdiderit, facit eos ea contritione contritos, qualis est contritio, & infelicitas in viis hominum impiorum. In hujuscemodi igitur latitudine vitiorum, velut in campo luxurians, fodit ad subtrahenda hominibus fundamenta virtutum, ut in ruinam subducta soliditate procumbant.

Exultat audacter. Gaudet superbus præsumtionis audacia, quoadusque pernitione contra homines pugnat.

In occursum pergit armatis. Quæ sint arma sanctorum contra spiritualia nequitiæ, Apostolus diligenter enarrat. Contra hos igitur hujusmodi armis indutus, in occursum pergere dicitur, quando arcem mentis expugnare moliens, adversum murum virtutum, arietes abjicit vitiorum, & ad tentandum Dominum, ausus fuit in occursum ejus venire in eremo, & per singulas civitates Apostolis Christum prædicantibus occurrebat, quando eis commotiones seditionum populi suscitabat, sicut etiam in Actibus Apostolorum legimus. Unde & ad quosdam Paulus ait: *Ostium mihi apertum est magnum, & evidens, sed adversarii multi.* Et multis aliis locis de hac adversantium impugnatione non tacet, quas diabolus immittebat.

Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Quod ad imperium, & invocationem Dei, diabolus effugetur, manifestum est; sed si ad contumaciam, & voluntatem illius iniquissimam, ac procaciter impudentissimam attendamus, intrepidus non terretur, non erubescit etiam si gladio ferri Dei territus fuerit & fugatus, & revertitur iterum, nec confutatus abscedit.

Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta, & clypeus. Cur habet pharetram inimicus? ut videlicet sedentes in ea Judæi, gentiles, hæretici, in quibus sunt sagittæ mortis, errorum scilicet lætalia dogmata, sagittent in obscuro rectos corde. Habet hastam unde criminibus cæterisque vitiis confodiat peccatores, sagittas, subtiliores dolos, hastam, delicta trabalia atque mortifera. Habet clypeum, quo malitiæ plenitudine, totum militum suorum occupat pectus, quo ne telis verborum Dei compungantur, excutit ea, frustratur, expalmat: ex quo equo transfigurato in angelum lucis, splendore quodam terribili, vibrant hasta & clypeus, & mendacii eloquio abruptæ hæreticorum resonant pravitates, & hic propter indesinentem intensionem usumque blandiendi vibrare dicuntur.

Fervens & fremens sorbet terram. Fervens est vitiis diabolus, inimicus sanctorum, & omnium criminum igne conflagrans, atque in hominem furore invidiæ fremens, ut jam sorbeat illecebris peccatorem, & devoratum in corpus perditæ congregationis suæ transferat, quo corpore Propheta dixit se forte absorbendum, nisi Dominus esset in eo: ita inquiens: *Nisi Dominus esset in nobis, forte vivos absorbuissent nos.* Hic ergo contrarius noster ipse est, cui Deus locutus est, dicens: *Terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ.* Et idcirco ipse & socii ejus, ut inimici Domini terram lingent.

Nec reputat tuba sonare clangorem. Id est, Prophetarum, & Apostolorum increpationem audire detrectat, quibus dicitur: *Sicut tuba exalta vocem tuam:* sed magis sæviens, unde verus Pharao dicit: *Persequens comprehendam, departibor spolia,* & cætera. In his locis de quibus diximus, alii transtulerunt: *Super ipsum enim gaudet arcus & gladius, lancea, hasta, & tremore & ira-*

& iracundia evertit terram: nec credit, donec clangucrit buccina: ubi eundem sensum existimo contineri, secundum quem nos exposuimus. In arcu, & gladio, & cæteris armis inimici, omnes adinventiones ejus intelligendæ sunt, quæ in eo gaudeant cum his modis, quasi armis interficiunt hominem.

Ubi audierit buccinam, dicit, vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus. Quando audierit, inquit, adversarius noster Dei buccinam, id est, unumquemque doctorem Ecclesiæ adhortantem commilitones suos, secundum præceptum imperiale, atque divinum, ut contra adversarium suum stent fortes in prælio: stupenti animo & scrutabili, auribusque attonitis, ait: vah, tanquam si diceret, quid audio, hac quisquam præsumit audacia, ut contra me saltem cogitet bella constituere? Ubi ergo dictum est, vah: Alii dixerunt *euge*, quod secundum, ut consequentia loci fuerit, sive in bonum, sive in malum capitur. Et in Psalterio: *Confundantur, & revereantur, qui dicunt mihi euge euge*. Proinde in hoc loco irridentis animo, & subsannantis vultu, euge dicitur. Subtilis enim & vigilantissimus inimicus, & nimium callidus, qui sollicitudinem perdendi omnem terram habet, cum senserit aliqua initia, sive signa quædam in homine, quomodo ei, ejusque vitiis resistendum sit, velut sagina, adversantes sibi prævenire contendit: ne sumta contra diabolum sanctitatis arma defendant: ne veneratione digni fiant, cum rex æternus advenerit. Ululatus vero, sive *sonitus*, ut alii dixerunt, exercitus veri imperatoris ille est, quando se invicem uno spiritu, unaque caritate, & fide cohortantes, conspiratis in unum timoris Domini viribus, alloquuntur, ut donec transeat iniquitas, sint perseverantes in prælio: quia caritate regis sui infusa in se per Spiritum sanctum, qui datus est eis, pro alterutro sunt membra solicita.

Nunquid suscitabis eum quasi locustas? Quem de loco ad locum transilire feci, & de præsenti, scilicet mundi delectatione ad desiderium futuri sæculi inflammavi, sic utique suscitatus est de corpore infidelitatis, velut sol, cum calor advenit. Has autem mutationes non locorum esse corporalium noverimus, nam affectus sunt animorum.

Gloria narium ejus terror. Ut terreat peccatores, odio habens quod sunt, & dicens eis de Deo: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit*, & cætera: de gloria narium ejus est, spiritus enim Dei est in naribus ejus, quod & sanctus Job dixit: Spiritus Dei est in naribus meis. Hoc unguento, spiritu utique Dei, perfusa est Ecclesia, sicut scribit Joannes Apostolus: *Et vos unctionem habetis a sancto*. Proinde hic de quo loquimur, hoc loco de bono flagrabat in interiore sensu hominis sui: in quo sensu secundum voluntatis arbitrium, aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam, quoniam refuso super Christum, id est, [a] myro fidei a sancta Ecclesia repletus est mundus: omnes fidelium populi, eodem sacro chrismate uncti sunt. Propter quod & ipsum unguentum, quod ante Salvatoris notitiam intra alabastri vasi angustias tenebatur, pistici nomen inditum erat, ut noverimus credentium populos, sicut dixit, chrismate consecratos. Hac igitur gloria odoris hujus, quasi terrore generationis perfunditur sensus interior.

Terram ungula fodit. Exultat audacter, & in occursum pergit armatis. Quicquid in se potissimum habet ad substantiæ perseverantiam, eo utique bono virtutis terram scindit & commovet. Non enim patitur ut solum gradiatur incultum, sed studet, ut ager fiat frugifer & opimus. Unde & ante Deum audacter exultat, ut audiat de se, sicut de cæteris dici: *Venientes autem venient in exultatione, tollentes manipulos suos*. Itemque audiat, *Serve bone, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam*. In occursum pergit armatis, antequam telis vitiorum, sive persecutionum a spiritualibus hostibus obruatur, in acie virtutum consistens, irruentes in se prævenit inimicos, ne aliquo ictu concupiscentiæ, vel etiam diffidentiæ vulneretur. Sic namque in occursum pergit contra hostes armis vitiorum, insectationemque munitos. Secundum hunc sensum sanctus David ait: *Persequar inimicos meos, & comprehendam eos*, & cætera.

Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Quantaslibet ait minas cum grandi terrore, ita ut cum pavorem incutere cupiunt inimici, loquatur: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ: a nemine formidabo adversantium, dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas*. Proinde quoniam in hac salute luminis Dei spero: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Et si consurgat in me prælium, non cedam gladio*, quo mortem libenter pro Christo subire exopto.

Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus. Super exteriorem & corporeum hominem, de quo ait Propheta: *Et subtus me conturbata est hebetudo mea*: quasi arcem animam credimus, ubi unusquisque sanctorum, utpote in interiore homine suo tanquam intra pharetram habet sagittas eloquiorum Dei, quas dum ad cavendum profert, sive dum eas frequenti correptione, veluti tela pungentia educit in medium, percussurus utique earum ictibus eos, qui merito ad salutem debeant vulnerari. Super ipsum, inquam, eloquiorum Dei resonat pharetra, quod tamen in commotione sit ambulantis. Ubi intelligitur, quod is recte psallat, & corripiat delinquentes, cujus in anteriora quotidie profectus est sanctitatis, sic enim Apostolus magnus: & po-

[a] Vitiose hactenus obtinebat *mira fidei*, pro quo nihil dubitavimus *myro*, idest, unguento rescribere. Vid. Prolog. Hieron. in libros Samuel. & Malach. in fine ubi *pretiosissimum fidei myrum* nominat: & quæ ibi observamus.

& potens equus Domini ait: *Unum autem quidem quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ in ante sunt extendens*. Sive ut brevius, & manifestius dicam: Pharetra hæc, locus est cordis, in quo sermonum Dei sagittæ conditæ sunt, & repositæ. Et signanter ait Dominus super ipsum, id est, equum sonare hanc pharetram, quod est super exteriorem hominem ejus, pharetra cordis illius referta divinis eloquiis, regnat, dum ut bellator Domini, & fortis in prælio, evangelizat verbum virtute multa. Super hunc equum nihilominus vibratur hasta, & clypeus. Hasta est vigilans animi virtus, sive constantia, quæ increpat peccatores, sive vitia in se confodienda mortificat. Clypeus vero scutum fidei est, in quo omnia tela nequissimi ignea possit extinguere. Et hæc propter indesinentem usum bellandi, vibrare dicuntur, quæ sint utique in exercitatione præparata. Nam de talibus armis fulgentibus ita dicitur: *In lucem jacula tua ibunt, in splendorem coruscationis armorum tuorum*.

Fervens & fremens sorbet terram. Fervens fide in spiritu, & fremens ut Salvator, qui quando in vitiis mortuum spiritualiter suscitat, fremit in spiritu. Ita hic, inquam, fremet contra inimicos suos, sive vitia, sive etiam apertos persecutores: & ita sorbet terram suam, dum eam de carnali conversatione in spiritualem convertit. Sic itaque fremens, sibique plurimum cum indignatione irascens, sorbet eam, sicut dixi, ut illam in spiritus sui affectationem transmittat, ubi est ille absconditus cordis homo in incorruptibilitate, quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.

Nec reputat tubæ sonare clangorem. Tanta animi virtute induitur, ut nullum terrorem adversariorum formidet, quando ad omnem sonitum inimicorum provocantium sit paratus.

Ubi audierit buccinam, dicit, euge. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus. Qui cum audierit alta voce Evangelium prædicari, gaudet & exultat, quod euge significat. Omnium præpositorum de Scripturis dominicis fortissimorum virorum exempla profitentium, totius quoque Ecclesiæ congregationem, quæ exercitus Dei dicitur, unanimem atque unius fidei sonum cum audierit, dicit, *euge*, & lætum cum exhortatione ducum, etiam ululatum audit exercitus. Ululatus autem hoc loco ille significatus est, quando bellatores in acie stantes pugnaturi, se invicem cohortantur. Sed dicit aliquis, quemadmodum fieri potest, ut una eademque res per figuram nunc in bonam partem, nunc in malam intelligatur, sicut hic nos fecimus, ut hunc equum per allegoriam diximus, & in malum & bonum posse sentire. Ad hoc respondeo, ubi sine epitasi aliquod nomen ponitur in Scripturis ut puta, mons tantum, & non additur ei ut dicatur *mons Sion*, aut *mons corruptus*, non ab re existimo, quin expositio de eadem re in utramque partem sit libera. Ubi vero cum epitasi, ut *leo de tribu Juda* aut certe, *sedet in insidiis sicut leo*: ibi aut Christus, sine ulla cunctatione intelligitur, aut diabolus adversarius noster. Et si placet demus aliquod exemplum, ubi de arbore in Evangelio Dominus ait ad discipulos suos: *Si habueritis quidem fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori, eradicare & transplantare in mari, & obediet vobis*. Ubi quidam intellexerunt, quia fides credentium eradicet inimicum, atque evellat de terra Ecclesiæ, terra scilicet Judææ atque confessionis, & in mare populorum, hominum videlicet impiorum transferat: & illi mali spiritus in Evangelio hoc ipsum significare possunt, qui cum hominibus immundis, & peccatoribus porcorum nomine indicatis, in mare præcipitati sunt. Ubi vero eamdem arborem Dominum significari voluerunt, ita interpretati sunt, quod prædicatione Apostolorum, qui gratiam Christi, & virtutem fidei susceperunt arbor Christus Dominus eradicetur quodammodo de illa gente Judæorum, in qua velut stirpe generis tenebatur, & transplantatur in mare gentium, sicut ipse Dominus eisdem Judæis locutus est, dicens: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus*.

Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum? Consequens est ut hunc accipitrem in bonam partem intelligamus, sanctum scilicet, qui sapientiam per conversionem acceperit, ut prædari, & rapere jam cesset, carnibus etiam sæcularium sensuum vivere desistat, & qui veteris hominis exuvias in baptismo deposuerit, plumescens, quodammodo renovata sit sicut aquilæ juventus ejus: maxime cum promissionem habens præsentis vitæ & futuræ, quæ in alis significata est, ad austrum, unde calor fidei est, se verterit, unde Christum venisse cognovit: quod & Propheta ita faciendum prædixerat dicens: *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte umbroso & caligoso*. Bethleem namque civitatem Domini respicientibus, Jerusalem in meridie, quod est in Austro, positam scimus. Et secundum tropicæ intellectus hunc calidum ventum, ut aromata gratiarum ferveant, sponsus invitat, dicens: *Exsurge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & perfla aromata mea*. Ubi ergo dictum est, expandens alas suas, ad Austrum, alii dixerunt, *expansis pennis immobilis, & respiciens Austrum*. Intentionem ergo perseverantiæ dicit ejus, qui per calorem fidei duorum Testamentorum gubernaculis vivens, splendorem æternæ beatitudinis contemplatur.

Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila? Aliquando in bonam partem Aquila dicitur, & pro ipso Deo, dicente Moyse, *Sicut aquila protegit nidum suum, & super pullos suos confidit*, ut superius diximus. Hic vero a Deo potestas adversaria aquila

dici-

dicitur, quæ ex permissu Dei elata in A superbiam, multum possit, sicut Propheta ait: *Et erit quasi aquila super domum Dei*. Prophetæ quoque multis in locis Scripturarum suarum eum superbissimum notant, id est, diabolum: & inde est quod eis & magnus dicitur, eo quod levetur tumens super montes Aquilonis, & super astra cæli ponat sedem suam, cupiens se exæquare Altissimo.

Et in arduis ponet nidum suum. In magnis quibusque, & eminentibus sæculi hujus, ac malis hominibus sedem sibi constituit, ut in eis velut durus dominus, & rex trux, ac potentissimus commoretur. B

In petris manet. In excelsis videlicet duris, & in malitia fortibus manet & habitat.

Et in præruptis silicibus commoratur. Præruptæ silices intelliguntur blasphemi, qui sunt nimium duris, & indomitis cordibus, atque in ruinam suam inclinato peccatorum pondere dependentes.

Atque inaccessis rupibus. Inaccessæ vero rupes, sunt homines porrecti in altum, nimia elatione cordis sui, ad quorum superbiam, quæ eis supra cæteros quasi singulare ad proprium malum sit, nullus accedat.

Inde contemplatur escam: Per illos utique C quos superbia nimium elatos diximus, quos hæresiarchas, aut Judæos, sive sapientes sæculi, id est, philosophos, intelligimus; perditos quosque dum eos erroribus suis in laqueos in escam suam capit, secundum Prophetam, qui eodem de diabolo ita ait: *Esca ejus electa*.

Et de longe oculi ejus prospiciunt. Sagacis valde atque pervigilis adversarii nostri animum, ad inquirendas vires sanctorum dimicantium, nomine oculorum appellavit Deus. Quod autem ait, de longe, mentis ejus intuitus subtili intentione prospicit, eo quod etiam in posterum exercitatæ mali- D tiæ sagaci suspicione prævideat: non locorum spatia intelligenda sunt, sed initia dispositionis humanæ ad recte vivendum. Hoc inquam, de longe prospicit, quod est ab ipsis utique exordiis subtilis spiritus, & ad omne malum nimium mobilis intuitus, ut illic antequam conatus hominis saltem in aliquo roborentur, pullulantia bona reprimat, & extinguat, & interemptum hominem faciat fœtere peccato.

Pulli ejus lambunt sanguinem, & ubicumque cadaver fuerit, statim adest. Pulli ejus, sunt filii ejus, vel socii ejus, qui in conspiratione tyrannidis cum eo adversum E Deum, moliti sunt iniquitatem. Hi igitur livore invidiæ, sitientes sanguinem hominum lambunt. Et quod ait, ubi fuerit cadaver, statim adest, alii dixerunt, *& ubi fuerit cadaver, statim reperiuntur*: quod sive de auctore mali, sive de satellitibus ejus dicatur, ubi affuerit, illic peccatum ilico gignitur, quod in anima ita fœteat, sicut vulnus in corpore.

Et adjecit Dominus, & locutus est ad Job: Nunquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? Utique qui arguit Deum, debet respondere ei. Tota altercatio quæ in superioribus libri hujus contexitur, in hoc loco a Domino declaratur, cum ipse dicit: Nunquid qui contendit cum Deo. Unde apparet quia contra Deum, quadam præsumptionis audacia ex fiducia bonæ conscientiæ sit locutus, non tamen blasphemavit Deum, sicut quibusdam videtur. Ubi & si asperius aliqua dixit, ad idem respiciens, ad quod Deus, justus est: tenorem justitiæ Dei respiciens, locutus est, non ad blasphemandum Deum, unde illum secundum justum judicium ejus requirendo, quasi constringit & dicit, ut parcat, vel eum injustum declaret. Quare eum circa se juxta injustitiam judicare sentiat, cum eum optime noverit justum. Accepta igitur Job ratione a Deo, in his sermonibus quos locutus est, quia omnia utique quæ creasset, ipse gubernaret, & regeret, a quo etiam omnino nihil injustum fieret, convictus sicut hic aperte demonstratur, silebat: sed admonetur a Domino atque compellitur, ut quia adversus eum contendit, eumque arguere conatur, ipse ad interrogata respondeat. Et ait scriptor libri hujus:

Respondens autem Job Domino dixit: Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? Beatus autem Job agnoscens se leviter, & non consumate locutum, dicit omnino se Deo respondere non posse. Propter quod cupiat se silentio cohibere, sicut ait:

Manum meam ponam super os meum. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem, & alterum, quibus ultra non addam. Eo quod unum & aliud verbum dixerit, pro quibus potuerit lædere. Illa esse existimo, sicut superius comprehendi, quæ ita dixit: Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea: & si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.

Caput XL.

RESPONDENS *autem Dominus Job, de turbine, dixit*: Id est, vel de increpationis impetu, vel de perturbati aeris ac nubium obscuro.

Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & indica mihi. Sive ut alii dixerunt: *Nequaquam, sed accinge sicut vir lumbos tuos*, & cætera: quod est, nolo ut taceas, ait Deus, sicut ipse disponis, sed potius loquere, & quod interrogo te, responde mihi. Quemadmodum autem Deus hominibus loquatur, cum sit ipse spiritus, multis significationibus divinæ nobis indicant literæ, ut: Pater de nube ad Filium loquitur, & Moysi in flamma ignis, & Ezechiel sedenti cum senioribus Israel, fit sermo Domini, & solus audiebat quæ dicebantur a Domino.

Nunquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, ut justificeris? Quo sensu sanctus Job dixerit ea quæ supra conscripta sunt, in hoc loco Dominus manifestat. Nam cum increpatione, propter hoc ipsum

ab

ab eo arguitur, quia in ejus injuriam & sugillationem se justificare voluerit, dum eum ex ipsis cruciatibus suis, quos sibi inique inflictos asserit, justitiam injustitiam vocat.

Et si habes brachium sicut Deus, & voce simili tonas, circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, & confunde eos, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo. Abscende eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam: & ego confitebor quod salvare te possit dextera tua. Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Hoc est dicere: Nunquid potes hos ipsos dæmones, quorum tribulationibus expugnaris, & contereris, expugnare, & dispergere? Nec si contra Deum contendere deberes, si tibi esset fortitudo ut Deo est, & vox imperii tui hoc mundo terribilis insonaret: circumdares etiam tibi decorem æternitatis, honoris quoque & sublimitatis esses gloria exaltatus, & omnibus sanctitatis virtutibus tanquam speciosis vestibus te munires, omnes nihilominus superbos justo judicio tuo, velut indignationis iracundia dissipares, & eos in locum suum, id est, in carcerem inferorum detrudens, contereres, quin etiam a sanctorum lumine separatos, in pulverem simul absconderes, sive ut alii dixerunt retruderes eos sub terra: simul & facies eorum, id est, animam cum intellectibus suis tanquam oculorum luminibus in foveam inferni demergeres: id est, quam impossibile est, ut hæc homo habeas, tam stultum est, ut quasi ex æquali contra Deum loquaris, a quo humiliter sperare misericordiam debes, ut ex ejus dextera, id est, virtute, contra eos, quos dixi superbos arrogantes impiosque salveris. Ecce hoc ipsum noveris, fortem diabolum, & potentissimum inimicum tuum, quem ob immanissimum trucis animi furorem, Behemoth nomine feralis bestiæ nuncupavi, apud te velut bovem, animal videlicet mansuetum fœnum comedere faciam, non carnes ut leonem. Quia carnes quando comeduntur, non fit sine viventis interitu. Circa te vero non ita est sicut jam dixi, cui jussione imperii mei, hoc modo præcepi, dicens: Ecce in manu tua est vivere, animam ejus serva. Behemoth namque doctores Ecclesiæ, qui Hebræas literas contigerunt, in Latinum *quasi plures* interpretati sunt. Proinde inimicus diabolus cum toto corpore satellitum suorum hoc loco a Deo describitur. Quem propter pluralitatem nominis ipsius, antiqui ita interpretati sunt: *sed ecce bestia quas feci apud te, fœnum sicut bos edunt*, id est, & hoc potentia dexteræ meæ factum est, ut substantiam tuam & facultates, quæ ob pretiosæ mentis tuæ divitias fœno comparantur, in potestatem acciperent devorandas. Et ideo vilia quæque & temporalia tibi abstulit; quæ fœni nomine significata

A sunt: non quæ magna, & grandia, id est, animæ ornamenta, quibus te spoliatum blasphemiæ ruina comprimeret, quali peccato totus homo a diabolo devoratur. Ita ergo de eo dicit Deus.

Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus. In lumbis & umbilicis, ventris voluptas, vel carnis luxuria intelligitur, quæ membris genitalibus post primi hominis lapsum inserta est, ut supra modum legis naturalis illa membra, & quando non vult homo, incentivis libidinis titillentur: & ita voluptatum sectatores, diabolo fortitudinem propriis vitiis

B ministrantes, de parte illius & consortes efficiuntur, ut sint membra ejus, quorum tanquam corporis sui ipse est caput.

Constringit caudam suam quasi cedrus. Hoc mihi dicere videtur, quod nec in novissimis suis, quæ in cauda significantur, sit ad Deum reversurus, quod est, numquam pro tyrannide sua superbus & impius pœnitebit; sed exaltatus ut cedrus, voce Domini juste judicantis est confringendus, & comminuendus. Constringitur enim ligno durissimo comparatus: duritia scilicet cordis: ne intelligat, stultus efficitur; & excæcatus, ne videat usque in finem. Sive

C constringit caudam suam, ita sentitur, Propheta fallaciter loquitur: mendacium cauda est secundum sanctorum Prophetarum auctoritatem. Hos igitur Behemoth tanquam inimicos, tanquam socios, & ministros suos in copulam unitate sibi conspirationis astringit, de quibus antiqui dixerunt interpretes, *erexit caudam suam ut cypressum*, ubi elationem mentis eorum in excelsum significaverunt, hanc arborem nominando, quæ sub uno stipite, procero fastigio in altum porrigitur.

Nervi testiculorum ejus perplexi sunt. In nervis, vincula quædam fortissima ac ille-

D cebrosa voluptatum quibus homines carnales implicat, dicere videtur mihi, de quibus vitiis & Propheta culpans homines inter cætera ait, ita dicens: *Declinantes autem ad obligationes*: ubi simpliciter pœne inextinguibilem voluptatem in membris humanis a Propheta significari puto, cui voluptati caro nostra captiva succumberet, nisi juxta Apostolum Dei gratia subveniret.

Ossa ejus velut fistula æris, cartilago illius quasi lamina ferrea. His membrorum nominibus indicatur, quod diabolus cum suis durus sit, rigidus, pertinax & inflexibilis. In ossibus namque & cartilagine, intus &

E foris, in cogitatione videlicet & opere, perfecta ejus demonstratur malitia. Quod autem dictum est, cartilago ejus quasi laminæ ferreæ, alii dixerunt, *spina ejus ferrum est fusile*: ut intelligatur, quia numquam se diabolus per pœnitentiam Deo humiliaverit.

Ipse est principium viarum Dei. Qui fecit eum, applicabit gladium ejus. Hoc in loco hic esse mihi videtur sensus, quod ad vias Dei ambulandas, & per obedientiam præcepta dominica observanda, hic inter cæte-

ras

ras creaturas primus a Deo ſit conditus, & inde dictum ſit, ipſe principium eſt viarum Domini. Nam in Ezechiele Propheta in capite lapidum ignitorum refertur, quod primus fuerit omnium angelorum, & corona in manu Domini. Sive ita dici poteſt, ut in illa æternitate ſua Deus ſemper manens, quaſi egreſſus in facturam creaturarum videtur, & hæ ſint viæ ejus, ut inviſibilia ex viſibilibus apparerent. Sive unaquæque creatura via Dei eſt, per quam ad Dei itur cognitionem, dum cognita ab eo cognoſcitur. Sive viæ Dei illæ ſunt, quando cuilibet creaturæ rationabili, Deus quaſi ad eam veniens innoteſcit. Proinde hic Behemoth principium viarum Dei dicitur, eo quod primus factus, Dei ſui cognitionem a quo conditus eſt accepit. Dominus autem Chriſtus in principio viarum Dei creatus refertur, quia reconciliando mundum per ſanguinem ſuum, viam mandatorum patris quaſi opera ejus graderetur, quod in principio prædicationis Evangelii demonſtravit. Quod autem Dominus ait, *Qui fecit eum, applicabit gladium ejus*, id eſt, qui fecit Behemoth, applicabit ei gladium ipſius, id eſt, malo quo alios interemit ipſe punietur, ſicut & de ejus ſimilibus Spiritus Sanctus in Pſalmo locutus eſt: *Gladium evaginaverunt peccatores, & gladius eorum intret in cor eorum*. Notanda tamen eſt in hoc loco commutatio perſonarum. Nam & ſuperius Dominus ait, quod Behemoth beſtiam ipſe fecerit, & nunc dicit quod alius eum creaverit, ita dicendo Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit omnia: quod ita exponi poteſt, quia Pater in filio omnia fecit, ſicut Propheta ait ad Deum: *Omnia in ſapientia feciſti*. Alii dixerunt: *Ipſe eſt initium figmenti Domini*: quod illudatur ab angelis ejus, id eſt, ſanctis. Ab his ergo illuditur, quando per gratiam Sancti Spiritus, & meritum ſanctitatis eis ſubditur, & invocatione nominis Chriſti ab obſeſſis corporibus effugatur. Ab eis utique qui deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & ſimulationem, ſecundum Iſaiam, geniti infantes in Chriſto ſunt, de quibus prophetavit cum virtute gratiæ Chriſti contra adverſarium eorum diabolum in ſpiritu providentiæ, dicens: Et delectabitur infans ab ubere, ſuper foramina aſpidis, & in cavernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Et Dominus cum de ejus toto corpore loqueretur, ait ad eos, quos innocentes & parvulos fecerat, dicens: *Ecce dedit vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & nihil vobis nocebunt*.

Huic montes herbas ferunt. Omnes beſtiæ agri ludent ibi. Hi montes in climate Aquilonis conſtituti ſunt, ubi ſuperbus diabolus ſedere ſe dicit, inquiens: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ero ſimilis altiſſimo. Quos montes, ſuperbos quoſque & nimium elatos homines, ac tumorem cordis illius imitantes, non abſurde ſentimus. In his igitur habitans, temporariam jucunditatem, quæ herbarum vocabulo appellata eſt, in eis depaſcitur, & in malo virentis ac vigentis in eis voluptatis noxiæ delectatur, in quibus etiam montibus omnes beſtiæ agri ludunt. Beſtiæ iſtæ, ſocii ſunt & miniſtri diaboli: de quibus ait Propheta, orans ad Deum: *Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi*. Ager vero hic mundus eſt, ſecundum auctoritatem Domini, qua dicit in Evangelio: *ager autem eſt hic mundus*. In talibus igitur montibus, qui herbas luxuriæ, non arbores fructiferas ferunt, hæ beſtiæ, adverſariæ videlicet poteſtates, non habentes rigorem virtutum, ludunt fluxa laſciviaque vitiorum, & in omnibus eorum mentibus, in ſceleribus ac nefandis criminibus videlicet gloriantur. Alii de hoc loco dixerunt; *Aſcenderunt in montem præruptum: fecit gaudium quadrupedibus in tartaro*. Montem præruptum ipſius ſuperbiæ diabolicæ verticem ſignificatum puto, in quem nimium ſe extulerit, ita ut de eo uſque in ima caderent inferorum. Fecit ergo gaudium, id eſt, dedit conſolationem, vel his qui ſuperbiæ ejus conſentientes de cælis ejecti ſunt tartaris deputandi, vel his peccatoribus, qui per eum in profunda inferi corruerunt, ſub quorum perſona ad ipſum dæmonum principem ita ſermo propheticus loquitur: *Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtriſque ſimilis factus es*. Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum: fecit gaudium quadrupedibus, ut dictum eſt, id eſt, peccatoribus, qui, in terram proni ſeu vergentes in tartara, cælum ſuſpicere non poſſunt.

Sub umbra dormit in ſecreto calami, in locis humentibus. Quod umbræ corporum ſint, nemo dubitat: ſed umbra in Scripturis divinis aliquando requies, & refrigerium intelligitur, aliquando pœnæ. Unde dicitur, *umbra mortis*. Aliquando umbræ, peccata eſſe referuntur, quæ tanquam umbra corpori, ita morti vicina ſint. In peccatis ergo diabolus habitat, & requieſcit in ſecreto cogitationum, ſive etiam lumborum: unde & loca humentia appellantur. Sive in ſecretis, id eſt, in abſconditis Dei, quæ Deus utique non requirit, & velut ſe indigna non viſitat: de quibus abſconditis Propheta ait ad Deum. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum*. Peccata ergo tanquam tenebræ abſconduntur a lumine veritatis. Sive ut jam diximus, loco remoto cordis, diabolus habitat, quod cor vacuum timore Dei, patet vanitati & luxui, atque omnium illecebris vitiorum. Hæc enim umbra ſolem neſciens, & calami ſecreta ſignificant. Alii dixerunt: *ſub omnimodis arboribus dormit ſecus juncum, & calamum, & caricem*. Omnimodas arbores dicit, quæ tamen omnes infructuoſæ ſunt, non habentes medullam caritatis Dei, nec bonorum operum fructus.

Pro-

Protegunt umbræ umbram ejus. Peccata ejus super omnium impiorum peccata, & impietates eminent, quas protectione quadam malitiæ suæ defendit, & contegit. Alii ita dixerunt: *inumbrantur in eo arbores magnæ*: ubi hoc mihi videtur dixisse, quod quamvis maligni spiritus, vel homines ministri diaboli, superbia sint excelsi, tamen superet eos magnitudine delictorum diabolus, quia scelestioris criminis inventor est, quam imitator peccati.

Circumdabunt eum salices torrentis. Sive *stirpes & virgultum*, ut alii dixerunt. Mundus iste mortalis propter velocem volubilitatem suam, torrentis nomine appellatur: sicut & Propheta ait, cum de passione Domini prophetaret: *De torrente in via bibet*. Dispensatione namque illa qua ad nos venire dignatus est, in cruce mortis calicem bibit, de quo dixit ad Patrem: *Si fieri potest, transeat a me calix iste*. Hujus ergo mundi hominibus, qui sunt sensibus peccatorum & perfidia infidelitatis amarissimi, tanquam folia, fructus bonorum operum mentientes, diabolus circumdatur, qui etiam in collegas consortiumque junguntur.

Ecce absorbebit fluvium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. Multis in locis Scripturarum, fluminis nomine genus humanum significari noverimus, de quo & ipsa potestas adversaria ait: *Meus est fluvius, & ego feci memetipsum*. Huic ergo fluvio, humano videlicet generi in ima atque inferiora, more fluminis defluentis, desideria cupiditatum, delectationis, præsentisque amorem mundi, ita insinuat, ut eum absorbere possit, & velut inferus deglutire: sic namque humanum genus præceps in supradicta vitia defluet, ut possit ab inimico facile devorari. Quod autem ait: *Habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus*: Jordanis fluvius, baptismi continet Sacramentum: dum in ipso Christus Dominus baptizatur, nostrum baptisma consecratum est. Cujus secundum mysticos intellectus, montes & colles, arietes, & agni ovium exultant a facie Dei Jacob, qui junior frater credendo, seniorem fratrem incredulum supplantavit. De cujus Jordanis terra, id est Ecclesia, Propheta ex persona credentis se dicit Dominum recordari. A Christo utique monte modico incipiens, qui propter passionem modicus factus est, minoratus est ab angelis, obediendo patri usque ad mortem. Hic ergo Behemoth nimia elatus temeritate, fiduciam gerit, ut prædictum Jordanem, sacramenta videlicet Ecclesiæ figurantem, ore suo hauriat, & vorandi cupidus, suo eum ventre concludat. Id est, etiam eos quos sanguis Christi per aquam regenerationis, quam Jordanis typice portendit, & ablutione Spiritus sancti redemit, de illius potestate ac durissimo dominatu quærit, ut rursus suos faciat, seu occulta suasione, seu oppugnatione manifesta.

A *In oculis ejus quasi hamo capiet eum*. Verba hæc Patris de Filio sunt secundum illam allocutionem, de qua superius diximus, ubi ait Pater de eo, cum ei de diabolo sermo esset: *Ipse est principium viarum Dei*. Hunc igitur Behemoth, homo divini numinis carne hominis assumpti vestitus, in oculis ejus capiet eum, inquit Pater de Filio, quod diabolum esset capturus. In oculis, ait, id est in ipso intelligentiæ lumine, ubi est visus sapientiæ, naturæ rationabilis. Ibi, inquam, divina sapientia captus, dum per calliditatem suam atque versutiam non videt cujus carnem mors B devorandam apprehendit. Secundum igitur hunc modum captus est diabolus.

Et in sudibus perforabit nares ejus. Id est, furentem sævitiam atque in sanctorum interitum anhelantem, Christus Dominus noster conteret & proturbabit: sanctos vero propter lignum crucis non absurde hic intelligendos puto: sic itaque humiliat & confringit Dominus inimicum, omnemque impetum invidiæ sævientis, dum eum per eosdem sanctos ligno suæ crucis retundit.

An extrahere poteris Leviathan hamo? Commutavit figuram ænigmatis, ut C diabolum quem superius Behemoth translato nomine dixerat, eumdem nunc Leviathan appellet: sed illic eum quasi bestiam dicit, quæ terras inhabitet; hic vero ita illum nominat, qui velut in aquis maris consistat. Unde & alii pro Leviathan *draconem* dixerunt. Unde videri potest, quod horrendum nescio quid genus draconum sit quod Leviathan dicatur, cujus malitiæ atque potentiæ congrue diabolus coaptetur. Behemoth autem eo quod multi cum eo sint appellatur. Nam Behemoth Latine, *quasi plures* sonare dicitur. Unde ipse intelligi potest cum sociis & ministris, D & recte, quasi dicatur, qui a Deo non sunt. Leviathan vero *additamentum* quidam aiunt interpretari. Quia ergo in veritate non stetit, & excedens præsumptionis modum addit sibi superbiam, quasi supra naturæ bonum in tumorem & morbum elationis excedit. Proinde additamentum dictus est: vocabulum enim factum de crimine, operuit conditionem naturæ bonæ, quam Deus bonus creaverat. Et Isaias Propheta de eo vaticinatur dicens: *In die illo*, sive passionis Christi tempore, sive in adventu judicii ejus, *In die* ergo *illo visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi, & forti, super Leviathan serpentem* E *vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est*: secundum hoc ipsum est, quod alius Propheta similiter ait ad Deum: *Tu confregisti in virtute tua mare. Tu confregisti caput draconum super aquas*. Hic ipse diabolus tanquam caput cum suis membris describitur, & corpus ejus, & squamæ indissolubili copula conjunctæ narrantur. Hunc ergo Leviathan draconem typicum, ait Dominus ad Job, ne in aquis gentium do-

dominetur, tu forsitan de mari populorum extrahere potes, quem hamo virtutis meæ, sut supra dictum est, per fidem credentium extrahere, & exsiccare disposui. Secundum hunc sensum est illud quod & Dominus ait in Evangelio: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet*, & cætera. In primo autem adventu Christi factum est per gratiam redemptionis ejus, ut de societate diaboli, & dominatione populi eruerentur. In secundo vero adventu ejus, omnis diaboli potestas est auferenda, quandoquidem mare, hoc est, sæculum non erit, genusque sociorum illius de terra peribunt. Quando etiam quæretur delictum illius, & non invenietur, Domino regnante in æternum, & in sæculum sæculi, absorpta morte mortisque inventoribus in resurrectionis victoria. Quod autem in hoc libro ait Deus, quia hamo extrahet Leviathan, per alium Prophetam illud loquitur, dicens: *Expandam super te rete meum in multitudine populorum, & extraham te in sagena mea*. Hami vero & sagenæ differentiam hanc esse existimo ut hamum ipsum Salvatorem Filium Dei, carne vestitum intelligamus: sagena autem dici potest missa prædicatio Evangelii, quæ a solis ortu usque ad occasum latissimo spatio sit expansa, sicut & Propheta ait: *Magnus Dominus*, & cætera. Et deinceps ait, *dilatans exultationem universæ terræ*. Quæ sagena prædicationis Christi, veteris Testamenti figuris, & significationum imaginibus multisque ejusmodi Scripturæ testimoniis, veluti nodis illigatis est solide roborata, quam ceti multi, & dracones sævissimi mundi istius impii & potentes scindere & rumpere tentaverunt, idque non potuerunt efficere, quia firmum fundamentum Dei fecit, & convelli nequaquam potest. Quia si Deus pro nobis, quis contra nos? Proinde secundum hanc expositionem idem sensus in hamo & sagena dignoscitur. Cum ergo dixisset Dominus ad Job, extrahere poteris Leviathan hamo? ait ei:

Et fune ligabis linguam ejus? Quemadmodum ex pluribus particulis subtegminis funis intexitur, ut fiat vinculum quo possint aliqua colligari: ita & diabolus de multitudine peccatorum suorum, quasi de resticulorum particulis, vincula sibi sacrilegorum, velut fune blasphemiis, & lingua illius colligat, ut sit os obstructum atque oppilatum loquentis iniquitatem. Et in Proverbiis Salomonis, de similibus ejus scriptum est: *Vinculis peccatorum suorum unusquisque constringitur*. Et inde est quod & Dominus in Evangelio pigrum & inutilem servum ligatis manibus & pedibus, mittendum dicit in tenebras exteriores, id est, vinculis peccatorum suorum, quæ operatus est, secundum divinum judicium ligatus mittitur in pœnas: quod & ipse Dominus in quodam loco manifestissime demonstravit, quando flagellum de Judæorum

A resticulis fecit, eosque inde flagellans de templo ejecit.

Nunquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus? Sive *captapulum*, ut alii dixerunt. Et armilla perforabis: sive ut alii dixerunt, *forcipe pertundes labrum ejus*. Circuli captapuli, forcipis & armillæ nominibus, intelliguntur sermones divinæ potentiæ, quibus superbus atque blasphemus humiliatus est a Deo & attritus.

Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Sive ut alii dixerunt: *Aut loquetur tibi blande?* Soli Deo, cujus B creaturam se esse cognoscit, est subditus, atque ei tantum quem ipsa conscientia pavet, animus ejus superbus addicitur.

Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum? Licet sit rebellis & nimium tumidus, cogitur tamen atque compellitur ipsius naturæ bono, quod ei in testimonium justæ damnationis, ejus ex parte non perit, ut Dominum creatorem suum, saltem ut servus malus esse fateatur. Hoc est pactum sive testamentum, quod ei cum Deo inire præceptum est. Unde & ipse Dominus ait: Et accipies eum servum sempiternum. Hoc enim nulla volun- C tate animi facit, sed divinæ potestatis imperio, & ideo a Deo servus dicitur sempiternus, quia adoptionem filiorum Dei, sive primatum illum angelicæ dignitatis, nunquam sit recepturus.

Nunquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis? In tantum, ait Dominus, humiliabitur draconis istius fortitudo, & omnino pro nihilo erit: ut illudendus habeatur, & illudendus sanctis angelis deputetur, sicut & supra jam dictum est. Quod autem quasi avis illudi perhibetur, quasi res parva & minima ad potentiam Dei habeatur, avis nomine voluit D demonstrare: quodque alligandus ancillis dicitur, illud est quod ipse Dominus in Evangelio ait ad discipulos suos: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*. Sic itaque alligatur atque illuditur a sanctis animabus Dei, quæ sunt ancillæ Christi; dum ab eis ipsi & ejus sociis imperatur, & de corporibus ab eo obsessis abire compellitur: cuique per universum mundum quotidie captiva aufertur captivitas, quomodo & secundum Apocalypsim per mille annos alligatus dicitur, quod a parte ad totum in- E telligitur, secundum Apostolum qui ait: *Filioli, novissima hora est*: ex tempore adventus Domini in carne nostra. Itaque alligatus est: ne seducat Christi gratia & redemptione salvandos. Alii dixerunt: *alligabis eum sicut passerem infantulo*, quod est, ab infantulo teneatur præcepto imperii mei, & velut ligatus in potestatem tradetur. Hic est ille infans, de quo Isaias ait: *Infans ab ubere in foramine aspidum manum mittet*: qui infans Propheta, quamvis sit centum annorum puer, per Christi gratiam

tiam morietur, id est, sanctus & innocens ad Deum de hoc sæculo emigrabit. Hunc ergo infantem accipere debemus unumquemque sanctorum, qui de fonte, id est de utero matris Ecclesiæ, tanquam infans Deo renatus est, & præcepta Domini, velut lacteos cibos de ejus uberibus sugit. A

Concident eum amici, divident illum negotiatores. Amici & negotiatores isti, sancti intelligendi sunt, omnes etiam veritatis prædicatores: quibus Christus filius Dei ait: *Vos amici mei estis.* Itemque de iisdem per Parabolam dicit: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonam margaritam*, & cætera. Qui regnum Dei, & æternæ vitæ præmium velut pretiosissimam margaritam in venalibus proposuerunt mundo, ut unusquisque creditorum vendat quæcumque habuerit, delectationem scilicet vitæ præsentis, his mercimoniis commutet & emat eam. Igitur a supradictis amicis, & negotiatoribus corpus hujus draconis conciditur atque dividitur, dum per eosdem ad fidem Christi, perditorum ejus multitudo quam plurima separatur. Nam multi de potentibus ejus, & in malitia fortibus ab ejus consortio, veluti membra illius secernuntur, sicut & Abacuc Propheta ait ad Dominum; *Præcidisti in stupore mentis capita potentium*: & de quibus rursum ait ad Dominum: *Misisti in capita inimicorum mortem*: mortem utique vitiorum, ut jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Hæc capita inimicorum Dei, id est, populorum impiorum principes, ipsi sunt hujus spiritualis draconis reges & nobiles, qui secundum translationem nominum, & figuram tropi alterius, alligandi a prædictis amicis & negotiatoribus esse dicuntur: sicut David Propheta ait: *Ut alligent reges eorum in manicis, & nobiles eorum in vinculis ferreis.* Hi ergo reges & nobiles, ipsi sunt & dracones, & membra illius draconis, de quibus draconibus ait Propheta ad Deum: *Tu confregisti capita draconum super aquas.*

B

C

D

Nunquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustium piscium capite illius? Omnes qui consensione malitiæ, & imitatione adhærent diabolo, recte pelles ejus esse dicuntur. Quos ideo pellis nomine arbitror dictos, eo quod indissociabili connexione ei conjuncti sunt, & separari ab eo nunquam, aut certe vix possunt. De his ergo dicit Dominus sagenas implendas esse.

Pones super eum manum tuam, Memento belli: nec ultra addas loqui. Sic mihi videtur dixisse, victo per me adversario tuo, pones super eum manum tuam, ut possis ei & tu illudere. Vel pones super eum manum tuam, quasi dixerit, si ejus potentiæ & virtutis te esse arbitraris, pones super eum manum tuam, quod est, si potes effice virtute potentiæ tuæ, ut te contremiscat, & paveat sicut & me cui soli hoc debet: sed quia id nequaquam facere potes, ut tibi draco hic magnus, & in malitia potens subjectus sit; memento in hac tribulatione pœnarum tuarum contra quam ferum & trucem hostem bellum habueris: sufficiat tibi adversum me verba aspera locutum, ubi nosse te volui, quoniam hunc fortissimum inimicum tuum superare ac vincere nequivisses, nisi ex præcepto imperii mei accepta in tua potestate jussus fuisset, & tuam nihilominus animam custodiri a me. Igitur in ditionem illius ita datus es, ut non amplius te affligeret, quam vires tuæ paterentur. E

Ecce spes ejus frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. Cum in conspectu angelorum sanctorum, & innumerabilis multitudinis beatorum hominum præcipitatus fuerit in gehennam, ignemque æternum, spem ejus, qua se fortem putat evadere, horrendum & justum judicium eum frustrabitur, & cassa atque inania cogitans in irritum deducetur.

Caput XLI.

NON *quasi crudelis suscitabo eum. Quis enim resistere potest vultui meo, & quis ante dedit mihi ut reddam ei? Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.* Hunc igitur inimicum non ut crudelis suscitat Deus, qui eum quasi punire desiderat: vel quoscumque sanctorum collocatione ejus elidere: cujus naturæ luculentæ potius æterna bonitas competit: sed suscitare Deus nunc Leviathan hoc modo dicitur, ut eum cæteris qualis sit manifestet, quem velut Pharaonem longa impunitate, diutius insultare permittit. Hoc enim justissimo judicio suo Deus fieri sinit: aut ad exercitationem probationemque sanctorum, aut ad iniquorum pœnam. Quis enim resistere potest vultui meo? Ubi hoc videtur dixisse, quod solo aspectui majestatis Dei, omnis creatura cedat & tremat. Quis ante dedit mihi ut reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt. Non enim, ait, a quoquam potestatem accepi, quam aliquando forsitan non habuerim: ut ei quasi pro hoc beneficio gratias agam, aut aliquid ei retributionis impendam. Secundum hunc sensum & Apostolus loquitur: *Aut quis*, inquit, *dedit illi, & retribuetur* ei? Ubi in his verbis Deus affuisse semper monstratur.

Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis. Hoc fortassis de diabolo, de cujus verbis hic loquitur, intelligere possumus: etsi sit rebellis in Deum, & contumax, suum tamen tremens sentiat creatorem, & quamvis immemor conditionis suæ, tamen tanquam servus nequam, saltem coactus Dominum suum obsecrare simulat.

Quis revelabit faciem indumenti ejus. Hic indumento velatam faciem diaboli Job dicit, quia se transfigurat in angelum lucis. Revelatur autem facies a Domino, cum artes nequitiarum illius deteguntur.

Et in medium oris ejus quis intrabit? Hic os diaboli, indesinens blasphemia ejus po-

potest intelligi, quod obstruendum a Deo est atque oppilandum, cum verbo Domini fuerit penetratum. Sive in medium oris ejus quis intrabit? potest ita sentiri, ut os diaboli, infernus intelligatur: ad quem Salvator descendit, ut devoratos a diabolo homines liberaret. Et ideo quod futurum erat temporis, dixit: In medium oris ejus quis intrabit?

Portas vultus ejus quis aperiet? Abditam, & multo secreto absconditam fortitudinem hypocriseos diaboli, dicit Dominus se patefacturum: quam in passione & cruce sua aperte manifestavit, quando cum principibus suis, & potestatibus traductus a Filio Dei parum fiducialiter triumphat.

Per gyrum dentium ejus formido. Voratorem & insatiabilem hunc inimicum dicit, qui velut rapacissima bestia, dentibus omnia consumat, & idcirco formido, & timor in gyro dentium ejus, quia ad devorandum parati sunt.

Corpus illius quasi scuta fusilia, & compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Unde alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Tres hi versus continui, sub diversorum sermonum repetitione, unum idemque loquuntur. Corpus ergo diaboli, omnes consortes ejus, & spiritus immundi intelligendi sunt, quos tanta consensione atque conspiratione Deus dicit illi adjunctos, ut indissociabili connexione sint eidem copulati, quos etiam sub allegorica dictione, squamarum nomine appellavit, quæ ita densatæ sint, & stricte sibi invicem cohærentes, ut nullum illis sit spiraculum respirandi ad Deum, eo quod ab illa sui connexione, nequaquam ad sanitatem pœnitentiæ relaxentur. Quod autem dæmones impii ministri diaboli, scutis fusilibus comparantur, hoc nomine eorum significat Dominus, quod nimium pertinax & obstinate rebellans, & fortiter solida ac perennis sit eorum repugnatio contra Deum. Diabolum vetus editio *smaragdi lapidi* assimilavit, qui natura asper est, alia attritu lævificans, sed ipse asper esse non desinens, cuncta comminuit, diminutionem autem sui non sentiens.

Sternutatio ejus ut splendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi. Sive ut alii dixerunt, *In sternutamento ejus illucescit sol, & oculi ejus ut species Luciferi*. Sternutatio sordes cerebri egerit, & vitia ex interno concepta depurgat. Diabolus ergo, qui totus sordidus & fœtidus est, in hoc lumine se videtur ostendere, cum transfigurans se in angelum lucis malitiæ suæ sordes in perniciem hominum cum delectatione operatur & effundit, & de invidia, id est, de malorum omnium capite, venena sua commovet ac producit. Oculi autem diaboli falsi Prophetæ intelligendi sunt, de qualibus sanctus Isaias ait, cum ad peccatorem populum loqueretur, dicens de Deo: *Claudet oculos vestros*: qui instigatione ab eo inspirati loquuntur, quæ vicina videntur lumini veritatis. Sicut palpebræ sunt diluculi, cum tamen nihil luminis Dei possideant. Nam etiamsi videantur initium lucis in se ostendere, quæ eis hypocriseos fermento exoritur, mendaciorum tamen tenebras specie veritatis obducunt.

De ore ejus lampades procedunt sicut tædæ ignis accensæ. Quemadmodum os Domini locutum est, ita & omnes impii & sacrilegi, & blasphemi, os diaboli recte dicuntur, ex quo tædæ ignis accensæ, sive ut alii dixerunt, faculæ ardentes procedunt, id est, ignis & pœnæ causa suggeritur: & in Apocalypsi, ubi sub equorum similitudine hi ministri diaboli describuntur, ita de eis dicitur: *De ore eorum exiit ignis & fumus, & sulphur*: non perspicue quidem ita exeunt de ore eorum, sed verba blasphemi sunt ignis & fumus, & sulphur, sicut ad eum Dominus per Prophetam ait: *Producam ignem de medio tui qui comedat te*.

De naribus ejus procedit fumus. Id est, superbia.

Sicut ollæ succensæ atque ferventis. Quia vapor aut ipse se aut obtemperantes generet causas ignis æterni. Superbiæ spiritus in anhelitu narium demonstratur, quibus animi sui tumorem exanhelare se gaudet, sed humiliari ac reprimi a Domino superius ita dicitur: *Nunquid pones circulum in naribus, & armilla perforabis maxillam ejus?*

Halitus ejus prunas ardere facit. Hic est fumus ejus e naribus & ex anhelitu ejus, ut carbonibus suis ignem sibi æternum, & fumandum subministret. Ita enim & similibus ejus Dominus ait: *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis*.

Et flamma de ore ejus egredietur. Sive ut alii dixerunt: *Flamma vero de ore ejus globatur*: ibi idem sensus, quod est, pœnæ blasphemiarum de ore diaboli globatæ egrediuntur.

In collo ejus morabitur fortitudo, & faciem ejus præcedit egestas. Colli nomine, id est cervicis, tumorem arrogantiæ diaboli dicit. Cuique dicitur per Prophetam: *Nervus ferreus cervix tua*: in qua principalis peccati malum habitat. Hac igitur superbiæ fortitudine, & Propheta verbis illius loquitur, dicens *fortitudinem faciam*, quem ob hoc Dominus increpat & dicit ei: *In sapientia tua fecisti tibi fortitudinem*. Et iterum ait ei: *In negotiationibus tuis multiplicasti tibi fortitudinem*. Itemque: *Elevatum est cor tuum in fortitudine tua*. Quod vero ait: Faciem illius præcedet egestas, hoc est quod ubi appropinquaverit diabolus, illico omnes sibi vitæ atque animæ vires exhauriatur, ac substantia consumatur.

Membra carnium ejus cohærentia sibi. Membra diaboli sunt, quos supra in squama & scutis fusilibus nominavit. Carnium autem ejus membra idcirco sunt dicti, quoniam carnalibus ac flagitiosis actibus dedita, ei velut auctori malorum cohæreant.

Mitet contra eum fulmina, & ad locum alium.

alium non ferentur. Ordo dicentis Dei hoc A
loco obscuratus videtur, ubi cum de diabolo dicat, subito personam commutet dicens: Mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur. Credendum est, quod hæc fulmina a Deo mittantur contra diabolum, secundum illum sensum, ubi dicitur: *Pluit Dominus a Domino*. Quod ita hic dictum arbitramur: fecit Deus, quod locutus est Deus. Fulminatur autem a Deo draco diabolus, quando igneis Dei eloquiis de sanctis nubibus increpatur, quæ utique fulmina in locum missa atque directa, non frustra jacientur, & ad locum non ferentur, nec se ab eis diabolus gloriabitur im- B
punitum.

Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Sive ut alii dixerunt, *& stat sicut incus infatigabilis*. Cor diaboli durum & inflexibile est, hebetudine quoque lapidis & rigore. Constringitur autem sive stat sicut incus quæ non producitur. Incus namque cæditur, sed non producitur, superjecta edomat, immobilis autem ipsa consistit: talis diabolus est. Fidelium enim increpationibus tunditur, Prophetarum dictis cæditur, martyrum victoria eliditur, sed manens rigidus, durus indomitus, æternis addictus est pœ- C
nis.

Cum sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur. Hoc de primi sæculi temporibus dictum accipi potest. Quantum sit malum superbiæ, jam tunc angeli sancti scire potuerunt, quando præsumtor tyrannidis cæli arce dejectus est: quando etiam pro eo merito quo in veritate, in qua ille non steterat, steterunt: & in hoc beati facti esse credendi sunt, ut certissimi fierent nullius unquam peccati lapsum sibi esse metuendum. Igitur quod dictum est, quia sublato diabolo, timebunt angeli, & territi purgabuntur, non sic intelligendum D
est, quod ad cavendum peccatum superbiæ, emendatiores futuri sint, territi tantæ damnationis exemplo, cum utique perspicuum sit, minime eos beatos fore, si studendum eis sit cura impensiore ne peccent. Peccatum enim cavere, vel peccato resistere, ad pœnales hujus mundi miserias pertinet, non ad futuri sæculi gloriam. Hos autem arbitror intelligendum homines, qui ad consortium pervenerint angelorum, utpote quasi novi angeli, damnato diabolo, territi purgabuntur: videntes qualem quantumque hostem, & hujuscemodi pœnas horrendæ damnationis evaserunt. E
Purgabuntur autem, id est, puriores Deo reddentur, tanta divini beneficii circa se consolatione perspecta. Id etiam quod dictum est, territi, vel quod scriptum est, timebunt, non abhorret a sensu, ut rationabilis videlicet creatura, omne beneficium atque omne judicium Creatoris sui, non cum pœnali, sed cum honorifico terrore miretur. Et revera quæ major purificatio, sive purgatio poterit esse ante Deum, sicut angelici hominis, quam ut semper cum

exultatione (quia cui defertur pius est) & cum tremore (quia cui defertur Deus est) omne bonum certissimæ securitatis suæ gloriæque perpetuæ ad laudem sui referat conditoris.

Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax. Alii vero manifestius transtulerunt dicentes: *Si occurrerint ei lanceæ, nihil facient ei*: id est, nullis metallis terrorum ac increpationibus poterit emendari. In hasta autem, & thorace possunt intelligi, qui justitiæ lorica induti, dextera operibus sanctis armati conantur resistere. Ipsum vero punire sive expugnare non valebunt, quia tam fortis & malus est, ut adversantia contemnat, & converti minime velit. Proinde quicquid est fortitudinis animorum in sanctis, ferri vocabulo appellatur. Quicquid etiam virtutum est, æris splendore, vel perennitate censetur.

Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs. Tanta enim se virtute superbiæ induit, ut hæc omnia arma adversum se suscepta pro nihil pendat, & ipse potius operetur opera, palearum acervis similia & lignis infructuosis, & vetustis carieque fatiscentibus, quæ igne inextinguibili sunt urenda.

Non fugabit eum vir sagittarius. Cuilibet sanctorum quamvis pharetram cordis sui, increpationum sermonibus tanquam telis compungentibus plenam habeat, ab eis tamen hic durus, & nimium ferreus penetrari non poterit. Et ideo non sentiens vulnera compunctionum, ab hoc tali sagittario non fugatur. Alii vero ita dixerunt: *non vulnerat eum sagitta ærea*. Verbum Dei incorruptibile, & permanens sagittæ æneæ comparatur, quo nunquam potuit diabolus ad pœnitentiam vulnerari: secundum duritiam cordis sui thesaurizat sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.

In stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Funda potest intelligi quicumque sanctorum, qui manu Domini continentur. Per hos ergo sanctos suos, duros sermones, fortes & asperos velut lapides, hunc impium valide jaculatur, ut eisdem percussus det honorem Deo; sed ille cum singularis malitiæ sit, eosdem sermones sibi convertit in stipulam, ut dum eos pro nihil ducit, fiant ei velut stipula quæ & fumandos globos tartarei ignis accendat. Quod alii eodem sensu dixerunt: *Æstimat lapides fundæ jactatos ut fœnum*.

Quasi stipulam æstimabit malleum. Verbum nihilominus divinum, grave scilicet, & forte contundens eum, & atterens vastam duritiam impietatis ejus, ut a sanctorum insectatione teneatur, pro stipula æstimabit: malitia namque obrutus non sentiet pondus tundentis desuper, quoniam cor ejus factum est sicut lapis, & sicut incus indomabilis: quæ nunquam, licet supra modum tusa, producitur.

Et deridebit vibrantem hastam. Sive ut alii di-

dixerunt, *trementem sermonem*. Validum cujuslibet sancti ad se vigore animi ac virtute emissum, non solum non verebitur, verum etiam deridebit, vel eumdem sermonem, vel etiam jaculantem. Hoc totum de diabolo Deus diversis modis ac similitudinibus ideo dicit, ut demonstret hominibus, quantum mali sit, & quam potens, & quam sit omnino irrevocabilis.

Sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum quasi lutum. Sol justitiæ Christus Deus est, in cujus pennis est sanitas. Hi igitur radii, id est, sancti qui sunt filii lucis ejus, ab hoc principe tenebrarum, in prævaricatione Adam, peccato illius detinentur obnoxii, dum jam redemtos per Christum capitalibus criminibus, suos facit sibique velut captivos & servos subdit, & subjugat. Possunt & illi angeli, quos secum diabolus traxit: de quibus in Apocalypsi dicitur: *Et traxit secum tertiam partem stellarum in terram*: hi radii solis intelligi, qui recedentes a Deo vero lumine, factæ sunt tenebræ, & principes tenebrarum. Hi ergo sub ipso sunt, quibus diabolus est rex & dominus. Aurum vero secundum hunc sensum quem diximus, ipsi sunt radii solis, quia sub nomine auri, pretiosi quique & mali intelliguntur: hos sibi sternit quasi lutum, cum eos sibi subditos peccatis, sordidos & viles efficit. Dicuntur autem dracones in eis locis secretis, & terrarum abditis finibus, vel maxime commorari, ubi metallum auri sit. Et ob hoc sub spirituali intelligentia, puto hanc metaphoram conservatam, eo quod hic draco rufus, de auro bonorum quos dejecerat, sibi cubile sternat, quod est, omnes spirituales mundi hujus divitias, id est, bonorum hominum sanctitatem, justitiam cæterasque virtutes, velut aurum sub se habebit, cum eos obdormientes in fide in lutum immensum redegerit peccatorum.

Fervescere faciet quasi olla profundum maris, & ponet quasi cum unguenta bulliunt. Mare hoc sæculum secundum allegoricos intellectus esse didicimus, quod est obscuritate sua, & nimia stultitiæ cæcitate tenebrosum, quod ita diabolus carnali accendit concupiscentia, ut ferveat ad amanda terrena. Si autem in bonam partem unguenta intellexerimus, ut gratias sanctorum ferventes hoc loco interpretemur, a contrario diabolus maris istius habitator id agit, ut quomodo spiritualium gratiarum amore, in Spiritu Sancto fervescunt, ita ad amorem mundi istius homines præsentis vitæ desiderio, quasi quibusdam succensionibus flammeis ardescant. Alii dixerunt, *fervescere facit abyssum, ut vas æneum æstimat sicut delictum, & tartarum abyssi sicut captivum*. Hoc in loco arbitror, quod ita de diabolo Deus dixerit: quia de hoc mundo quasi abyssi nomine dictus est ita diabolus: apud se definiens arbitratus sit, quod in recordationem omnino non veniat, quod de memoria divina deletus sit. Cujus impiissimum sensum in nono Propheta recolit, dicens: *Dixit enim in corde suo, non requiret*. Itemque: *Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem*. Tartarum quoque abyssi, id est, infernum, in quo mundi istius peccatores tenebuntur inclusi: ille velut captivum sub durissima videlicet dominatione, detrusum vinculis infernalibus detinebat. Exultans igitur, & lætabundus diabolus æstimabat, quod creaturam Dei sui omnem utique mundum, velut rex & Dominus esset perpetuo possessurus, nesciens a Domino Deo regi in æternum, & in sæculum sæculi: perditis impiis gentibus de terra ejus, judicatos pupillos & humiles defensos, ut non apponat ultra homo, id est, ipse diabolus, ut se magnificet super terram.

Post eum lucebit semita. Jam tunc resipiscens quæret reverti ad Deum, quando ei tempus pœnitentiæ non erit. Et hanc puto conversionis ejus semitam dixerit, quæ obdurato corde & cæco sera pœnitentia illucescat: quando post acceptam ei minime proderit.

Æstimabit abyssum quasi senescentem. Sive, ut alii dixerunt, *quasi deambulacrum*. Abyssum diximus superius istum mundum, quem senescentem & inveteratum, in peccatis utique permanentem diabolus arbitratur, nesciens adventu Domini a peccatis veteribus liberandum.

Non est super terram potestas quæ comparetur ei. Nulla creatura est tantæ potentiæ, sive peccatrix creatura tantæ malitiæ, & ideo in utraque re nullus ei poterit comparari.

Qui factus est, ut nullum timeret. Propria voluntate liberi arbitrii sui, in superbiam elatus factus est, id est, ita sui malitia depravatus est, ut nullum timeret, nec ipsum Dominum Deum creatorem suum. Timet quidem ut malus servus, & prævaricator; sed non habet in se dilectionis Dei timorem.

Omne sublime videt. In sublime, inquit, atque in excelsum erigitur, id est, usque ad ipsius inæstimabilis superbiæ suæ apicem elevatur, ut blasphemus ponat in cælo os suum, dicens: *Ponam in cælo thronum meum, & ero similis altissimo*.

Ipse est rex super universos filios superbiæ. Id est, caput & princeps omnium superborum, quem imitantes angeli, homines impii, & prævaricatores, facti sunt filii superbiæ ejus.

Caput XLII.

RESPONDENS *autem Job Domino, dixit*: *Scio quia omnia potes*. Id est, qui diabolum humilias, quomodo vis, & quando vis.

Et nulla te latet cogitatio. Scrutatorem cordis, & renium latere quis poterit? Unde apparet sanctum Job ex his sermonibus, quos Deo pœnitens confitetur, accusare cogitationes suas, quibus se meminit de justitiæ

stitiæ suæ meritis sibi plurimum tribuisse, & Deo quasi rustico, notam iniquitatis objicere tentasse.

Quis est iste qui celat consilium absque scientia? Id est, nemo potest abscondere consilium a conscientia tua. Jam in consequentibus manifestissime errorem suum demonstrat, & insipientiam confitetur, per quam ignorans ad Deum loquendi modum excesserit, ita dicens:

Ideo insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excedunt scientiam meam. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi. Jam nunc deposita insipientia, atque abjecta stultitiæ præsumtione, per notitiam increpationis divinæ ad emendationem correctus, & præsentis castigationis purgatus examine, Deum nihilominus audet interrogare dicendo: Audi. Clementiam divinæ indignationis ostendit: & hoc loqui videtur, quod illam plagam longe alio modo circa eum Deus operatus fuerit, quam ipse antea judicaret, & hinc est, quod se a Deo doceri cupit: sibique hoc ipsum deposcit ostendi. Accepto ergo Job, sicut ex sermonibus ejus credendum est, divinæ visitationis oraculo, ait ad Deum:

Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Post tentationis probationem, proximior factus divinæ cognitioni, dicit se jam Deum videre, quem ante, dum examinaretur, audisse se dixit. Audire autem Deum, vel videre, qui est invisibilis, & incomprehensibilis, non istorum est oculorum, vel istarum aurium, sed potius mentis & cordis. Propter quod beati sunt mundo corde homines, quo Deus videtur.

Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam: ut non vobis imputetur stultitia. Neque enim locuti estis coram me rectum: sicut servus meus Job. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos. Quem locum alii dixerunt: *Ideo despexi memetipsum, & distabui, & æstimavi me terram & cinerem.* Quod autem in injuriam sancti Job, amici ejus non recte locuti fuerint, hic aperte, Domino eis imputante, monstratur: unde ipse ait ad eos, quod peccatum illud exprobrationis eis remitti non possit, nisi beatus Job pro illis oraverit, & holocaustum propitiationis obtulerit. Ubi advertimus quod sacerdotis officio, beatus Job functus fuerit. Intelligatur hoc loco quod nulli expediat cum exultatione, & convicio coarguere in Dei castigatione ac tribulationum laboribus constitutum. Ait nataque, quod Job ante pro eis sacrificium offerentem, faciem ejus ad exaudiendum libenter susceperit. Et addit Dominus duplicia. In sequentibus quæritur sensus ejus, qui quemadmodum fuerit duplicatus, libri hujus Scriptor diligenter enarrat. Fratres vero & sorores, qui ad beatum Job post plagam castigationis ejus convenerant, omnes cogitationes, & familiæ generis ejus intelligendæ sunt. Universi etiam noti & amici ejus, qui regalem potentiam ejus singularemque sapientiam prius noverant, venientes ad eum comederunt cum eo in convivio honoris ejus: in quo significatus est ab eo omnium sordium squalor abstersus. In motu vero capitis, indicatam convenientium ad eum lætitiam noverimus: quique muneris gratia, velut inopi, & penitus nihil habenti dederunt oves singulas, & inaures aureas singulas. In hac consolatione, etsi parva & priorum bonorum duplicatione, animadverti potest, quod grandis multitudo ad illum convenerit: qui cum a singulis parum acceperit, subito tantarum divitiarum factus sit dominus. Potuit hoc Scriptor libri hujus, & per anticipationem dixisse, ut post tentationem illam per centum quadraginta annos vitæ suæ, benedicente Domino, cumulatas in duplum divitias possideret: filiorum vero ejus duplicatum numerum non legimus. Unde arbitror quod cum ea quæ omnino perierant, illa ei in duplum fuerint restituta, etiam filii ei viginti pro decem redditi sint. Hi enim ipsi decem primi quos ruina domus labentis oppresserat: apud Deum non putantur extincti. Propter ædificationem itaque fidei nostræ, tantos ei filios a Deo redditos, quantos amiserat, sentiendum est, ut omni bonorum suorum substantia in duplum sibi a Domino reddita, etiam filios in duplum habere se crederet: qui, utpote fidelissimus Dei servus, minime dubitare deberet eos, quos ad Deum præmiserat, non perisse. Sic ubi per totum hunc librum sanctum Job, figuram habuisse Salvatoris perspeximus, donante gratia ejus, ut nobis largiri dignatus est, exposuimus, & in quibusdam locis, amicos ejus significari hæreticos intelleximus, sicut etiam & illum Heliu gentilitatis habuisse imaginem, disseruimus. Sed quia per Christum impiorum atque errantium reconciliatio est: *Non est enim aliud nomen sub cælo, in quo oportet salvos fieri*: ideo extincta nunc gentilitate atque abolita, hæretici ad Christum a Deo Patre mittuntur, ut per quem prius salvati fuerant, rursum lapsi per eumdem mediatorem Deo reconcilientur. In holocausto vero septem taurorum, & arietum, orationum atque eleemosynarum satisfactio, superbiæ & iræ emundatio plenaria, atque perfecta per laborem atque innocentiam pœnitentia demonstratur. Quod autem ait:

Et suscepit Dominus faciem Job. Dominus

quo-

quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Illud est quod ait Apostolus: *Christus Jesus qui est in dextera Dei*: qui etiam interpellat pro nobis, secundum Joannem Apostolum, advocatus noster est, & propitiatio apud Patrem. Sic itaque facies Salvatoris a Patre suscipitur, dum & ipse exaudit, & exauditur.

Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia. Illa igitur addita sunt Christo Domino & Deo nostro, cum populo Israel per fidem addita est gentium multitudo, & addetur in regno.

Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti qui noverant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo ejus. Et moverunt super eum caput. Quod ait, venerunt, hoc est per fidem ei incorporati sunt, ut intra Ecclesiam in uno spiritu congregati, essent membra ejus omnes credentes in eum. Fratres autem & sorores dicuntur, omnis illa cognatio Judæorum populi: de quorum familia natus est Christus. Sive fratres & sorores generaliter omnium nationum multitudines intelligere possumus: eo quod de massa humani generis carnem assumsit, per quam sibi cæteros fratres dignatus est facere: de quibus ait ad Patrem: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Ecclesiæ laudabo te*. Et in Evangelio ait: *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic mihi & frater, & soror, & mater est*. Et cuncti qui eum prius noverant, venerunt ad eum: ita & de eis sentiendum est, quia noverant eum prius omnes Sancti & Prophetæ, qui eum utique videbant in spiritu: quem etiam in carne venturum annuntiabant, sicut ipse Dominus dicit: *Multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos vidistis, & non viderunt: & audire quæ vos audistis, & non audierunt*. Quem videbant autem in spiritu, præsentiam adventus ejus in carne videre desiderabant, sicut & sanctus Abraham, de quo ait Dominus: *Abraham concupivit videre diem meum: & vidit, & gavisus est*. Itaque prædicti Sancti venerunt, quoniam habentes eumdem spiritum fidei, prophetaverunt velut justi ex fide viventes, & sacramentum incarnationis Christi futurum prævidentes in spiritu, in ipsam fidem Christi per eamdem pœnitentiam venerunt, id est, ex fide in fidem, ut essent sub Christo capite unum, & ipsi in corpore Ecclesiæ constituti: ubi, jam resurrectione glorificato Christo, & ex passionis contumelia in honorem pristinum restituto, nunc in domo ejus, Ecclesia, panem sacramentorum ejus comedunt omnes per fidem venientes ad eum. Cum ipso autem panem ideo comedere dicuntur, quia ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Sive quia ipse eorumdem mysteriorum est consecrator, in quibus & ipsum benedicentem & consecrantem accipimus: quia ipse dixit: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendit*. Et verbum Scripturarum panis est Christi, quo in domo Salvatoris, Ecclesia, pascuntur, & exhortatione eorum reficiuntur quondam fide inopes, qui in hoc sæculo cum essent alieni a Deo, famem sermonis divini patiebantur, & cuncti qui eum prius noverant, venerunt ad eum, id est, qui eum noverant in terra, venire ad eum meruerunt in cælum. Et moverunt, inquit Scriptura, super eo caput: exultantes videlicet, quod spiritualibus & sacris Christi conviviis effecti essent participes: sicut Dominus ait in Psalmo: *Vota mea reddam coram vultu timentium eum: edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt dominum, qui requirunt eum*.

Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum. Salvatorem nostrum non mediocriter consolatur, qui passionem ejus, quam pro redemptione mundi suscepit, cum gaudio credit, & fideliter oculis fidei contuetur: ipse enim tali consolatione repletus est, qui cum vidisset turbam credentium, exultavit in spiritu, sicut sancto Evangelista scribente didicimus. Intulisse autem Filio suo Deum Patrem malum passionis & mortis, ita dicimus secundum Apostolum: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum*. Super quod magnam sumimus consolationem, quod dabit nobis bona sua, qui mala nostra suscepit.

Et dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam. Unusquisque per fidem ad Christum venientium, offert ei innocentiam suam, mentisque obedientiam. Quia & Apostolus ex peccatoribus sanctos effectos, ita vivere docet, dicens: *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem*. Sic itaque venientes ad Christum, efficiuntur oves dominicæ, oves sanctæ, oves illæ rationabiles, ascendentes de lavacro, geminos fœtus habentes, cum per obedientiam mandatorum Dei renatæ in Christo, innocentes & simplices operarii fuerint & fideles.

Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, & mille juga boum, & mille asinæ. Principia Christi Dei, & Domini nostri, Legis Moysi exordia esse significantur. Novissima vero ejus, Evangelium esse monstratur. Unde Ecclesiastes ait: *Meliora sunt novissima sermonis, quam initium ejus*. Proinde meliora sunt mysteria Evangelii revelata in Christo, Legis significationibus & figuris: meliora sacrificia cordium contritorum, quam holocaustomata pecudum. Melior manifestatio veritatis in Evangelio, quam allegoriarum umbra in veteri Testamento. Sic itaque benedixit Dominus novissimis Job magis quam principio ejus, ut in utroque populo, Judæorum

rum & gentium, gratia abundaret: quos A populos secundum morum qualitates, quasi sub diversorum animalium nominibus hæc Scriptura voluit appellare. Quam vero significationem eadem animalium in se vocabula contineant, in principio operis istius dixisse me memini. Duplicatum vero horum animalium numerum, propter utrumque populum puto, sive propter abundantiorem gratiam Evangelii, ut jam diximus, de qua Apostolus ait: *Sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit, & ministros novi Testamenti, non litera, sed spiritu: litera enim occidit: spiritus autem vivificat.*

Et fuerunt ei septem filii & tres filiæ. Quod B septem filios & tres filias refertur habuisse, gratiarum septenarius numerus indicatur, Legis, & Prophetiæ, & Gratiæ, ut in principio hujus dixi. Quas pater earum moriens fecit cohæredes fratrum suorum, id est, animas quas per spiritum gratiarum in testamento divinarum Scripturarum incorporat, eas utique promissionum suarum facit esse participes. Earum quoque filiarum significanter nomina posita, magnum in se continent sacramentum.

Et vocavit nomen unius Diem, & nomen secundæ Casia, & nomen tertiæ Cornu stibii. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ, sicut fi- C *liæ Job in universa terra. Deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post flagella hæc centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum, usque ad quartam generationem: & mortuus est senex, & plenus dierum.* Dies ergo lex Dei est, quæ ad cognitionem veritatis, humanæ ignorantiæ noctem illuminat. Casia sanctæ unctionis est donum. Cornu stibii, competentissime Evangelicis copiis Ecclesiæque divitiis coaptatur, quæ spiritualium rerum thesaurus est. Cornu vero ad insigne regium, & dignitatem Ecclesiæ pertinet: sicut ait Propheta: *Exaltavit cornu Christi sui.* Figuram ergo sanctus Job manifeste habuit Salvatoris; & in hoc quod ex ditissimo egens & pauper factus est, ut nos locupletaremur: circa corpus ejus omnem potestatem suam diabolus exercuit: sed nihil profecit, sicut ipse Dominus ait: *Veniet enim princeps mundi, & in me nihil inveniet.* Quemadmodum etiam beatus Job post damnum filiorum infidelium ditatus in filiis est: ita & Salvator post amissionem filiorum infidelium ditatus est in gentibus. Per multa ergo sanctus Job Domini nostri passionem quoque & patientiam figuravit, numero filiorum, & filiarum nominibus, septiformem gratiam Spiritus Sancti Legis, & Prophetarum atque Evangelii in Salvatorem nostrum plenitudinem portendebat futuram. In quo requievit spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilii & virtutis: spiritus scientiæ & pietatis: replevit eum spiritus timoris Dei, quod intelligendum est, plenus dierum.

Tandem relevatus longæ explanationis onere, velut deposito gravi fasce respirans, ad te, beatissime pater Vecteri, clausulam sermonis mei dirigo, petens ut si quid in hoc opere dignum probabili veritate perspexeris, etiam circa meam exiguitatem largissima Domini nostri dona mireris: obsecro, ne aut amico favore permulceas, aut benevola excusatione defendas. Quia nolo eminentiam judicii tui a suæ dignitatis sublimitate dejicias: sed potius sic Opusculum meum laudabile facias, dum incondita ejus corrigendo retractas, & perfecta emendatione castigas.

IN LAMENTATIONES JEREMIÆ.

Et factum est postquam in captivitatem du- D *ctus est Israel, & Jerusalem deserta est, sedit Jeremias flens, & planxit lamentationem hanc in Jerusalem, & dixit: Aleph. Quomodo sedet sola civitas plena populo.* Sicut inter omnia cantica veteris & novi Testamenti, primatum tenet Canticum quod Salomon cecinit in persona Christi & Ecclesiæ, in tantum ut præ magnitudine sui Canticum Canticorum appelletur: ita inter omnia lamenta veteris & novi Testamenti Lamentationes Jeremiæ primatum possident, in tantum ut recte possint Lamentationes Lamentationum appellari. Sciendum denique est has Lamentationes, quas Græci Thre- E nos vocant, ratione metri apud Hebræos compositas esse: & in principio omnium sententiarum, alphabeti series distincta est per ordinem; sed Interpres qui transtulit eas de Hebræo in Latinum, noluit moras innectere, ut hoc observaret, sed tantummodo elementa litterarum in principio posuit, quia sensus sententiæ ex interpretatione litteræ pendet. Sed etiam hoc sciendum quia possunt hæc lamenta historialiter referri ad plebem Israeliticam, spiritualiter vero, etiam ad litteram, & ad sanctam Ecclesiam quæ est civitas, & plebs Dei, & moraliter ad unamquamque animam.

Aleph. Aleph interpretatur *doctrina*. Doctrina vera est cognitio Sanctæ Trinitatis, & ut cognoscat homo crementum & incrementum sui, hoc est, in quibus rebus possit crescere, & in quibus decrescere. Sed quia Judæi istam cognitionem licet haberent, non observaverunt: idcirco sedit tunc, & sedet modo ipsa plebs sola. Quomodo ergo sedebat sola civitas, si plena erat populo? Dupliciter potest solvi: sedebat tunc sola, quæ quondam plena fuerat populo temporibus David & Salomonis. Vel sedebat plena populo ipsa civitas, id est, illa plebs, quia maximus erat ibi numerus hominum; sed sola erat a Dei auxilio. Et est metonymicos intelligendum, ut per civitatem intelligatur populus in captivitate positus. *Facta est quasi vidua domina gentium*, id est, Jerusalem, quæ multis gentibus quondam

dominata fuerat, quando habebat virum A Dominum omnipotentem, ducta in captivitatem quasi vidua fuit. Sed non fuit vidua ex toto, sed quasi vidua: quia vir suus misertus est ejus, & post septuaginta annos conjunxit illam sibi *Princeps Provinciarum*, subauditur illarum, quas subjugaverant reges Israel, *facta est sub tributo*, Chaldæorum. Similiter sancta Ecclesia, & anima quælibet plerumque propter vitia sua, sedet sola destituta auxilio Dei, & ducitur a diabolo in confusionem peccatorum, & efficitur desolata a viro suo, quæ domina erat gentium plurimarum. Et quæ fuit princeps multarum provinciarum in Apo- B stolis, de quibus Psalmista dicit: *Constitues eos principes super omnem terram*, redigitur sub tributum diaboli, serviendo vitiis.

Beth. Beth interpretatur *domus*. Significat illam domum, hoc est, plebem Israeliticam, quam alloquitur Isaias Propheta, inquiens: *Domus Jacob, venite, & ambulemus in lumine Domini*. Ista domus Israelitici populi *plorans ploravit in nocte*, dum duceretur in captivitatem: *& lacrymæ ejus in maxillis ejus*. Quantum ad litteram pertinet, ideo in nocte plorabat, quia non audebat in die propter dominos suos, sed in nocte se consolabatur plorando. Quantum C vero ad altiorem intelligentiam pertinet, in nocte plorabat, id est, in captivitate & tribulatione. Et quod bis dixit, *plorans ploravit*, augmentum præstat repetitio verbi. *Lacrymæ ejus in maxillis ejus*, id est, in principibus ejus; licet enim omnes plorarent, tamen illi maxime qui scientiam habebant. Ideo autem principes & sapientiores per maxillas intelliguntur, quia sicuti a maxillis cibus in corpus deducitur: ita & ab illis doctrina descendere debuerat in populum. *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus*: ex Prophetis videlicet, Regibus & Sacerdotibus, post Domini ascen- D sionem. Hæc verba proprie ad ultimam vastationem pertinent, post quam non habuerunt ullum Principem. Nam in Babyloniæ captivitate habuerunt Danielem & socios ejus, Ezechielem, & alios multos. *Omnes amici ejus*, id est, Reges gentium, *spreverunt eam*, sive pro nihilo reputaverunt, *& facti sunt ei inimici*. Si vero ad Ecclesiam referimus, omnes Angeli sancti amici ejus, pro nihilo deputabant eam, videntes eam a Creatore suo esse dejectam: & videntur ei esse inimici, dum solitum auxilium ab ea subtrahunt.

Gimel. Gimel interpretatur *plenitudo*. Ista E est plenitudo peccatorum, de qua dixit Dominus Judæis: *Implete mensuram patrum vestrorum*, hoc est, quod illi minus fecerunt peccando, vos adimplete. Et in Genesi: *Nondum enim*, inquit, *impleta sunt peccata Amorrhæorum*. Quia ergo Juda istam plenitudinem peccatorum habuit, *migravit*, *de terra sua propter afflictionem*, qua affligebatur a Chaldæis tunc temporis, & postea a Romanis: *Et propter multitudinem servitutis*, qua servivit diabolo, *habitavit inter gentes, nec invenit requiem. Omnes persecutores ejus*, Chaldæi scilicet & Romani, *apprehenderunt eam inter angustias*. Similiter potest referri ad sanctam Ecclesiam, quæ sæpe propter peccata affligitur a paganis, ab hæreticis, & plerumque captivatur tam ab hostibus, quam dæmonibus.

Deleth. Deleth sonat in Latina lingua (a) *tabulatum*. Et cujus rei tabulatum? Domus Domini; domus siquidem Domini tabulata habet ex lignis imputribilibus. *Viæ Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem*. Quomodo possunt viæ lugere? translative dictum est. Viæ, inquit, Sion lugent, hoc est, illi qui quondam soliti erant in præcipuis festivitatibus tendere gressus per vias Jerusalem ad domum Domini constructam ex tabulatis, positi in captivitate lugent, id est, transeuntes, illorum nullus erit qui veniat ad solemnitatem Domini. Vel aliter: Viæ Sion lugent, id est, transeuntes per se provocant ad luctum. Spiritualiter vero per vias Sion debemus intelligere principes qui in subsequentibus designantur per portas & sacerdotes; principes enim & sacerdotes, qui debuerant populo ducatum præbere, & portas vitæ suæ prædicatione aperire, positi in captivitate lugebant, quia destructi & desolati erant. *Virgines ejus squalidæ, & ipsa* Sion *oppressa est amaritudine*. Non virgines solummodo corpore squalidæ, id est, sordidæ effectæ sunt, quæ antea erant speciosissimæ; sed virgines mente, quæ integritatem fidei habebant, ut Daniel, sociique ejus squalidi erant præ nimia captivitate. Vel qui debuerant esse virgines, integritatem fidei habendo, sordibus peccatorum squalidi effecti sunt. Hæc omnia ad Ecclesiam similiter possunt referri, cujus viæ & portæ sunt prædicatores prælati.

He. He interpretatur *ista*; & est sensus: Ista quæ hic scribuntur, a Domino prædicta sunt in Deuteronomio, quando præcepit Moysi scribere maledictiones & benedictiones: *Si*, inquit, *non custodieris mandata mea, tradam te hostibus tuis, erisque tu in cauda, & inimici tui in capite*. Tamen non ideo hæc venerunt, quia a Domino prædicta sunt: sed quia ventura erant, ab illo prædicta sunt: & quia illi peccaverunt, idcirco hæc venerunt. *Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt*, id est, divites facti sunt divitiis illius: *quia Dominus loquutus est super eam*, sicut paulo supra diximus, quæ antea erat in capite domina aliarum gentium, facta est ancilla & tributaria. Cætera quæ sequuntur pertinentia ad sensum hujus litteræ, sufficienter patent.

Vau. Vau interpretatur *&*, quod est copulativa conjunctio conj[illegible] præcedentia subsequentibus; ac si dicere[illegible] ali[illegible] verbis: Et quia peccaverunt, [illegible] *est a* [illegible] *Sion omnis*

a Vocum similitudine *tabularum*, & *tabulatum*, deceptus est Auctor. Vide nos ad Hieron. Epist. xxx. n. 5. not. *f*.

omnis decor ejus. Quis erat decor ejus? Reges & principes ejus, Sacerdotes & Prophetæ, altare aureum, & templum magnificum, civitas & omnia ornamenta ejus. Ista omnia egressa sunt a filia Sion, quando Sedecias cæcatus ductus est in Babylonem in cavea ut leones; principes ejus interfecti, altare confractum, templum ejus incensum, civitas destructa, vasa aurea & argentea in Babylonem ducta. *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua*, quando oppressi sunt obsidione a Chaldæis per spatium unius anni & dimidii. *Et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis*, scilicet hostis, quia nullus illorum potuit resistere Chaldæis. Similiter possunt referri ad extremam captivitatem & ad Ecclesiam, tam historialiter quam spiritualiter, cujus principes sæpe quærunt pascua verbi Dei, sed non inveniunt, quia Dominus misit famem in terram.

Zai. Zai interpretatur *hæc*, & est sensus: Hæc vindicta omnipotentis Dei super Jerusalem, ut caderet in manu hostili. Itaque hoc modo constructio est hujus sententiæ: *Dum caderet Jerusalem, & populus ejus in manu hostili, recordata est dierum afflictionis suæ*, qua affligebatur: *& recordata est prævaricationis*, scilicet mandatorum Dei, cognoscens quia propter peccata sua talia patiebatur. *Et recordata est omnium desiderabilium suorum*, id est, omnium bonorum, *quæ habuerat a diebus antiquis*, ex quo de Ægypto egressa est. *Viderunt eam hostes*, Chaldæi, *& deriserunt sabbatha ejus*, quæ volebat observare in captivitate, sicuti modo deridentur Judæi a Christianis. Jerusalem quæ interpretatur, *visio pacis*, sanctam Ecclesiam significat, quæ dum traditur in manibus hæreticorum & paganorum, recordatur prævaricationis mandatorum Dei; cujus sabbatha, id est, otium ab omnibus operibus, hostes ejus, maligni videlicet spiritus, derident; quia postquam sua suggestione nos decipiunt, & faciunt quiescere a bono opere, insultant nobis, & derident nos.

Heth. Heth interpretatur *vita*: & pertinet interpretatio hujus elementi ad aliud quod in fine hujus sententiæ dicitur, *Ipsa autem gemens, & conversa retrorsum*. Conversa autem retrorsum in hoc loco in bonam partem accipio; idcirco etenim Deus inducit afflictionem super quemlibet hominem, ut convertatur ab errore, & vivat: & qui corruit in mortem propter peccatum, convertatur de vitiis ad virtutes, & per lamentum ac gemitus redeat ad vitam æternam.

Teth. Teth interpretatur *bonum*. Cujus verbi interpretatio ad finem similiter sententiæ spiritualiter refertur, ubi dicitur: *Vide, Domine, afflictionem meam*; bonum est enim si quando, vel generaliter Ecclesia sancta, vel spiritualiter unaquæque anima cognoscens reatum suum, convertatur ad Dei clementiam & dicat: Vide, Domine, afflictionem meam, & miserere mei, *quoniam erectus est inimicus meus*, diabolus, *in superbiam contra me*. *Sordes Jerusalem in pedibus ejus*, id est, in illis a quibus debuerat portari. *Nec recordata est finis sui*, id est, malorum illorum quæ poterant ei evenire instante fine mortis, vel etiam Christo adveniente in mundum: non est recordata Christi qui est initium & finis. *Deposita est vehementer*, de solio regni & sacerdotii; *non habens consolatorem*, Spiritum Sanctum qui dicitur Paraclitus, id est, consolator.

Joth. Joth sonat *principium* in Latina lingua. Quæ hinc sequuntur principia sunt malorum vel Jerusalem, vel Ecclesiæ, vel unicuique animæ. Principium ergo ruinæ Jerusalem istud fuit, quia *misit hostis*, Nabuchodonosor, vel Romanorum exercitus, *manum suam, & tulit omnia desiderabilia ejus*, hoc est, regnum, sacerdotium, templum & civitatem. Spiritualiter hostis noster diabolus est, qui quando mittit manum suam, hoc est, operationem & suggestionem malignam, aufert virtutes, bonaque opera, quæ designantur per desiderabilia Jerusalem, & insuper in Babylonem, id est, in confusionem ducit nos; quod tunc pertulit Israel, vel quotidie patitur Ecclesia, vel unaquæque anima.

Caph. Caph interpretatur *manus*. Manus, id est, operatio Dei, reddens illi qualia merentur. *Omnis populus ejus gemens & quærens panem*. Quia ergo manus Domini percussit populum, ideo gemebat & lugebat, dum duceretur in captivitatem.

Lamed. Lamed interpretatur *disciplina cordis*. Disciplina cordis est, quando homo intelligit malum suum, & de malo ad bonum convertitur, & justum omnipotentis Dei judicium aliis prædicat, sicut Jerusalem quæ dicebat. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus*; *quoniam vindemiavit me* per Chaldæos & per Romanos ducendo in captivitatem, qui quondam plantaverat in terra repromissionis. Et hoc fecit *sicut locutus est*, per servos suos Prophetas, *in die furoris sui*, hoc est, in die vindictæ.

Mem. Mem interpretatur *ex ipsis*. Quid ex ipsis? ex ipsis Judæis, qui perierant per infidelitatem, fuerunt Apostoli, quos modo appellat Ecclesia *ossa*, quia fuerunt fortissimi ad toleranda adversa; & sicut corpus sustentatur ab ossibus, ita Ecclesia illorum exemplis, & fide, & doctrina. Super illos ergo *misit ignem* de cœlo, quando die Pentecostes Spiritus Sanctus in linguis igneis super eos descendit. *Expandit rete*, mandatorum suorum, *pedibus meis; convertit me retrorsum*, hoc est, de vitiis ad virtutes, ne pergerem secundum opera carnis. *Posuit me desolatam*, a bonis * temporalibus, vel a suo auxilio, & a sua præsentia, *tota die*, id est, toto tempore, *mœrore confectam*. Ecce diximus secundum spiritualem intelligentiam, primum propter interpretationem litteræ, quæ proprie ad eumdem sensum pertinet: videamus & ad litteram. Dicit ergo Jerusalem: *De excelso* solio suo *misit ignem*, tribulationis & captivitatis, *in ossibus meis: & erudivit me*, per tribulationem, quæ

* al. *temporibus*.

quæ nolui erudiri per pacem & suavita- A tem. Cætera patent in sensu.

Nun. Nun interpretatur *sempiternum*: Notandum quia ista, quæ in hac sententia dicuntur, proprie ad tempus ultimæ captivitatis pertinent. Id est, ad diem judicii, quando tradentur omnes reprobi pœnis sempiternis. *Vigilavit jugum*, vel damnatio, *iniquitatum mearum*, hoc est, tempus vindictæ advenit. *In manu ejus*, in potestate omnipotentis Dei coadunatæ sunt omnes iniquitates meæ, *& imposita collo meo*. Quis unquam vidit vigilare jugum? Per jugum, ut diximus, intelligitur vindicta & damnatio, B quæ tunc vigilare dicitur, quando punit reos, dormire vero quando a flagello cessat.

Samech. Samech interpretatur *adjutorium*. Et quia adjutorium omnipotentis Dei recessit ab Jerusalem, *abstulit ipse Dominus omnes magnificos ejus de medio ejus*.

Ain. Ain interpretatur *fons*, vel *oculus**. Fons ergo lachrymarum est oculus: & quia Dominus torcular tribulationis filiæ Sion, idcirco Propheta plorabat, & oculus ejus deducebat aquam lachrymarum. C

Fe. Fe interpretatur *oris*, subauditur *demonstratio*. *Expandit Sion manus suas*. Per extensionem manuum debemus intelligere tribulationem maximam, quæ plerumque extensione manuum ostenditur; solent enim mulieres parturientes in nimia tribulatione & anxietate positæ, extendere manus, suspectam habentes mortem, quia volunt parere, & non possunt, & præ nimio dolore quod ore non valent exprimere, extensione manuum ostendunt. Sic & Jerusalem posita in maxima angustia, expandit manus suas, sed *non fuit qui consolaretur eam*. D

Sade. Sade sonat *justitiam*: & justum, vel justitia est, ut homo in tribulatione constitutus, confiteatur vel justo judicio Dei talia se pati, & majoribus suppliciis dignum esse: quia prævaricator exstitit mandatorum Dei, dicens cum Jerusalem: *Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi*.

Coph. Coph interpretatur *vocatio*. Allusit ergo Propheta ad interpretationem literæ, & dixit: *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me*, promittentes mihi pacem.

Res. Res interpretatur *capitis*, subauditur, *intellectus*. Per caput ergo debemus in- E telligere principalitatem mentis ubi est intellectus; quia sicut a capite reguntur membra: ita a mente disponuntur voluntates & cogitationes. *Vide Domine, quoniam tribulor, venter meus conturbatus est*. Quid per ventrem debeamus intelligere, idem Propheta alibi ostendit dicens: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*, hoc est, sensus cordis mei conturbati sunt.

Sen. Sen interpretatur *dentium*. Quid per dentes intelligere debemus? Dentes qui frangunt cibum & molunt, & a quibus in corpus traducitur, debemus intelligere doctores & prædicatores qui mandata Dei ruminant, & qui plangunt suos & aliorum reatus & casus. Ex quorum persona loquitur Propheta dicens: *Audierunt inimici mei quia ingemisco: & lætati sunt, quoniam tu fecisti*, id est, tu permisisti, ut ego ingemiscerem, & illi exultarent. Quod vero subjungit, *Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei*, qui me afflixerunt, ad tempus extremum referendum est, & est præteritum pro futuro positum. *Adduces*, inquit, *diem consolationis meæ*, & cætera quæ sequuntur. *Fient similes mei*, non in gloria, sed qualia mihi fecerunt, talia recipient. In hoc ergo fient mei similes, quia sicut ego fui mœrens & dolens, dum affligerer ab eis: ita & illi erunt dolentes & gementes positi in pœnis.

Tau. Tau interpretatur *signa* plurali numero. Judæi sicut habent viginti duas literas, in quarum ordine ultima est Tau: ita & viginti duos libros in quibus plena est cognitio Sanctæ Trinitatis, quæ in viginti duobus libris consistit. Et quia mandata omnipotentis Dei, quæ in illis narrantur, observabant, loquitur Propheta dicens: *Ingrediatur omne malum eorum coram te, & vindemia illos, sicut vindemiasti me propter iniquitates meas*. Possumus, & aliter dicere de interpretatione hujus literæ. Volo noveritis, quia huc usque apud Samaritanos, Tau litera similitudinem crucis habet, quamquam apud Hebræos corrupta sit; ideoque per Tau, quod interpretatur *signa*, intelliguntur illi qui signaculum Crucis Christi in fronte & in corde ferunt, & per fidem passionis Christi, credunt se salvari posse. Exposito unius alphabeti ordine, reliqui tres qui sequuntur, eodem sensu sunt intelligendi: ideoque dignum duximus non esse necessarium idipsum per singulos repetere.

Sed admoneo te, o Lector, ut quamvis aliam interpretationem istarum literarum in aliis locis reperias, non ideo ista abjicias, quia suis in locis propriam expositionem & sensum requirunt, ut conjungi possint sequentibus: sicut in Psalmis invenitur a diversis auctoribus esse expositum. Quadruplici ergo alphabeto composuit Jeremias Lamentationes suas, quia illos deplorabat qui ex quatuor elementis constantes, iram omnipotentis Dei contra se excitaverant, transgrediendo præcepta illius, & sequendo voluptatem carnis.

D. JOAN-

D. JOANNIS MARTIANÆI
MONACHI BENEDICTINI E CONGREG. SANCTI MAURI
In S. HIERONYMI Commentarios
IN
EZECHIELEM ET DANIELEM
NOTÆ.

IN LIBRUM I. EZECHIELIS.

col. 37. *Appellatur* σκηνογραφία. Hoc modo legunt mss. codices: editi autem libri σκιογραφία pro σκηνογραφία retinent. Est autem *scenographia* ex Vitruv. *Frontis & laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus*: quod perfecte convenit loco præsenti Ezechielis describentis Jerusalem in pulvere.

IN LIBR. II.

col. 52. *Et Apostolus*. Marianus castigat Editionem Erasmi, ac pro voce *Apostolus*, posuit *Evangelium*: at hoc modo quum legant mss. codices, intactum contextum Hieronymi relinquimus; potuit enim sanctus vir non Paulum, sed Matthæum intelligere nomine *Apostolus*.

col. 56. *Hebraicum Arethic*. Mss. legunt *Arethic* cum *jod* in fine, non *harattoc* cum hollem הרתוק, juxta contextum hodiernum Hebraicum.

IN LIBR. III.

col. 89. *Transtulerunt Ælam*. Non אולם *Ulam* in suo exemplari Hebraico legebat Aquila & Hieronymus, sed אילם *Ælam* per aleph & jod, quæ diphtongum efficiunt ex eodem Hieronymo. Hinc videas nullam variantem lectionem Hebraici contextus colligi posse ex Erasmo & Mariano, qui ubique nobis obtrudunt Hebraica verba punctis Massorethicis distincta; haud paucas vero hujusmodi lectiones ex nostra præsenti nova Editione Hieronymi fore colligendas.

IN LIBR. IV.

col. 143. *Ad ducentorum*. Totum integrumque Capitulum Vulgatæ Editionis dividitur in sexaginta & tres versiculos; qua divisione longe distat a numero quem hic assignat Hieronymus. Igitur ut divisionem antiquam perspectam habeas, consule Bibliothecam divinam sancti Hieronymi a nobis editam, sive Tom. I. Editionis nostræ col. 673. & seqq. ubi numerum pene ducentorum versuum in Capitulo XVI. invenire. & scire poteris.

col. 151. Αἱμοῤῥοοῦσα. Putarunt Erasmus & Marianus *Hemorrhoissam* dictam fuisse sanctam a Beato Hieronymo, unde pro particula *etiam* Latina, Græcum nomen ἁγίαν suppofuerunt contra fidem exemplarium mss.

col. 157. *Hebraicum Mesi*. Sic legunt codices mss. hoc loco; licet impressi retineant *Messe*, vel *Mse*, Hinc videas verbum משי, Hebraicum & *Messe* & *Mesi* legi potuisse, quum esset punctis vocalibus destitutum.

IN LIBR. V.

Est confusio &c. Erat forte hæc sententia in aliquo Evangelio apocrypho, vel in exemplaribus antiquæ Vulgatæ addita fuit, sicut & alia bene multa quæ modo non leguntur apud nos. col. 184.

IN LIBR. VI.

Panem nostrum &c. Substantivum hic vocat & *superventurum* panem, quem alibi *super substantialem peculiarem, præcipuum*, & *crastinum* intelligit. Vide hac de re Commentarium eruditissimum in Matthæi caput sextum. col. 205.

IN LIBR. VII.

Et ignorationem &c. Hoc modo legunt omnes codices nostri mss. Erasmiana Editio retinet in contextu, *& ignorantiam divitiarum*, in margine autem hæc addita reperi: *legendum arbitror arrogantiam*. Sed falsa est & imperita conjectura; quia Hieronymus ut magnitudinem divitiarum demonstret in Romanis, vocat illam *ignorationem*, eo quod ignorarent domini suarum divitiarum thesauros & possessiones. col. 248.

IN LIBR. VIII.

In Hebraico Lolam. Omittunt editi libri, particulam ל *lamed*, legentes עולם, quod sine lamed non potest sonare, *in sempiternum*. col. 302.

Et filiorum Bonaich &c. Legunt iidem editores Erasm. & Marian. secundam vocem *benaich*, quæ *filios tuos* significat; sed non legunt secundam *bonaich*, quæ *cæmentarios*, sive *ædificatores tuos* sonat. Distincte tamen mss. codices retinent voces a nobis editas: unde facilis est conjectura, nulla manuscripta exemplaria contulisse mox citatos Auctores, ad restitutionem Hebraicorum verborum. col. 304.

Theodotio Gomadim. Theodotio legebat *Gomadim*, non *Gammadim*, ut falso ponitur in antea editis libris. col. 309.

Javan interpretari. De hac vocis *Javan* etymologia, & interpretatione Hieronymiana quum nonnulla dixissem Tomo II. col. 338. Plautinæ prudentiæ Johannis Clerici placere haud potui; sed mea non refert hujusmodi adversario displicuisse, modo ut placeam studiosis ac benevolis lectoribus. col. 311.

Plenissime demonstratum est &c Legendum *demonstratur*, vel *demonstrabitur*, non *demonstratum est*; quum Hieronymus scripserit in Jeremiam post absolutos omnes Commentarios in Isaiam, Ezechielem & Danielem, ut ipse nos docuit Præfatione Commentariorum in Jeremiam, quos neque ad sermonem adversum Cedar, qui legitur capite 49. v. 28. morte præoccupatus complere potuit. col. 318.

IN

IN LIBR. IX.

Col. 366. *Sed* πεπαμένα. Editi legunt confictam vocem πεπεμμένα; quum mss. codices hic retineant Latino charactere *tetamena*, id est, *porrecta*, a verbo τείνω.

IN LIBR. X.

Col. 401. *Quod octo &c.* Consule Bibliothecam divinam Sancti Hieronymi, hoc est, Tomum I. Editionis nostræ, ubi leguntur octo versus, quorum hic numerum indicat Doctor egregius. In Vulgata nostra duo tantum numerantur.

IN LIBR. XI.

Col. 449. *Si enim &c.* Hunc locum Erasmus hac conjectura sequenti mutandum voluit: Forsitan, inquit, legendum est. *Si enim* כפיר *per* כ *literam in prima &* י *in ultima syllaba scribas, appellatur catulus leonis. Sin autem sine* י, כפר, *ager appellatur & villa.* Quam notam marginalem Erasmi in ipsum Hieronymi contextum Marianus perperam derivare ausus est, ut sic lector simplex illusus putet, Hieronymum scripsisse quod post eum tanta sæculorum intercapedine Erasmus, vel quis alius pro eo, excogitavit. Error itaque horum editorum perspicuus est, qui non intellexerunt nomen *Chaphir*, scriptum per *chi*, significare *catulum leonis*; scriptum autem per *c*, *caphir*, vel *capher*, significare *agrum*, aut *villam*, ut *Capharnaum* scriptum per K Græcum: quod Græcum K, & C Latinum æquivalent *Coph* literæ Hebræorum.

IN LIBR. XII.

Col. 483. *Ejusdem Jechoniæ &c.* Editi pro nomine *Jechoniæ*, retinent *Joachim*, sed binomius fuit iste *Joachim* quem principes Nabuchodonosor captivum duxerunt in Babylonem. Caveant ergo lectores vitia scriptorum, qui pro *Joachim*, id est, *Jechonia*, sæpius scribunt *Joachim*, & editi *Joakim*.

Col. 483. *Et elau.* Hoc nomen apud Septuaginta in diversis Exemplaribus diverse legitur, ἐλεῦ scilicet, & ἐλεῦ, quum in Hebraico scriptum sit אלו, vel אילו, id est, *elau*, ut hic legit Hieronymus.

Col. 487. *Et gisum &c.* De nomine γεισος, id est, *giso*, pauca diximus in libro Hebraicorum Nominum, sed ibi scribitur γαισός, sive γαισός, & significat *clypeum*, aut *organum bellicum*; non *labium* mensæ, ut LXX. voluerunt. Quamquam γεισίον sit quoque *septum & lorica*. γεῖσος porro *agricola* dicitur; & γεῖσα, sive γεῖσοι sunt partes tecti prominentes, quibus stillicidia a parietibus arceantur. Mirum quod hanc operam nostram non anteverterit Criticus, sive Clericus sycophanta adversus Hieronymum: sed sufficit ei exultare in locis communibus, & prætermittere ea quæ possunt facere quæstionem.

Ibid. *Habetur Asephathaim.* Omittunt editi libri articulum ה, sive A, quam literam retinent omnes mss. codices.

Col. 497. *Urob.* Falso legunt hic libri ante nos editi, *positum est verobab*, &c. quum Hieronymus legat in mss. codicibus UROB juxta morem antiquorum, & non juxta punctationem hodiernam. Consequenter in manuscriptis exemplaribus scriptum reperio, *sed pro nomen sermonis*, &c. vel, *sed pronomen quibus Hebræi*, &c. Quæ depravationes sunt veterum librariorum, qui & ipsi expertes fuerunt Hebræi sermonis.

Col. 495. *Fronte, sive, Æl.* Locus depravatissime editus apud Erasmum & Marianum: qui hoc modo legunt: *In cujus fronte sive* αἰλὰμ *(Er. elau) pro quo Symmachus* περὶ τῶν θύρων, *id est, circa portam: Theodotio Hebraicum* איל, *el; Aquila ostium, nos frontem interpretati sumus.* Ubi nihil reperio Hieronymianum, quum pro ÆL posuerint αἰλὰμ, vel *elau*; Græca verba Symmachi addiderint de suo; & pro lectione Theodotionis *aelam*, & Hebraico *ul*, אול, substituerint Hebraicum hodiernum איל, *ail*, sive *el*.

Perfectum &c. De hac depravatione jam dixi in adnotationibus ad caput istud Ezechielis Tom. I. col. 713. & 714. Consule locum, & videsis falsam Mariani restitutionem. Col. 504.

Ἀμίαντον, *quod &c.* Amiantus lapis in Cypro nascitur, scissili alumini similis, quo, utpote lento, telas conficiunt, quæ in ignem conjectæ accenduntur quidem aguntque flammas, sed nulla amissa parte nitidiores evadunt. Hæc R. Constantinus ex Dioscor. lib. 5. cap. 148. Plin. lib. 36. cap. 19. Hujusmodi partem lapidis, sive lini asservavi ob curiositatem, quum e pyreneis montibus ad nos delati essent lapides amianti. Ibid.

Græcorum ἐξώστρας *&c.* Qui Mariani notas in hunc & superiorem locum legere voluerit, multa falsa nec satis erudita reperiet, quæ nos carpere noluimus, nomini ejus parcentes & fastidioso lectori. Quid sint porro *meniana* non ab alio discere debuit Marianus, quam ab ipso Hieronymo dicente in Epistola ad Sunniam & Fretellam: Δῶμα *in Orientalibus provinciis ipsum dicitur quod apud nos* tectum: *in Palæstina enim & Ægypto..... non habent in tectis culmina, sed* Δώματα, *quæ Romæ vel* solaria *vel* meniana *vocant, id est, plana tecta quæ transversis trabibus sustentantur... Et quando præcipitur nobis ut faciamus* domati *nostro coronam, hoc præcipitur, ut in tecto faciamus per circuitum quasdam eminentias, ne facilis in præceps lapsus sit.* Meniana itaque a Menio censore dicta, erant ἐκθέται & ἐξώστραι, de cœnaculorum parietibus eminentia solaria. Non legas *Mediana* in Epistola ad Sun. & Fretel., sed *meniana*. Ibid.

IN LIBR. XIII.

Comam demittere. Mos hodiernus comas dimittendi, barbarorum fuit & luxuriosorum & militantium; non honestiorum virorum & Christianorum, quibus præcipitur, ne comam nutriant. col. 51[illegible]

IN LIBR. XIV.

Posuit Thuroth. Non *Tiroth* cum Massorethis legebat Hieronymus in suo exemplari Hebraico, sed תורות *Thuroth* cum schourec, id est, cum ו *vau*, vocali. col. 58[illegible]

Latina simplicitas &c. Simplicitatem hujusmodi Latinam non mutavit S. Doctor, quum jussu Damasi novum Testamentum Græcæ fidei reddidit. col. 584.

Post vicesimumquintum &c. Hoc propter LXX. interpretationem observat Hieronymus, nam Numerorum capite quarto ipsi legunt *a vicesimo quinto*, ubi juxta Hebraicam veritatem legendum est, *a tricesimo anno*. Ibid.

Cælestium transeamus &c. Josephus lib. 7. de bello Judaico, cap. 12. narrat hanc vocem fuisse auditam: sed non loquitur de passione Domini, unde benigne intelligenda sunt verba Hieronymi, non ad vivum resecanda. col. 594.

De quibus Oppianus &c. Codices mss. legunt hoc modo, *de quibus Oppianicus Cilix est Poeta doctissimus.* Alii, *Appianicus* &c. fuit porro Oppianus genere a Zerbo Ciliciæ civitate, & scripsit ἁλιευτικὰ elegantissimis versibus, quæ Antonino Imperatori Severi filio obtulit, non sine doctrinæ suæ maxima commendatione. col. 595.

Hoc autem &c. Hunc locum depravatum legimus apud Marianum, qui imperite castigavit editionem Erasmianam hoc scholio sequenti: *pro quo in Hebraico scriptum est* חשר עינן *Haser Enan, & præsens locus continet* olim, *sive Enan*. Certe nihil intelligit. col. 598.

Legerunt Thamorru. Editi falso legunt תמרות *Tamaroth*, pro *Thamorru* quod mss. codices retinent. Error enim non fuit in nomine, sed in mutatione elementi *Resch* pro *Daleth*; unde *Thamorru*, pro *Thamoddu*. col. 600.

Quam ferre non possumus. Ex hoc loco manifestum nobis est antiquitus additam fuisse in Oratione dominica hujusmodi clausulam, *quam ferre non possumus*, juxta verba Apostoli dicentis: Non patietur vos Deus tentari supra id quod potestis. col. 605.

IN

IN COMMENTARIOS
IN DANIELEM.

Col. 621. PResbyteros, *ἀπὸ τῦ* &c. Addit optimum ac pervetustum exemplar Corbejense nomen Dei; sic enim legit, CXICHCECI ΘΕΟC &c. pro *χίσαι σε, χίσει σε Θεός*.

col. 625. *Somtonphanech*. Falso in editis legitur *Saphanatphaneh* juxta Hebraicum; quum Hieronymus hic ex LXX. editione posuerit *Somtonphanech*.

col. 627. *Huensque &c.* Vide scholia nostra Tom. I. col. 995. ubi disputat Hieronymus de Danielis idiomate, & etymologiis verborum Græcorum, *ἀπὸ τῦ* &c.

Dicitur Essaitha. In Chaldaico legitur hodie
col. 658. ושחיתה *Uschebhitha*, & *corruptelam*. Legunt editi שחיתה *Schebhithah* ad marginem, non intelligentes Hieronymum non citasse contextum Chaldaicum; sed dixisse *suspicionem* Chaldaico sermone appellari *Essaitha*, id est, השחיתה, quod vere *corruptelam*, & *pravitatem* significat. Hocque forte legebat in suo exemplari Hieronymus.

col. 659. *Dicuntur menia &c. Menia* legunt mss. codices, Erasmus *Meniana*. Consule supra adnotationes nostras in cap. 41. Ezechielis.

col. 673. *Ne quis &c.* Commentarium hujus loci luxatum ediderunt Erasmus & Marianus; quod enim Hieronymus posuerat consequenter ad verba: *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente*, &c. v. 5. illi reposuerunt ad versum 19. ejusdem capitis VIII. Cur autem hanc mutationem sibi permiserint contra fidem omnium codicum mss. nullus intelligo, nisi forte putaverint ab antiquis exscriptoribus commentarium fuisse transmutatum. Sed id falsum demonstratur ab omnibus exemplaribus quæ constanter retinent eamdem omnino seriem Commentarii, quam videtur approbare Hieronymus ad hæc verba: *Tu ergo signa visionem*, &c. dicit enim a se differtam fuisse supra Gabrielis expositionem. Quod non potest stare, nisi Commentarius conjunctus sit his verbis: *Ecce autem*, &c.

Vel medicina &c. Hic quoque mutant ordinem Com- Col. 676.
mentarii Erasmus & Marianus, & quæ omnes codices retinent in fine hujus capituli, illi posuerunt consequenter ad hæc verba. *vel medicina Dei*; quia etymologiæ nominis *Raphael* convenire videbantur. Itaque suis locis propriam pericopen restituimus, & confictum ab editoribus Commentarium delevimus, nempe hæc verba consequentia post *quis sicut Deus*: (ut scilicet intelligatur, quia propitiationem, vel expiationem nullus possit auferre nisi Deus) Hujusmodi commentum abest ab omnibus exemplaribus manuscriptis, unde falsum deprehendimus, & abjicimus.

Quam supra &c. Si probe hunc locum intellexis- col. 677.
sent editores antiqui, nequaquam hoc loco posuissent Commentarium Hieronymi ex interpretatione Gabrielis. col. 698.

Pro Chrysolito &c. Post hæc verba, addunt editi libri: *De quibus in explanatione Ezechielis plenius interpretati sumus: nunc de Chrysolito pauca dicamus.* Quem imperitissimum commentarium nullus codicum mss. nostrorum retinet, falsum quoque & suppositium agnoscimus, quia Hieronymus nondum scripserat in Ezechielem, quum Danielem Commentariis illustravit.



I N.

INDEX
TESTIMONIORUM SCRIPTURÆ SANCTÆ,
Quæ citantur & explicantur in hoc Tomo.

GENESIS.

EXODO.

NUMERI.

DEUTERONOMIUM.

RE-

ECCLESIASTES.

CANTICUM.

ECCLESIASTICUS.

THRENI.

OSEE.

AMOS.

MICHÆA.

MATTHÆUS.

MARCUS.

LUCAS.

JOANNES.

EPIST. AD ROMANOS.

I. CORINTH.

II. CORINT.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIP.

INDEX



INDEX
RERUM ET VERBORUM INSIGNIORUM

Quæ in hoc Quinto Tomo continentur.

A

B

Baſi-

I

Infer-

L

M

T

Tia-

FINIS SECUNDÆ PARTIS TOMI QUINTI.


BOSTON COLLEGE
3 9031 034 82310 4



